



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



158

I

Pl. R. 843.

Mevius

<36615078300015

<36615078300015

Bayer. Staatsbibliothek

Philos.

Polit.

R

Collegij Spectabilij I. N. Monachij
PRODRROMUS

JURISPRU-
DENTIÆ GENTIUM
COMMUNIS,

PRO EXHIBENDIS EJUS-
DEM PRINCIPIIS ET FUN-
DAMENTIS,

P R Æ M I S S U S ,

EX STUDIIS


DAVID MEVII,
S. REG. MAJESTATI SVECIE
A SECRETIS CONSILIIIS, ET IN
SUMMO TRIBUNALI VISMARI-
ENSI VICE-PRÆSIDIS.

STRALESUNDI,
Impensis OTTONIS REUMANNI.
ANNO M. DC. LXXI.

UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
2011 MAR 20
-2011 MAR 20 11:00 AM
-2011 MAR 20 11:00 AM
-2011 MAR 20 11:00 AM

ANDERSON
1917
MAY 1917
MAY 1917
MAY 1917

Bayerische
Staatsbibliothek
München



DE INSTITUTO Scripti, de Jurisprudencia Gentium Comuni.

Nefelicitas studii, quod Jurisprudentiæ tribuitur, frequentissimis exemplis atq; indicis semet ostendens, me sæpius adduxit, tum ad cogitationem de ejusdem causis, tum ad consultationem super re mediis. Ut ut verò alia plura sunt, ex & in quibus variè in isto peccatur, singula medelæ indigæ; tum vero potissimum ejus in hoc deprehendo & statuo, quod qui istam artem addiscere & exercere contendunt, ad jura suæ Civitatis, in qua vivunt, victumq; quærere destinant, operam & industriam penè omnem convertunt, ultra incuriosi. Sic inter eos, qui Jure Romano, tum quod Imp. Justinianus voluminibus sua cura compositis, tum quod Pontifices Romani ei, quod Canonicum vocamus, inseruerunt, utuntur, juris studium iis insolidum fere deditur. Ab istis incipit, in istis consummatur, ex istis hausta omnis juris cognitione perficere existimatur, adeo ut utriusq; istius jam Doctores approbati, consummatissimi JCTi nomē & officium assumere & jactare non dubitent. Et

quidem artis non vilis, studiiq; utilis Reipubl. in
 quâ quis versatur, jura plenè perfectèq; nosse, &
 dextrè exercere posse: at minime ad exactam ju-
 risprudentiam sufficientis, quam intra istius can-
 cellos concludi male sibi persuadent. Si non ali-
 unde constare posset istius opinionis error, ad ar-
 guendum sufficeret ipsa justitia, cui jurispruden-
 tia inservit: Par quippe justitiæ nisi sit jurispru-
 dentia, utiq; non est ipsa, ubi multa illius extra
 ipsam remanent, ideo sui studiosos ignaros vel
 non solidè informatos relinquent, illi idonea. Et
 vero justitiæ virtus latissima, non uni vel paucis
 populis, sed toti orbi addicta atq; necessaria, per
 omnes personas & res omniaq; negocia & actiones
 orbis pervadens, in omnibus, quæ cum aliis ullâ
 ratione intercedere queunt, investiganda atque
 servanda. Multo hæc latior est iis, quæ ex Ro-
 mani Juris Civilis & Canonici compositione eru-
 ere licebit. Quot & quanta sunt orbis per juris
 regulas normanda & definienda, de quibus nihil
 habent istius libri, nec vel argumentum porri-
 gunt? Non in eum finem sunt compositi, sed
 tantum ut jurisdictioni Imperii Romani, aut qui
 præter illud secum receperunt, inter subditos
 servirent. Nihil ferè & parum istorum neces-
 situdini & negociis, quæ cum exteris intercedunt,
 tributum seu applicatum est, quibuscum tamen
 jurisprudentiâ non minus egemus, uti de jure
 sæpius agimus. Deinde materia ejus juris præ-
 cipua est, quod privatas res concernit, publica-
 rum.

rum, præsertim Romanam rempubl. non attingentium, non nisi obiter, & prout ad istas spectant & incidunt, fit definitio. Quam multa sunt, quæ orbis olim & hodiè in actionibus atq; moribus frequentat, quorum nihil est in istis libris, & tamen necessariae ad jurisprudentiam cognitionis. Ipsimet Jcti juri isti additi agnoscunt, dum egere jusemendatione & supplemento existimant, idq; omnes desiderant, aliqui addere, sed dum nimis isti devincti, non nisi ex compedibus veluti consulere potuerunt, infeliciter tentarunt. Alii per argumenta ab iis, quæ Imperii Romani fuerunt, ad ea, quæ alibi sunt alia, prorogationem moliuntur, unde illa varia sunt conficta, tam plurimorum errorum & depravationum causæ, quam plerumq; existunt incongrua & inepta, non secus ac cervino capiti pictor eqvinam jungere cervicem si velit; ut videre licet ex iis, quæ sumuntur à patronis & libertis ad feudorum dominos & vasallos, seu ad omnia promiscuè patrocina atq; clientelas, à fideicommis ad pacta familiarum, à servis ad proprios homines & rusticos, à municipiis ad nostri ævi civitates, à Præsidiis Provinciæ ad Principes, & quæ innumera sunt alia. Nulibi tamen magis se ostendit jurisprudentiæ impar istorum librorum tenor, quam ubi cum aliis, atque qui ejusdem imperii societatisque civilis sunt, quæstiones de jure intercedunt. Qui licet nobiscum concordant, in juris necessi-

tudine consistere controversiarum finem, attamen illud, quod Romanorum Cæsarium vel Pontificum legibus continetur, ad istum non perinde admittunt, sed ultra quærun & adhiberi volunt. Et licet vel ipsas in forum receperint, ut normam justæ & æquæ, tamen cives ibi saltem, juxta illas judicari volunt, non sua cum exteris ita terminari. Aliter quæ hos justa censenda, & statuenda esse putant. Ex quo fit, ut cum, Juri, qui magna alia utriusque Romani Juris sapientia clarent, negociis publicis Regum, Principum, Civitatum adhibentur, quam domi suæ consultissimi atque ad respondendum dictandumque de jure excellentissimi habentur, tam dum foras sic agunt, jus jactant, per regulas sui juris alios convincere intendunt, non audiantur, inepti fiant, aliquando irrideantur, sed non modo, sed jurisprudentiam quoque quam ostentant contemptam reddant. Unde porro profectum est, quod in dictorio habetur, meros legistas esse pueros asinos. Quæ & similia facile persuadebunt, quanta alia sit studii, quod Juri Justiniano & Canonico tribuitur, utilitas, sicut magnam illam existere nemo sapiens negabit, attamen ad exactam solidamque Jurisprudentiam solum non sufficere, sed hanc isto multo esse latior, seu consideres, qui jure utuntur & invicem conjungendi sunt, seu de quo justa sunt habenda. Ea demum vera plena atque perfecta est, quæ universalis, ut inter omnes faciat communem.

nem justi nexum, & de omnibus justa intelligendi atq; statuendi facultatem.

Progredientes ultra ad investigationem atq; scrutinium ejus juris, quod ita universale omnibus, in omnes & in omnia sit, reperimus non aliud, quam quod naturale, & deinde huic ex consensu gentium superadditum fuit. Natura omnibus peræq; communis, quod de recto dicitur, in universum pro jure servari efficit. Ex ista vera, solida & universalis justæ regula oritur, quâ omnes utuntur, & ex qua omnia mundi, qualiacunq; erunt, accedente rationis dexteritate, censerî possunt & debent. Inde demum struntur, formantur, fundantur, animantur singularum civitatum leges, quæ isti serviunt, nunquam in totum recedunt. Consectarium ergo, ut qui veram jurisprudentiam discere atq; obtinere cupiunt, à cogitatione juris naturalis exordium ducere, & in illa fundamentum scientiæ, quæ est de jure, collocare, suæ cujusq; civitatis leges noscendas intelligendasq; progredi. In quo antea intimius in adyta naturalis juris penetrasse, tam non modo proficuum, sed & necessarium est, quam principia & fundamenta exactè prænosse. Quæ ut in omni, sic etiam in eo, quod civitas unaquæq; per suas leges & mores sibi facit, jure sunt & manent prima & summa elementa. Nec enim civilia jura aliud sunt, quam communis juris, sub diversis materiis & formis ad suas aulas, curias, fora, judicia, domos, applicatio. Quæ

quæcunq; specie prædeant, intus ex illo multum rationis & animam ferè, aut, si ab illo nimis deviant, parum justitiæ habent. Taceo, quod cum civili jurisprudentia omnia comprehendere & formare impossibile sit, etiam qui illa plenissima se frui putabunt, tamen in plurimis iisque infinitis, quæ extra eam accident, se legibus suis destituti sentient, & ideo aliud quoddam latius jus, unde aliam regulam petant, aut suam suppleant, requirere opus habebunt, uti etiam qui Romanæ jurisprudentiæ incumbunt, sæpius experiuntur. Sed quia fontes, unde defectus supplendus, non norunt, à Logicis, Ethicis, Metaphysicis, aliquando & aliis scientiis axiomata, petunt, suaq; faciunt, quæ inde Brocardica juris, quam barbaro tam infauſto juri nomine, appellant. Sic ubi ex iis sententiæ suæ subsidium deficit, ad auctoritates decurrunt, Bartolum, Baldum, similia nomina advocant, omni ratione potiora habent, quia veram quam natura & socialium status solidius validiusq; præberet, non intelligunt. Quæ aliisq; multis studii juridici incommodis in cognitione & praxi unicum ex eo remedium, ut quod Gentium Juris Communis ratione & consensu muniti est, apud omnes in illam existimationem veniat, in eo primum præcipuumq; jurisprudentiæ consistere, ideo ex eo hujus fundamenta jacere, quod civilis juris non aliter quam superficiem in præteritum reputare, illud prius solide explorare & discere, ei deinde,

quæ

quæ civitatum propria, attemperare conveniat.

In anterioribus seculis, quæ Jurisconsultorum præclarissimos vidisse putatur, quam nulla communis istius Jurisprudentiæ cura fuerit, non sine admiratione respicitur. Illorum vix quisquam partem ejus tractat, aut si aliquando attingit, non aliter quam ut Romanarum legum, atque consuetudinum fere unicam rationem habeat, nullam vel modicam rationis, in qua naturale jus est. Non defuere quidem, eum defectum subodorati & emendare solliciti, manum etiam aliquam operi admoventes, at nec suo proposito satisfecerunt, nec aliorum opinioni. Unde contemptim habiti, Scholastici, Theoretici, Philosophi audiunt, paucos lectores, pauciores imitatores nati.

Duplici ex persuasione, sed erronea, Jurisconsulti id studii genus nauseant. Prima est illorum, qui non Jurisprudentiæ, sed Ethicæ, seu Philosophiæ moralis proprium rentur, quod ex sola natura justum est exponere, tanquam ad formationem morum præcipue pertinens, ideo inter philosophicas scientias separatim tradendum, & antequam ad juris studium fit progressus, absolvendum. Præterquam autem, quod longe amplior illius quam hujus materia existit, nec quod moribus scite in vita componendis per istam præscribitur, vel minimam justitiæ partem, ut per hanc omnis vita atque actio hominum re-

gi & innocenter servari debet, absolvit, utique per istam eo fine moribus regula ponitur, quæ homo per istos sibi decorus, aliis placidus & placens, ubiq; bonus appareat; jus autem conditur & traditur, quæ quæ inter homines aguntur, non tantum intra mores singulorum consistant, sed in alios nihil injuriæ habeant, suum, cuiq; juxta recti normam tribuant, & æqvabiliter applicent. Etsi igitur virtutum atq; vitiorum nec non affectuum, ut & per quæ temperare convenit cogitatio, quæ Ethicæ scientiæ propria, multum præparat & facit ad jurisprudentiæ studium, minime tamen cum eo idem, nec miscendum. In proverbium abiit, ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jurisconsultus: Et vere dictum, quod, qui prolocuti, indicare voluerunt, utriusq; esse moralia tractare, sed diverso modo: ab isto mores singulorum, ab hoc actiones omnium, & cum omnibus in curia, foro, campo formantur.

Alter, ab eo quod commendamus studio, aliena sententia est eorum, qui gentium juris communis cognitionem necessariam esse assentiuntur; at præ zelo in Corpus Juris Justiniani huic soli tribuunt, in quo fundamenta jurisprudentiæ locamus, inde satis ejus hauriri posse sibi imaginantur, imperitioribus persvadent. Ideo quod illius dignitatem & sufficientiam, dum ultra illud parum sapiunt, tueantur, asserere audent, non alio, præter istius cognitionem,
ad

ad discendum communis gentium juris præcepta, studio opus esse. Verum etsi non nego, aliqua non pauca isti inserta reperiri, præsertim JCtos veteres, ex quorum scriptis leges Pandectarum decerptæ sunt, in æquitate naturali, quæ potissima istius pars est, decisiones atq; traditiones suas fundasse, ideo penitioem istarum contemplationem atq; discussionem multum ad utriusq; primævi & secundarii juris notitiam facere; tamen longè minus est, ac ut ad juris artem sufficiat, quæ longius, uti vidimus, se extendit. Nec quæ insunt, aut per se patent, aut eâ, quâ patescere aliquvaliter possent, diligentia tractantur.

Sub nostro vero ævo jurisprudentia meliorem felicitatem adeptæ est. Plures nunc oborti, qui plurimum & præcipuum istius in cognitione juris gentium communis existere, & sine hac illam integre exacteq; edisci non posse credunt, ideo ex iis ingenio & docendi cupiditate præstantiores non modo ipsi multum curæ atqve industriæ illius principiis, axiomatibus & derivationibus impendunt, sed etiam ad illam aliis viam aperire, & faciliorem reddere, eruditæ scriptis tentarunt. Imo etiam eò nuperis annis hujus studii æstimatio non apud JCtos modo, sed Terrarum Dominos atqve Principes profecit, ut Academiis & Gymnasiis ea jurisprudentiæ, ex naturalibus & consensualibus (ut ita loquar) gentium præceptis & dictatis, tanquam funda-

fundamentalibus regulis, disciplina commendata sit, atq; Professores ejus peculiare constituerint. Lucernam prætulit incomparabili ingenio atqve eruditione Præcellentissimus Vir, HUGO GROTIUS, quo antea scitius & solidius nemo jurisprudentiam, juxta gentium jus commune, explicuit. Præcipue quidem circa Belli Pacisque justa occupata fuit istius laboriosa operæ: attamen nec obiter etiam circa alias potiores de jure quæstiones, fundamenta atqve axiomata, ejustraxit. Quantum de prædicanda est Summi Viri industria & studii utilitas, tantopere dolendum, quod istam non eadem dexteritate ad omne, quod juris scientiæ est, extendit. Reliquit hæc aliis, viamque monstravit, quam aliqui postea ierunt. Quorum scripta de eo varia in lucem prodierunt. Et ut in eo statuendi scribendiqve genere multum ad jurisprudentiæ felicitatem situm esse semper existimavi, isto nihil prius & antiquius habendum duxi.

Annus jam agitur trigessimus sextus, ex quo ad Academiæ Gryphiswaldensis Professionem Juridicam vocatus, post deprehensus in juris studio defectus, etiam de eo modo jurisprudentiæ, disciplinam ad vera sua principia deducendi, cogitare, inde & laborare cœpi. Destinatum erat primo justitiæ veræ, & quæ de hac est scientiæ, fontes ex ipsa natura, post hanc ex consensu populorum rationabili eruere & aperire: Deinde post illos demonstratos, certas quasdam regulas seu


seu axiomata juris, circa ea, de quibus jus quæri
 & dici solet, ut communia & immota Princi-
 pia, ex iisdem formare, quæ instar Institutionum
 & summarum Regularum juris haberent. Ter-
 tio inde porro definitiones justæ & injustæ per
 singulas materias, quæ sub quæstione juris ver-
 santur, tanquam derivatos ex fonte rivos, expo-
 nere. Sed vix inceperat instituti delineatio,
 quando fata cum Academiæ tum Mea me ex vo-
 catione ad Syndicatum Civitatis Stralsundensis
 migrare compellerent. Cum mutatione fun-
 ctionis studiorum & laborum, ratio mutata non
 sivit ex destinato progredi, propositum tamen
 non mutavi. Si quod mihi otium contingebat,
 etsi modicum, super eo, velut horis intercisivis, ex
 isto pro oblectamento quid resumebam, animo,
 etsi sæpe curis gravioribus presso, persuadens,
 non aliam quam in eo sui recreationem esse posse.
 Inde per Superiorem Voluntatem ad hoc, quod
 hætenus oboeo munus, ire iussus, tanto lu-
 bentius & diligentius telam cœptam contexere
 volui, quod non sine Numinis providentiâ me
 ad eam stationem pervenisse credidi, ubi im-
 posterum quidquid in me esset studii, laboris atque
 curæ, justitiæ cultui esset devotum, ideo & hoc
 injunctum, ut quidquid temporis, a jurisdictio-
 ne Regiâ Directioni meæ Clementissimè concre-
 dita, vacuum, ad operam jurisprudentiæ emen-
 dandæ destinatam, rediret. Redii & ego ad ean-
 dem, & licet opinione sperati istius vacui, ut mi-
 hi

hi concēperam, inter plures gravissimas commissiones, ablegationes, aliasque injunctas operas, frustratus sum, tamen has non sivi studio ulterius impedimento esse, quam ut necessariæ fuerunt, ideo nec ultra obfuerunt, quam ut tardius conficerem. Aliquid tamen ex iis porro molitus sum, & eousq; promovi, ut & intentio mea & studium non neglectum & desiderium aliorum, qui me sapius incitarunt, non posthabitu intelligi possit. Quod per multos annos, pro communi Gentium jurisprudentia, inter varias multasq; operæ interruptiones congesi, tandem exhibere decretum. Primum & secundum præmemoratae destinationis in charta est, & ad typos properat. Tertium ut destinatum, exprimere hæcenus occupationes non siverunt: Nescio, spondeam. Fortè postquam illas viribus deficiens ætas, nec ita ut olim laboribus his inter alia officii opera sufficiens, & quod ex vita residuum fata determinarunt, præstare non sinent. In voluntate tamen meâ nihil desiderari unquam patiar. Cui pro justitiæ & jurisprudentiæ cultu sincero deditæ, non ostentationi aut temeritati conatum Lector imputa, & si quis arguet, excusationem concede. Præscio quam multis reprehensionibus, quæ prodibunt futura, sunt obnoxia; nec aliter fieri potest, ubi aliter multi sentiunt, aliqui etiam non capiunt, alij nisi quod suum non approbant. Haud vero curo, aut reformido. Novi operis

PRÆFATIO.

Operis non alia sunt fata. Quam multa etiam defint & culpabuntur, inculpabile manebit ipsum studium. Si æquus est, qui carpere velit, quærat ex se, cur hæcenus non fecerit melius, & ostendat aliis, quod meliora atque utiliora orbi præstare valeat, atque sugillationes istius magna ipsiusmet laude pensabo. Forfan si mihi id quod aliis otium adfuisset, plenius expectationi iudicisquæ non modo, sed & publicis usibus satisfaceret. Quò tum operis fundamenta & progressus, tum juris fontes atque præcipua axiomata constarent, juxta ordinarium scientiarum atque artium à generalibus ad specialia progressum, Prodromum præmittere placuit, juris Gentium communis primævi & secundarii indicem, ad cætera, quæ plenior tractatus exponet, manu ductorem; qui Te Lector & de Instituti ratione, & de jurisprudentiæ nativæ conditione, & Studij juridici recta & proficua methodo informabit.





JURISPRUDENTIÆ GENTIUM COMMUNIS ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ,

Veram Gentium Juris Constitutionem & conditionem exponentia.

INSPECTIO PRIMA.

De Origine & Progressu Gentium Juris.

- I. *Fons omnis justitia in & ex DEO est.*
- II. *Jus homini à DEO concreatum & appropriatum ut naturale.*
- III. *Cum homine jus cœpit, sed primitus lege nullâ nisi unicâ editâ.*
- IV. *Depravatio hominis quomodo exorta.*
- V. *Hujus effectus.*
- VI. *Mansit sub ea jus naturale, & qua ejus inter populos sub initiis mundi vis.*
- VII. *Primæva probitatis ratio & mutatio.*
- VIII. *Ante diluvium an lex aliqua positiva fuerit?*
- IX. *Restauratio primæ probitatis à DEO destinata, & ex quo medio.*
- X. *An Noachæ, & ejus posteris, jus, quod Noachidarum dicitur, à DEO prescriptum fuerit.*
- XI. *Ex societate auxilium pro jure contra injurias quasitum.*
- XII. *Renovatio legis naturalis in Decalogo.*
- XIII. *Promulgatio hujus apud Hebræos, sed obligatio omnium gentium communis.*
- XIV. *Adjumenta disciplina naturalis varia adhibita.*
- XV. *Restauratio juris, per reparatorem salutis humana.*
- XVI. *Christus*

- OX XVI. *Christus in Novo Testamento non aliam, sed eandem legem naturalem exposuit, & quomodo.*
- XVII. *Naturale jus Divina lex est.*
- XVIII. *Ei accesserunt leges civitatum.*
- XIX. *Quomodo quæq; gens jus aliud sibi condidit.*
- XX. *Deus peculiare Hebræo populo leges dedit, quæ aliis gentes non obligant.*
- XXI. *Jus gentiū secundarium ex civitatibus enatū, & quale.*
- XXII. *Quando hoc capit, & quomodo.*
- XXIII. *Jus aliud accessit ex judicatis.*
- XXIV. *Juris divisio & diversæ species.*
- XXV. *Nomen juris quomodo diversim accipitur.*

I.

Ens juris Justitiæq; primus non alibi, quam in Deo, ut omnis boni autore, quæritur. Qui Ens justissimus est, tam essentiali suâ, quam actione; Juxta Propheticum illud: *Justus es Domine, & justæ sunt judicia tua.* Justitia illa Divina est rectitudo quædam absoluta atq; substantialis. Secundum illam Deus omnia ab æterno egit, singula in principio rerum condidit, postea in tempore constare voluit. Ad illam res orbis destinatæ atq; formatæ fuerunt. Quando itaq; Deus cuncta talia creavit, qualis fuit, atq; qualia essentiali suæ convenerunt, ipse justus non potuit non ad justitiam illam mundana componere & redigere. Ratione duce illud principium justitiæ Philosophi retrospecterunt, Deo soli istud tribuentes. Pythagoras, ut refert Jamblichus, in vita ejus, à Diis universam duci voluit justitiam. Chryssippi lib. 3. de Diis, de Stoicorum sententia, leguntur verba: *Non posse inveniri principium aliud justitiæ, quam ab Jove, & communi natura. Inde enim initium duci debet, ubi de bonis malive discernendum est.* Eo pertinet, quod Poetæ finxerunt, Justitiam ab

ab ævo Jovi asfidere, ut rectricem omnium, quæ Jupiter vult, decernit, agit.

II. Qui ad imaginem suam hominem creavit, DEUS, hominem non modo voluit jure instructum, justitiæque deditum, sed, ut esse posset, creavit. Isti itaq; quam primo corpori humano inspiravit, & per traducem in omnem progeniem transferri voluit, animæ propriam fecit rationem, & in hac accendit lumen, ex quo noscerentur, & amarentur justa; construxit facultatem plenam, unde confierent; superaddidit plures dotes, ex quibus homo ad cuncta sufficeret. Cum naturâ sic homini implantatum jus à DEO & natura cœpit, infixum mentibus ab illarum primordio. Ex quo Apostolus ad Roman. 2. v. 15. *Τὸ ἐγγὺν τῆς νόμου ἡ καρδίαν ἐν ταῖς καρδίαις ἔθνων, opus legis scriptum in cordibus gentium*, dicit. Quam originem, ductu rationis, reperit Cicero *lib. 1. de Legib.* *Nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neq; opinione, sed naturâ constitutum esse jus.*

III. Hominis itaq; & juris humani eadem sunt initia. Illi condito hoc inditum. Quando enim Deus hominem ad imaginem suam, adeoque perfectio intellectu, exacto judicio, recta voluntate, primitus creavit, mens justa, essentialis justitiæ velut effigies, juris loco ipsi fuit. Nec integræ & ad justitiam compositæ voluntati opus erat, præter suam integritatem, vivendi agentisq; regula. Una itaq; saltem in Paradiso edita legitur sanctio: de arbore scientiæ boni & mali non comedas; quo esset divini cultus externum symbolum, publicæ religionis insigne, observantiæ Deo debitæ theatrum, humanitatis à lapsu non alienæ argumentum, ideo ab isto cavendi diligentis incitamentum, constantis in vita incorrupta documentum. Nec enim nisi inde Dei timor, amor & obedientia palam constare videbatur.

De cætero suæ relictus est homo integritati. Sic humanæ naturæ insita justitia naturalis. Inde jus naturale existit, quædiu natura mansit incorrupta, incorruptum. At ut unicæ legis observantia documentum fuisset servatæ omnis juris connati: Ita ejus violatione hoc omne violatum & abjectum. Nihil non delicti in prohibito esu fuit. Uti indicant, quæ scripsit Tertullianus *in lib. adversus Judæos: In principio mundi* (inquit) *ipsi Adæ & Evæ DEUS legem dedit, ne de fructu arboris plantata in medio Paradisi, ederent, quod si contra fecissent, morte morerentur. Quæ lex eis sufficeret, si esset custodita. In hac enim lege Adæ data omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt, data per Moysen, id est, diliges Dominum DEUM tuum de toto corde tuo, & ex tota animâ tuâ, & diliges proximum tibi, tanquam te. Et non occides, non mæchaberis, non fraudaveris, falsum testimonium non dices. Honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces. Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in Paradiso, quasi matrix omnium Præceptorum Dei. Deniq; si Dominum DEUM suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent, si proximum diligerent, id est, semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atq; ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate faciundo contra præceptum DEI. A furto quoq; abstinuissent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu Domini DEI nostri sub arbore delitescere gestissent. Nec falsum asseveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei, quod similes DEO essent futuri. Atq; ita nec DEUM offendissent, ut patrem, qui eos de limo terra quasi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupiscent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari DEUS sanxerat, omnia præcepta legis posterioris speciali-*

er indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita cognoscimus.

IV. Haud vero conditus est homo justus, ut injustus fieri non posset. Hoc essentiali justitiæ, quæ in Deo est proprium, homini ab initio non datum fuit, sed liberum arbitrium. Assuetudine, ac divinâ confirmatione, ut stabilita est Angelorum bonitas, sic & illa perpetua fieri potuit. Antequam vero eo perfectionis pervenit, concreatum fuit mutabile & arbitrio relictum. Per Diaboli itaq; insidias & suam inconsiderationem ad violationem unicæ illius legis seductus, factus est transgressor omnis, quæ ista velut compendio continebatur, obediendum esse divinis institutis. Hinc peccator universalis quicquid divinæ gratiæ erat amittere meritus, totus corruptus & perditus. Chrysostr. *in Homil. de Interdict. Arbor. Adam simplex fuit, astutus contra diabolum non fuit, dum enim diabolo persuadenti, plusquam Domino comminanti, consensit, & vitam quam habuit perdidit, & mortem quam ignorabat, accepit.* Ex isto lapsu protoplastorum natura generis humani depravata est, quicquid insitum naturæ cum ea à perfectâ integritate descendit, fundamenti sui mutationes secutum. Ex hoc absoluta mentis rectitudo desit. Redditi inde sunt homines, ut Paulus ad Ephes. cap. 4. ait: *ἐσκοτισμένοι τῇ ἀνομίᾳ ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τῆς Θεῶν, ἀπὸ τῆν ἀγνοίαν τὴν ἔσεν ἐν αὐτοῖς, ἀπὸ τὴν πῶρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν.* *Animo caligantes à divina vita alieni, per eam quæ præditi nunc sunt ignorantiam, voluntatisq; sive cordis eorum torporem.*

V. Ex illo lapsu amissæ primo sunt dotes, ex quæ singularis divina gratia hominem idoneum effecerat, ut posset esse exactè bonus & immortalis, redditus post eas ademptas malus & mortalis. Deinde & naturæ vires val-

dè infirmatæ & depravatæ sunt, ad malû proclives. Non intellectui, non voluntati, non iudicio sua mansit integritas. Cuncta labefactata, & velut in tenebras conjectus homo, in quibus non caperet lucem. Ipsa tamen natura superstes fuit, & homo animam ratione præditam, ex qua à cæteris animantibus differt, retinuit. Quidquid igitur rationi naturaliter inditum mansit, etsi valdè corruptum, obscuratum & fragile. Quando autem hæc juri apta fuit condita, jusq; illi insitum, quod naturale ex jure fuit, non plane desit. Nec enim totum interire potuit, ubi ratio mansit. Hæc vero desinere nequii, homine, cujus ista forma naturalis est, manento. Inde in humanis mentibus manserunt, cum ratione reliqua, quæ hujus sunt. At talia ut hæc est infirma viribus, offusa tenebris, impedita affectibus, prona ad errores & pravitates, ex se inops subsidii. Augustinus *lib. ad Marcellin. de Spirit. cap. 28.* *Non usq; adeo in anima humana imago DEI terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta remanserint. Nam remanserat utiq; id, quod anima hominis nisi rationabilis esse non potest. Intellexit amissam integram rectitudinem, reliquam tamen ejus velut umbram, Cicero qui *lib. 3. Offic.* scripsit: *Nos veri juris germanæq; justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus, umbra & imaginibus utimur, eas ipsas utinam sequeremur.* Illas reliquias Propheta Esaias *cap. 42. v. 3.* vocat arundinem quassatam & ellychnium langvescens. Hoc magno sui solatio, promissionem à DEo accepit, quod plane perfringi aut exstingvi non debeat. Divinæ justitiæ congruit, relinqui legis notitiam & sensum, in animo rationabili, ut superesset, ex quo homo admoneretur de justis, incitaretur ad justa, convinceretur injusti, metueret mali pudorem, hominum odium, divinam vindictam, evitaret iudicii divini extrema, addu-*

adduceretur tandem ad desiderium emendationis, & licet hæc suas vires superaret, tamen eo redire cuperet, reparatoris gratiæ non resisteret. Ex istis est, quod nulla hodie superest homini aut vitæ prævæ excusatio, aut de condemnatione querendi causa, dum per eas evadendi est aliqua relicta ansa & via. Quomodo arguit & ante oculos gentibus posuit earum Apostolus in *Epist. ad Roman. cap. 1. & 2.*

VI. Diu orbis aliam non habuit legem, quam naturalem, nec alium Rectorem, quam Spiritum DEI, qui fuit in ratione concreata tanquam Duce & Luce ad justa. Præceptores accesserunt Patriarchæ & Patres-familias, hortatu & exemplo cæteris præeuntes. Nec de iis scripti quidquam fuit. Fabula est, quod de libro Razielis Adæ tradito Hebræi nugantur. Mundus nondum penitus corruptus, à sua integritate recens, & pravis moribus nondum imbutus satis, habuit sine alia lege, juxta rationis dictamen ex naturalis juris insitis principiis agere. Sufficiens est citra corruptionem natura rectitudinis magistra. Cicero *lib. 5. de Finib. Sua cuiusque natura ad vivendum dux est.* Ut ab eâ minus deflexerunt, qui in mundi infantia vivebant, ita integrius egerunt. Quos Chrysothomus inde *admirandos* vocat, quia legibus non egebant. Seneca *Epist. 90. Primi mortalium quicquid ex his geniti naturâ incorrupti sequebantur, eandem habebant & ducem & legem commissi melioris arbitrio.* Tacitus *lib. 3. Annal. Vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant, neque premiis opus erat, cum honesta suo pte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum verabantur.* De iisdem Archilochus Græcus, in Epitheto temporum, ita scribit: *Musæus Phœnix Damascenus lib. 97. Historiarum afferit, ante Nivum ferme CCL. annis fuisse inundationem*

serenarum, tamq̄, recenti celo & rudi humano genere vixisse auream vitam, in qua nullo ferente leges, natura ipsa vivebatur, quousq̄, Ninus & Semiramis arma gentibus intulerunt, & auream vitam vivere ceperunt. Illud aureum seculum fuit, quod in Poetarum aliorumq̄, scriptis multoties celebratur. Fabii Pictoris dictum legitur: Ea aetate nulla erat Monarchia, quia mortalium pectoribus nondum haeserat ulla regnandi cupiditas, Principes justis erant, religionibus dediti, jure habiti Dii sunt; non enim arbitria illorum ab aequo, aut populus à jure innato discedebant, nullo tunc vindice aut metu, sed sua sponte retinebant fidem & rectum. Pudor ipse regebat populos & jus Principis.

VII. *Causa primævæ probitatis fuit simplicitas. De qua Macrobius lib. 2. ad Somn. Scipion. Primum inter homines mali nescia & adhuc astutia inexperta simplicitas. Per hanc ignorata diu aut non curata quæ vitam moresq̄, corrumpebant. Seneca Epist. 90. Ignorantiâ rerum innocentes erant. Ut & de Scythis Justinus lib. 2. loquitur: Erat in iis ignoratio magis vitiorum, quam cognitio virtutis. Per eandem fuere incuriosi aliorum, ac quibus egebant, ut Josephus ait, μηδεμία ξενισόμενοι ψυχὴν Φεγυίδι, nullis curis turbidum habentes animum. Inde facilius astrictiusq̄, sequebantur ductum simplicis rationis, ut vis ejus erat reliqua. Adeo qui in mundi infantia vixerunt pueris similes, in quæis & hodiernum pravitas non adeo se exerit; invalescit cum ætate. Adfuit continentię vinculum & velut claustrum, ex educatione atq̄; domestica disciplina, quæ sub primo rerum statu velut cognata jurisdictio per patresfamilias majore vi & rigore potuit exerceri, inde & discebatur levius, & corrigebatur facilius, & metuebatur gravius. At ut à pristina simplicitate descivit genus humanum, reliquit antiquam mo-*

rum

rum probitatē, eo malitiæ pravitatisq; delapsū, ut quomodo DEus *Genes. 6. v. 5.* queritur, multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, ideo & ipsum creatorem creaturæ pœnituerit, tactum dolore cordis intrinsecus, & cogitantem quomodo deleret. Causam tantæ perversitatis ibidem notabiliter *v. 3.* exponit: *Non contendet spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* Significat, quem indiderat homini de suo spiritum unicum rectorem integritatis, depravato licet homine, superstitem, contendere in homine, ut depravatos vinceret affectus, frenumq; cupiditatibus imponeret, [ad quam luctam carnis & spiritus respicit Apostolus ad Roman. cap. 6. & 7.] sed non posse prævalere nec perpetuo superaturum. Id vero ex eo proficisci, quod homo est caro, hoc est, quod carnalibus de ditis, spiritum, & quod per illum suggeritur, nihili facit & supprimit. Quando & qua via illuc deventum sit, addit cum ibidem tunc alibi Sacra Scriptura, ut ex aliis scriptoribus, aut mentis collectionibus id ipsum scrutari opus non sit. Ait Moses, hoc evenisse multiplicatis hominibus, cum quibus multiplicata vitia, inde corrupti magis mores, infracta remedia. Prima refertur in eo corruptela, quod videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt uxores ex omnibus quas elegerant. Notantur vagæ libidines, inordinatæ conjunctiones, ascita connubia earum, quæ sub specie plausibili intulerunt in domum multa vitia, ex quibus familiaris corruptæ, domesticæ disciplinæ frenum laxatum, exempla pernicioſa, educatio depravata, adeo quod antea mores continebat redditum invalidum. Accesit altera, ex sumpta & crescente aliquorum potentia; De qua sic Moses: *Gigantes erant super terram, in diebus illis, isti sunt potentes, à seculo viri famosi.* Ita quia

quia inter eos, qui natura pares essent, nec accipi, nec excoeri poterat, sine aliqua in ceteros injuria, coepit inde jus in manu haberi, & exinde vitae genus giganteum seu violentum, ex quo, ut Seneca loquitur, in ferarum ingenia homines transferunt. Ad quod tempus Graeci respicientes, dicunt fuisse homines *χειρόδικας*. Post duplicem hanc depravati orbis causam addit Moses *d. cap. 6. v. 11. Corrupta autem est terra coram DEO* [hominibus vita illa valde placebat, quæ DEO invisæ] *& repleta iniquitate.*

VIII. Annon ante diluvium præter naturæ jus aliarum leges fuerint? frustra inquiritur: dum veritas nullo existente antiquitatis ante illud testimonio nullibi reperietur. Sacra Scriptura, quæ unica est illorum temporum testis, nullam alicujus legis mentionem habet. Abstinemus itaque rectius ab ineptiis prolixè scrutantium & disceptantium, quæ sunt istorum. Parum eam scientiam profuturam præscivit DEUS, qui nihil de eo expressum remanere voluit. Causa sine dubio adfuit, cum mundanis cæteris & omnem memoriam actorum atque morum corrupti orbis undam abolevisse. Si ex conjecturis quidquam de eo præsumendum, vero similis, primum mundum aliis legibus non caruisse, cujus argumenta præbent, societates inter populos & in populis, sine certa lege vix coeptæ aut cultæ: Civitates & urbes conditæ ordine vivendi agendique sine dubio instructæ; Potentia aliis dominantium ideo forte & obsequiis modum dicentium. Quidquid tamen ejus fuerit, aut non fuisse justum, aut perinde sprellum displicuisse DEO, diluvii consignatæ causæ & acta testantur.

IX. Destructæ penitus hominum integritatis, inde in universum corruptæ omnis viæ restorationem, DEUS meditatus, in justissima ira exitium hominum elegit

git tanti mali remedium diluvio perditurus, quidquid eorum erat, servato solum Noacho cum suis, quia, ut à Mose scriptum erat, vir justus atq; perfectus in generationibus suis, & cum Deo ambulavit. Scilicet ita exercere voluit præteritæ malitiæ ultionem, ut sub ea remaneret, tum fiduciæ, quæ in innocentia ponenda esset argumentum; tum melioris impostero instituentæ vitæ præco & exemplum. Deerant in ipso causæ depravationis, & ex disciplina viri probi & domus incorruptæ erat spes emendationis & emendati status prorogationis. Haud tamen ex merito, sed ex gratia servatus est. Ita enim Moses: *Noe invenit gratiam coram Domino.* Non tantum sui causa, sed & pro posteritate, quæ eguit informatore. Et vero Seneca lib. 3. *Natural. quæst. cap. fin.* putavit sic futurum, si aliquando unda absorberet, quidquid est orbis. De quo sic fatur: *Peractò generis humani exitio iterum aquas terra sorbebit; natura pelagus stare, aut intra suos terminos furere coget, & rejectus è nostris sedibus in sua secreta pelletur oceanus, antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturq; terris homo inscius scelerum & melioribus auspiciis natus. Sed illie quoq; innocentia non durabit, nisi dum novi sunt. Cito nequitia surrepit, virtus difficilis inventu est, rectorem ducemq; desiderat: Etiam sine magistro vitia discuntur.* Ita evenit post illud, quod jam factum, diluvium. Vix integritatem servavit Noach vino deditus. Corrupta ejus posteritas primo voluptatibus, cui vinum, inservierat; postea etiam ambitione, quam Historia, sacra per structuram Babylonicæ turris denotat. Diversæ inde cupiditates distraxerunt animos, in diversa studia istis congrua. Quo respiciens Salomo, dicit *Eccles. 7. v. 30. Deus creavit hominem rectum, sed ipsi quæsiwerunt sibi cogitationes multas.* Deviarunt per talia à ductu

â ductu rationis, adeoq; jus naturale parvi fecerunt. Cujus per vitia hominum infractam vim secuta est promiscua libido, & pro viribus sumta licentia, ut justum redditum sit, quod potentioribus placuit. Qvale impiorum legitur dictum *apud Scriptorem libri Sapientia cap. 2. v. 11. Sit fortitudo nostra lex justitia.* Quo Luciani illud spectat: *Mensurâq; Juris vis erat.* Simile est illud: *Stet pro ratione Voluntas.*

X. Quod post diluvium præter doctorem, hortatorem & exemplar integritatis, leges quasdam DEUS humano generi in univèrsam dederit, historica fide certa non constat. Sacer Codex nihil ejus meminit, sed tantum repetit, quæ sub prima creatione DEUS homini significaverat. Ex quo hoc argumentum, DEUM liberato ab undis orbe, talem velle hominem animo, vita, moribus, qualem condiderat. Explicationem Viro, quem sine dubio plenius spiritu suo informaverat, reliquit. Traditur vero ab aliis etiam doctis viris, communem quandam legislationem accessisse, nec mirum, eam in sacris nõ fuisse expressam, cum nihil ejus fuerit, nisi quod mentibus inscriptum; ex ratione, aut, si ea sperneretur, longævorum Patriarcharum, doctrinâ & præceptis, inde in posteritatem traditione, veteri & divinitus in sacris commendato informationis modo innotescere, & commendata esse posset. Si ex eo, quod vero affine, sentiendum & scribendum, non possem non astipulari aliquid legis Noacho divinitus datum, ab eo proli in orbem divisione factâ discedenti redditum & commendatum. Verosimile fit, quia omnis caro viam suam perverterat, & homines DEI Spiritui reluctabantur, nec spes erat spontanæ emendationis, non sibi soli hominem relictum, sed aliis connatæ nec per aquas penitus ablutæ perverfitatis repagulis â DEO subditum fuisse. Patrum ex eâ emendatum

tum esset, nisi his injectis. Memoria communis cladis tanto celerius desit, minusq; terruit, quod DEUS se non amplius mundum ob peccata deleturum signo fidei in nubibus posito asseruerat. Vetus Judæorum traditio est, quam Rabbini in scriptis tuentur & sequuntur, statim à diluvio Noachi progeniei, atq; ita universo generi humano, leges aliquas præscriptas fuisse, quas ideo jus gentium Noachidarum, quia eo omnes à Noacho descendentes tenerentur, vocant, & cum præter unum cætera id quod naturalis legis continent, aliquando jus naturæ. Harum mentio in illorum scriptis frequens, saltem quod ex iis congestit. Maimonides in Halach Melakim cap. 9. pro notitia adscribam: *De rebus sex mandata accepit Adam, seu primus homo, de cultu extraneo, de maledictione Numinis, de homicidio, de revelatione turpitudinum, de rapina seu furto, & de judiciis; tamen hæc cuncta apud nos sine recepta à Mose Magistro nostro, atq; ejusmodi sint, ut sententia humana in ea præ cæteris, quæ legis corpore habentur pronius inclinet: Liqvet etiam præter hæc Noacho mandatum traditum esse, de membro animalis viventi, juxta illud, carnem in anima sua sanguine suo, non comedetis. Ita sunt septem præcepta. Atq; ad hunc modum serres habuit per universum terrarum orbem, usq; in Abrahamæ tempora. Insuper autem illi præceptum datum est de circumcissione &c.* Explicationem earum solertissimus Hebraicarum antiquitatum indagator, Seldenus, integro tractatu, doctissime edidit, ad quem lectorem remitto. Quomodo latæ sint, non eadem traditur sententia. Quidam immediate ex ore DEI ad Noachum profectas; Alii à Noacho ex dictamine interno sancti spiritus proli suo dictas; Alii hujus consensu ex divina inspiratione velut communem imposteriorum mundi legem conventam & ad posteritatem traductam credunt,

dunt: Utcunq; processerit, divinam fuisse Hebræi non scriptores modo sed & totus populus crediderunt. Ut etiam veram, sic ab omni gente observandam putarunt. Quod declaratum in receptione profelytorum, qui duplices, justitiæ & domicili: illos baptismo, circumcissione & oblatione inauguratos omni suæ politiæ, legi, submiserunt, præterquam uni & alteri, in sui præeminentiam reservatæ; Sed hos illa Noachidarum lege vivere siverunt, & illi se obstringentes in civitatem receperunt. Inter Christianos scriptores non pauci sunt, qui veritatem istius Hebræicæ traditionis sibi persvadent. Argumenta suæ opinionis petunt: Primo ex præcepto divino *Levit. 18. Judicia seu Jura mea facietis, atq; statuta mea custodietis, ut in eis ambuletis; Dominus Deus vester.* In quo verbum statuti de lege per Mosen publicata, vocem juris de naturali jure, & quidem omnibus Noachidis dicto interpretantur. Et quidem si istud, ut etiam saniores Theologi faciunt, ad jus naturæ pertinet, utiq; ad hoc non malè referretur, si vere unquam latum, de quo quæstio est. Sequuntur autem interpretationem Rabbinicam, quam consignavit Gemara Babylonica *tit. Jama cap. 6. Traditio est Rabbinica illud, jura mea facietis, intelligendum de rebus ejusmodi, quæ tamen scriptis nondum mandarentur, mandari tamen per se debuerant, veluti de cultu extraneo; revelatione turpitudinum, homicidio, rapina seu furto, & maledictione nominis: Illud vero, statuta mea custodietis, intelligendum de rebus, quas non solum mens humana protervior, verum etiam gentes mundi impugnabant; quales sunt esus porci, amictus heterogeneorum, mūs calcei in fratria renunciatione exuendi, uti & teprosum mundandi, hircus apopompæus. Ne vero obiceret quis, res hujusmodi esse inanes, expressim adjicitur, ego Dominus, ego Dominus constitui eas. Unde nec tibi*
licet

licet eas in controversiam revocare. Secundum sumitur ex scriptis Jobi, in quo omnia illa, quæ legis istius fuerit, contineri præallegatus Seldenus in *tract. de Jur. Natural. & Gent. juxta disciplin. Hebra. Lib. 7. cap. 11.* prolixius deducit. Legis in illo argumenta, quæ multo antiquiorem Decalogi legem gentibus fuisse arguunt, quia Job juxta Eusebium *lib. 1. demonstrat. Evangel. cap. 5.* & genealogiam Mosaicam *Genes. 36.* (ubi Jobabus, quem cum isto eundem esse argumentis verosimilibus traditur, ex Abrahamo quintus,) duobus seculis ante Mosen in ista septimum vixit. Eodem utitur Augustinus, ad convincendum, inter gentes fuisse, qui legem DEI observarunt, quod secundum DEUM vivere dicit, *de civitate DEI lib. 18. cap. 47.* Homines inquit, quosdam non terrena sed cælesti societate ad veros Israelitas, supernæ civis patria pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt, (Ebrai) quia si negant, facillimè convincuntur de sancto & miserabili viro Job, qui nec indigena, nec profelytus, id est, advena populi Israel fuit. Sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est, qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam pietatemq; attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Quæ tempora ejus quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israelita in auctoritatem Canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse, quam Israel. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eiq; placuerunt pertinentes ad spiritualem Hierusalem. Tertium præbere videntur scripta prophetica, habentes non pauca, quæ gentilium peccata, variè reprehendunt & castigant, eaq; præsertim talia, quæ jus illud Noachidarum continet: Judicium legis divinæ præcedentis est iræ & vindictæ divinæ

divinæ intimatio. Quartum sumitur ex dictis Christi, quando Matthæi *capit. 6.* legem divinam explicat, ut ab omnibus gentibus servandam, ne solum Hebræis, quibus Decalogus datus fuerat, id proponere videretur, sed & gentibus, quæis Evangelium prædicandum erat: utitur hac phrasi, veteribus scriptum est, quasi ad legem isto antiquiorem & omnibus datam respiciens. Quæ alia existere nequit, quam per traditionem Hebraicam memorata. Quintum ex canone Synodi Hierosolymitanæ, ab Apostolis sub Ecclesiæ primordiis Anno post natum Christum L. Claudii Cæsaris IX. quæ existat in Actis Apostolorum *cap. 15. v. 28.* *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hac necessaria, ut abstinatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato & fornicatione, à quibus custodientes vos bene ageris:* addunt multa exemplaria antiqua, magnæ authoritatis, etiam à Patribus usurpata: & quæ non vultis vobis fieri, aliis nec vos ea faciatis. Sed unde ea gentibus necessaria, nisi ex antiquiori lege? Sed ex qua, nisi quæ erat juxta Hebræorum opinionem, quæ dubitandi rationem fecerat. Abit in aliam sententiam Seldenus *dict. tract. lib. 7. cap. 12.* Sed quæ non convenit verbis Cypriani *lib. 3. ad Quirinum.* In actibus, inquit, *Apostolorum visum est, Sancto Spiritui, & nobis, nullam imponere sarcinam, quam istam quæ ex necessitate est, abstinere vos ab idololatriis & sanguinis effusione & fornicatione. Et quæcumq; vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis.* Sextum porrigitur à Patribus, qui sub primordiis Ecclesiæ Christianæ scripserunt, mentionem facientes legum, quæis olim gentes obnoxie, & quibus per Evangelium non sunt solutæ. Hæc & similia argumenta non quidem necessitatem credendi id jus Noachidarum inferunt, verosimile tamen reddunt, & traditiones Rabbinnicas falsi damnari non

non sinunt: Fidem enim aliquam his conciliant, ut non perperam credatur, aliquod jus divinitus expositum fuisse. Nos in medio relinquimus. Expendat quisque secum eas rationes, & prout movent, credat. Hoc certum, etsi non facta fuerit talium ut à legislatore publicatio, tamen ex naturali ratione mentibus indita & dictata, & sine dubio à Noacho liberis atq; posteritati inculcata fuisse.

XI. Utcunq; id Noachidarum jus per certas leges iis præscriptum exstiterit, attamen nondum ad justitiam solum proficere potuit. Judicii quidem reverentia illi inserta refertur, sed non additum, quomodo & formari, & in suam auctoritatem firmari debuit; relictum hoc hominum sollicitudini & providentiæ: Reliquuum iis tantum ex ratione erat, ut si vellent, reperire possent. Accessit pro instigatore necessitas mala sua sentientium, ex iis quo opus foret, intelligendi, investigandi & adornandi studium. Intellectum autem inter invalescentium vitiorum incommoda non jus deesse, sed juri vim: Qua sine nec inter omnes naturæ integritatem aliquam redire, nec singulis justa esse poterant certa & secuta. Senserunt singuli suis ex animis, quæ cuperent, quæq; improbarent, & qui vel injustissima aliis inferrent, sui tamen causa non semper contra potentiam sufficientes desiderabant juri, quod intus per conscientiam loquebatur, restitutam auctoritatem. Ubi quod ex ratione recta debebat adhiberi, corruptis moribus nimis infirmatum & invalidum erat, aliud ex societate remedium & vinculum post rationem usus insinuavit. Facile ex suâ imbecillitate singuli prospexere, quid sibi deficeret, quamq; id nisi multorum conjuncta virtute haberi non posset. Consideratum inde à prudentioribus, quod de hoc à Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 18. monitum: *Quo alio tuti sumus, quam*
B . quod

quod mutuis iuvamur officiis? hoc uno instructior vita, contraq; incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus nisi prada animalium & victima ac vilissimus & facillimus sanguis, quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quacunq; vaga nascuntur & aetura vitam se gregem armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit. Duas res dedit, quae illum ceteris validissimum facerent, rationem & societatem; itaq; qui par esse nulli posset, si deduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit, Societas terris genitum in aliena natura transivit imperium & dominari etiam in mari iussit. Hec morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit, haec fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare: hanc tolle, & unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes. Per alienas itaq; injurias suaq; mala edocti homines, pro jure servando & consequendo, necessitate impellente, ratione ductrice, praeter communem, quae à natura est inter omnes homines, alias speciales societates justitiae & securitatis praesidia fecerunt, & inierunt: Idq; redditum est commune, hominum remedium, velut communis rationis, & usus. M. Antonius lib. 9. ἐστὶ τὸ λογικὸν ζῶον καὶ πολιτικόν. Quod ratione utitur utiq; & cœtum appetit. Repertum juxta, satis haud fore justitiae causa societates elegisse, velut juris custodiam, sed oporteret illas sic instruere, formare & firmare, ut essent primo amabiles & durabiles, deinde etiam ad finem suum aptae & validae, ut sub iis justa praestari necesse, consequi commodum, pace ac vitae compendiis frui, haud difficile foret. Hoc pro eo hominum statu & consuetudine, praeter jus naturale cum ratione mentibus inditum, alias constitutiones exegit. Imo illud ipsum

per

per has societati ejusq; usibus attemperari opus fuit. Ex quo primo juris naturalis ad societatem applicatio necessaria fuit, quam ratiocinatio humana ad finem suum direxit. Deinde isti per providentiam gentium una cum juris consequendi fiducia vitæ commodæ & tranquillæ simul prospicientium plura superaddita sunt, quæ non ejusdem erant, sed humana inventa, usu exigente reperta & recepta, usibus pro indigentia societatis & securitate vitæ humanæ applicata.

XII. Quidquid vero inter populos finibus & imperiis discretos humana sapientia divinitus adjuncta pro usibus vitæ communis excogitavit, & recepit, quam pulchrum, quam utile, quam prudenter compositum, ex se solum subsistere non valuit. Patuit iisdem vitiis, quæ naturam depravarunt, & hæc inter homines societati vim, quam habere debuit, adimunt. Præcipuum ad juris corruptelam utilitatis & voluptatis antelata æstimatio, & eam habendi cupido. Præ quâ honestatis amor modicus, humanitatis officiorum levis cura. Evulit ideo lex naturæ, aut ubi mansit ejus honor aliquis, applicatione ad civilia, seu socialia, in diversos & seqviores sensus, praxin heterogeniam tracta, verum intellectum & vim amisit. Ex eo in societates invaserunt corruptelæ, dissidia, violentiæ, oppresiones tenuiorum, direptiones & infinita alia mala, quæ instituta gentium misere sunt, deperdita & labefactata, & tamen nemo sine juris prætextu malus & injustus esse voluit; unde post alias calamitates humani generis & ea injustitiam invasit, ut jus esset in ambiguo. Nec aliud remedium, quam ex ipsa lege naturali, quâ nisi benè custodita nihil alterius providentiæ humanæ pro justitiâ poterat esse firmum atq; securum, quippe in qua omnis constitutionis esset fundamentum atq; vinculum; illam itaq; reno-

vari non modo, sed & sanctam reddi oportuit. Utrumq; commune gentium, ex natura & voluntate ortum vinculum alio, quo contineri debebat societas, validiore, quod ad iusta redigeret, & hominum profusas libidines contineret, egebat. Quia nullum religione, potentius, ex hac pertremendum Numen, quod adeo depravatum reparari, & sui reverentia muniri oportuit: DEus ita succurrit, condita & promulgata lege, quam totus orbis perpetuo veneraretur, & communis omnium regula fieret. Consilium illud & beneficium divinum exponit Augustinus *lib. quest. 14. Ubi naturalis lex evanuit, impressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifestari, ut in Judeis omnes audirent, non quod penitus obliterated esset, sed quia maxima ejus autoritate carebant; idololatria studebatur, timor DEI in terris non erat, sed fornicatio operabatur circa rem proximi, avida erat concupiscentia, danda igitur lex erat, ut & quæ sciebantur, autoritatem haberent, & quæ latere cœperant, manifestarentur.* Est ea in decalogo, quod ejus antea jus & pro lege hominum communi erat. At in eam velut sanctionem Numinis postea jus istud redactum, quam rectè omnis legis humanæ compendium dixeris. Brevis licet, infinita tamen complectitur, quæ antea per naturæ jus mentibus inscripta homini pro luce & regula esse debebant. Nulla non juris ad ejus præcepta reducuntur, seu ut principia, seu ut conclusiones, seu ut rationabiliter consona. Perfectam ideo legem illam, Psaltes celebrat *Psal. 19. v. 7.* Ejus argumentum Philo allusione deducit *in lib. de Decalog.* *Impositores primi nominum viri sapientes merito videntur appellasse hanc δεκάδα quasi διχάδα, quod capiat comprehendatq; omnia numerorum genera & rationum proportionumq; Arithmeticarum, ac insuper harmoniarum symphonia-*
rumq;

rumq; &c. Respiciunt verba ad numerum denariū velut ultimum, & qui est in omni computatione, ultra quem nulla est, nec numerus crescit, qui non illum continet. Exponens ista Philonis verba Spinus in *lib. de Providentia* scribit: *bene observatum à Philone, quod decem illis verbis longè plura comprehendantur, & doceantur, quàm quæ tot, & tam magnis Philosophorum, Legislatorū, Jurisconsultorum de ea re conscriptis voluminibus continentur, in quibus nullum verbum extat, de justitia retinenda, de recta rerumpublicarum constituendarum ratione, quod non multo locupletius & doctius decem illis mandatis contineatur.* Non est in decalogo præterquam quod tertium de Sabbatho præceptum habet, nisi quod ingeneratæ legis naturalis; cujus ille renovatio & repetitio. Tertullianus in superius allegato loco: *Ante legem Mosi scriptam in tabulis lapideis, legem contendo fuisse non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur &c.* Intelligimus DEi legem etiam ante Mosén, nec in Ore tantum, aut in Sina & in Eremo primum, sed antiquiorem primum in Paradiso, post Patriarchis, atq; ita & Judæis certis temporibus reformatam, ut non ad Mosi legem attendamus, quasi ad principalem legem; sed ad subsequentem, quam certo tempore DEus & gentibus exhibuit, & repromissa per Prophetas in melius reformavit. Legem inde in se, & ex materia eandem ex modo constitutionis duplicem fecit Ambrosius, in *tr. de Fuga sui*: *Lex gemina est, naturalis & scripta: Naturalis in corde, scripta in tabulis.*

XIII. Quando DEus post omnia in orbe corrupta, cum ex merito istum perditum suo judicio relinquare potuit, ex immensa misericordia servatum, emendatumq; iovit, initii gratiam fecit populo, quem elegit, ut sua velut hæreditas, suus focus, sua civi-

tas esset. Is Hebræus est à Patriarchis Ecclesiæ DEI ortus & ex Ægyptiaca servitute eductus. Inter illos lumen naturale per depravationem mentium obfuscatum & penè extinctum iterum verbi sui manifestatione primo accendit & lucere voluit. Illo tanquam candelabro usus, unde imposita fax in totum orbem luceret. Sicut Propheta de eo vaticinatur: *Ex Zion procedit Lex & splendor Domini.* Nec enim moribus humanis formandis edita DEUS voluit populi istius sui singularia, sed communem totius generis humani legem. In qua nihil erat, quod non natura mentibus jam indiderat, & ratio omnibus pro jure insinuabat, ideo etiam sine ista incumberebat. Pro pædago tantum promulgatio in una gente esse debebat, quem cæteri ut ductorem sequerentur. Is sensus Hebræorum ab antiquo, qui cæteris gentibus etsi alias semper immundis & exosis, accessum tamen dederunt ad jus suæ civitatis, quod cum iis commune rebantur, modo idololatræ non essent, & jus Noachidarum, seu Mosis morale servarent, quæ erat conditio receptionis, tanquam index communis obligationis. Judicabant ideo inter civem & exterum ex lege ista. Declaravit & gentibus DEUS per Prophetas, quam isti legi per Moysen traditæ obnoxie essent, si non ex publicatione, quæ ipsis nondum facta fuerat, præterquam per famam, tamen ex materia & ratione, ideo juxta eam peccata istarum redarguit & punit. Perspicuam ejus explicationem Christus & Apostoli sub primordiis novi testamenti ediderunt. Discrimen tantum in eo constitit, quod Hebræos præter naturæ dictamen, tabulæ ipsis datæ & concreditæ; Cæteras gentes sola naturæ suggestio consideratis facile intelligibilis ad obsequium obstrinxit, de cætero eadem lex eademque ejus obligatio fuit. Quam verbis bene notandis

disponit Apostolus *ad Rom. 2. v. 12. seq.* *Quicumq;*
enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; Et quicumq;
in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim
auditores legis justi sunt apud DEum, sed factores legis
justificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habent,
naturaliter, ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem
non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis
scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis con-
scientia (ipsorum) & inter se invicem cogitationum ac-
cusantium, aut etiam defendentium. Celebritas autem
divinorum inter Hebræos, & ex his promulgationis
in monte Sinai factæ, cum divinæ voluntatis non igna-
ras istas siverit, utiq; movere debuit, & movit etiam
multas, ut juxta istas legem divinam colerent & serva-
rent. Cujus est vestigium in libro Ester cap. 8. v. 17.
Et multi ex terra incolis facti Judæi, quoniam pavor
Judæorum super eos.

XIV. Non acquievit in ea promulgatione DE-
 us, reparando servandoq; ejusdem vigori, reverentiæ
 atq; observantiæ, alia adhibuit, per quæ homines istam
 discerent, intelligerent, assiduè exercerent. Præter ea
 quæ in publicatione mons Sinai exhibuit devoti cultus
 admiranda incitamenta, primò DEus perpetuitatem
 legis eiq; debitæ observantiæ inscriptione in lapideas
 tabulas per digitum DEI facta admonuit. Quam
 doctrina Christi explicuit *Matth. 5. v. 18. Donec trans-*
eat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præ-
teribit à lege, donec omnia fiant. Deinde cum in pra-
 xilegis istius quædam essent dubia, quædam in alium
 sensum tracta, aliqua peculiaris constitutionis am-
 plioris indiga, moralis legislationis non parum su-
 peraddidit, non quidem tabulis adjectum, sed Mo-
 sis libris inscriptum, eo tamen tendens & pertinens, ut
 synopsis omnis legis Decalogus sensum & vim suam

retineret. Tertio ad obsequium indefessum excitandum, quo nihil ad id validius esse potuit, adjecit, amplissimam magnæ gratiæ multorumq; bonorum promissionem; è contra intolerandæ miseræ in negligentibus comminationem. Quarto iteravit suæ voluntatis atq; humani debiti monumenta. Cum ad terram sanctam Populus Hebræus transibat, Josua pro repetitione legis lapidem magnum statuit super quercum, quæ erat in sanctuario Jehovæ, & dixit ad populum: *En lapis iste erit in testimonium, ipse enim audivit omnia verba Jehovæ, quæ locutus est nobiscum.* Quarto, quod omni die servandum, in quavis hebdomade, legi & considerari voluit Sabbatho constituto, in quo omnia opera alia conquiescerent, legis lectio & explicatio in coetu seu synagoga fieret. Ideo cum de eo nihil speciatim inter leges naturæ fuerat, cum iis tamen, nempe pro iis in easdem tabulas præceptum de Sabbathi sanctificatione relatam, & morali perpetuæ atq; ab omnibus gentibus quoq; observandæ constitutioni æquatum fuit. Hebræorum quidem Magistris velut error surrepsit, suo populo singulariter eam dictam ad gentiles non pertinere: Sed non memores, quod libri Thalmudici de eo habent, negantem Sabbathum, similem esse neganti totam legem, nempe quia hujus vigor ex Sabbatho. Josephi alia sententia contra Apionem lib. 2. *Nec est civitas Græcorum ulla usquam, aut Barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimana, in qua vacamus, consuetudo minimè pervenerit.* Quinto parentibus demandatum, liberis acuere præcepta, hoc est assidue de iis admonere, & ad observantiam suscitare. Sexto Sacerdotes & Levitas Dæus velut monitores ordinavit, qui dictis factisq; sacrificiorum legem ad animos revocarent. Septimo præcipua etiam cura Regum & Magistratum divinitus reddita, tanquam

quam custodum legis, uti scriptura nominat, qui non tantum ipsi librum legis assidue legerent, nec à facie sua deponerent, sed etiam exemplo atq; hortatu præirent. Quando hæc incitamenta, & velut nutrimenta naturalis legis vilescerant, missi extra ordinem Prophetæ, qui prædicarent legem, ad observantiam promissis, minis exhortarentur, spem deniq; liberationis per Mesiam faciendæ mox instantis facerent. Sic divina & humana providentia pro robore autoritate & vigore juris naturalis seu moralis, quinque hæc adhibuit, *Rationem, Imperium, Religionem, Disciplinam, Judicium*, quæ adhuc hodie ejusdem manent frena in societate civili, ad eum finem per prudentiam Rectorum applicanda.

XV. At legis illius tandem modica cura: Judæi pravis interpretationibus perverterunt, & penè everterunt, tracto ejus sensu ad talia quæ præplacerent, unde traditionibus humanis involuta intellectum & vim amisit. Gentiles cum Hebrææ Reipubl. ex justâ DEi ira illatas calamitates cernerent, cum ejus aversatione etiam de lege ipsis edita deterius existimare cœperunt, & per vanitates suas, quæ corda dedebant, in alia potius quam naturæ dictamina proclives & intenti. Potissima mundi pars ita eam sprevit, aut neglexit, ignorantia tamen magis quam ignorandi proposito. Misertus DEus miserorum, restaurationem depravatæ humanæ naturæ cum reparatione salutis animarum meditatus & destinans, quem pro hac misit in mundum Filium unicum, voluit etiam legis naturalis reparatorem. Qui dum super terris vixit, quam plurima hujus in lucem revocavit, exposuit, declaravit, ut quæ per Evangelistas de ejus doctrina sunt descripta testantur. Post suam in cœlum exaltationem instituta universali verbi sui prædicatione,

in toto orbe manifestari fecit, ut nemo nescius esset, tum juris secum obliterati suæq; depravationis, tum recolendi erga Deum hominesq; officii. Quo intuitu etiam inter Christi officia refertur jus in gentes transferre *Esai 42. v. 2. ubi v. 3. & 4.* additur, quo modo isto defungetur: quod post Magistrum suum, quem in tertio cœlo præceptorem habuit, facere cœpit. Apostolus gentium Doctor redditus, cum alibi tum in Epistola ad Romanos, verè omnis religionis & doctrinæ christianæ compendio, elegantissime Juris naturalis existentiam, vim & regulas, ut omni orbi communes exponens, ab eò doctrinam tanquam fonte unde cætera derivantur incipiens, illustri documento, quam non Hebræorum modo, sed omnis gentis jura sint, quæ DEUS in Decalogo proposuit, aliis legibus declaravit, Prophetæ explicatius docuerunt & inculcarunt, in sacro codice consignata fuerunt. Si velimus ire per omnia summa istius juris præcepta, & quæ ad illa pertinent, ex doctrina Servatoris adhibere, ante oculos foret, quam nihil non eorum ab isto fuerit repetitum & dilucidatum, multumq; ad expositionem jurisprudentiæ naturalis faciat. In singulis plenior, in tractatu fiet explicatio. E Theologis fuerunt, qui eam demonstrationem susceperunt, ex quibus Philippus Melanthon in enucleatione moralium Decalogi ordinem secutus non parum præstitit. Icti levius de eò solliciti fuerunt, tanquam si arte sua indignum foret, ejus principia inde sumere, nec ea sine eò sibi peculiariter facere. Cum tamen nihil suorum sit, si justum est, quod non in iis fundamentum & ex iis rationem regulamq; habere debeat. Quod non spernunt, nisi qui leges Mosaicæ ultra verba non capiunt, altius scrutari fastidiunt.

XVI. Quando vero doctrina Christi aliqua habet,

bet, quæ ab iis, quæ secundum legem Mosis sub veteri testamento facta vel constituta fuerunt, recedere videntur, orta est apud Theologos & Jurisconsultos de eo varia sententia. Alii à Christo novam legem præter veterem Mosis conditam & introductam esse credunt. Alii ultra procedunt, & Christi Evangelio ex veteri lege aliquid emendatum & correctum sentiunt. Unde inter legem veteris Testamenti & Evangelii, pro conciliandis dissensionibus distinctio in scriptis aliquorum legitur. Alii eandem licet legem utriusque Testamenti concedunt, aliam tamen Christi explicationem & veteri sensum quendam alium superadditum asserunt. Alii supplementum quoddam veteris legis in novo Testamento tradunt. Alii pleniores hujus leges statuunt, ideo quod in Mosaica defecit perfectius propositum. Aliis alia stetit sententia, & ut cuique suus prætextus ex quibusdam argumentis, ita ad errores non paucos eosque non fidei modo Christianæ, sed & sanæ jurisprudentiæ noxios scaturigo. Singulas plenius examinare instituto nostro non convenit, nec professioni, Theologica potius ea opera est. Tantum inter principia Jurisprudentiæ communis, in qua non modo, ne quid contra Christi doctrinam sentiat, cavendum, sed etiam ut hæc naturam incorruptam sequitur, inter fundamenta juris naturalis præcipue ea collocanda, nosse, refert, quomodo vere res se habeat, & quid juxta veritatis regulam sentiendum sit. Verius est, quod non alia, sed eadem lex, quæ per Mosen data, à Christo tradita, tantum ab hoc renovata, exposita, ab erroribus Phariseorum, Scribarum & Jurisperitorum, repurgata, & scopo, quem Salvator suo operi præfixum habuit, applicata est. Judicat hoc ipsum Christus in coniectione, quam pro explicatione legis habuit *Matthæi 5*, ubi requirens abundantio rem justitiam, non.

non dicit, quàm quæ ex lege Mosis est, sed quàm quæ Pharisæorum: Hos vero cum ista ad legem remittens. Similem Mosis Prophetam de gente Deus Hebræis promisit *Deut. 18. v. 15.* non aliud de lege docentem. Is venit non tollere, sed implere legem, ut ipsemet testatur. De ea, quæ ab ipso accepit doctrina Paulus *Roman. 3. v. 3.* ait: *Num legem destruiamus per fidem? absit, sed legem stabilimus.* Propria fuit lex naturæ ipsi ingenerata, quæ inscripta tantum ad memoriam tabulæ, qui igitur potuit ab eo, qui naturam non sustulit, sed ejus corrupta restauravit, istius fieri mutatio? Perfecta & irreprehensibilis lex in sacris dicitur etiam tunc, cum Evangelium nondum publicatum. Immutabilis lex est, ideo non potuit ab eo qui nunquam injustus est aliud præcipi; in quo putatur, vel aliud vel perfectius à Christo dictum, & quod in exemplum differentiæ legis naturæ seu Decalogi & Evangelii assumitur, idem erat reipsa ante Evangelium & inerat legi. Tantum non capiebatur, aut exercebatur sic à Judæis, ideo à meliore legis doctore exponendum, & in usum reducendum fuit. At minimè hoc sine, ut in societate hominum ad beatitudinè acquiendam necessaria ejus esset observantia, quæ supra humanitatis vires, sed ut verus legis constaret intellectus, & omnibus is sensus, legem juxta perfectionem suam ab ullo hominum adimpleri non posse, nedum operum obedientia æternæ vitæ præmiùm acquiri. Secundum utrumque illum respectum Apostolus diversimode appellat, prout exteriora humanæ societatis regit, dicit νόμον ἐπιβολῆς σαρκικῆς *Hebr. 7. v. 13.* & legem factorum *Rom. 3. v. 27.* Ut vero præterea præsentem ab omni vicio puram exigit, dicit νόμον πνευματικόν *Rom. 7. v. 14.* Duplicem errorem, qui eo tempore animos occupaverat, Christus corri-

gere

gere intendit, alterum, quod legis virtus non ultra quam ad exteriora vitæ pertineret; alterum, quod gratia DEI & æternitatis gloria obœdientia, quæ tunc per Pharisæos præstaretur, obtineri posset. Priori Christus opposuit declarationem veri legis intellectus, demonstrando, quam longe plura præsertim animum planè mundum & etiàm à concupiscentiis & cogitationibus legi non congruis alienum exigeret: Posteriori impossibilem eorum, quæ sic exigerentur præstationem; Ita perfectius quid requirit, non in lege, quæ eadem est, sed in operibus, quæ apud DEUM aliquid mererentur, & justitiæ coram ipso valituræ fierent. In quæstione itaq; illa distingvendū primo circa legem, quod ejus vere est, & quod juxta eam homini cœlū operibus merito incumbit. Illi nihil à Christo additum. Hoc pro fine isto quem Pharisæi intendebant, quam ab iisdem præstatur, perfectius esse docebat, quo suam corruptionem atq; imbecillitatem agnoscerent, & sic ad gratiam quærendam ducerentur: Eo intuitu veteres Ecclesiæ doctores sic loquuntur. *τὸ εὐάγγελιον ἐκλείπειν τὰς ἐν τῷ νόμῳ ἐπιτολάς, intensiora facere legis præcepta, uti apud Athanasium ad cap. 5. Matthæi, in Evangelio esse ἐπίτιπον καὶ προοδήκην ἐν τοῖς ἐπιτολαῖς præceptorum & intensionem & extensionem, uti scribit Chrysostomus in Orat. de Æqualitate Patris & filii tom. 4. perfectius præceptum imponi, uti Eusebius lib. 1. demonstr. Evangel. cap. 6. Puta quâ observantiæ necessitatem, si ex lege speratur & captatur beatitudo, & miseriæ humanæ agnitionem, si quæritur gratia; non quæ legem ipsam, quæ est eadem & olim eundem habuit intellectum, sed non rectè perceptum. Est ita doctrina Christi non legis immutatio & ampliatio, sed sensus explicatio, quæ supplementum ejus dicitur, non aliquid apponendo, sed aliud, quam intelligebatur, ad sensum rectum*

ex-

exponendo. Secundo discernere decet quod legis erat in republica, ad eam rectè in quiete & bono ordine continendum, faciendum, & quod ejus in Synagoga & Ecclesia ad gratiam & salutem æternam acquirendam docendum. In politia Hebræa exteriora legi congruere sufficiebat, & ex eo deinde error popularis, nihil & ultra ab homine ad salutem requiri, quem fovebant Pharisæi, Scribæ, Legisperiti. Præterea & ea opinio erat, pro vitandis gravioribus malis, contra legem quædam permittenda esse, uti Moses ob duritiem cordis dicitur permisisse divortia, ut & aliquam vindictam: Verum quando Christus non ex lege, sed partò suo merito gratia justos & beatos reddere voluit, primò in sufficientiam ejus obedientiæ & longe ampliora, quam isti putabant, lege requiri docebat, ideo ab hominibus etiam, tum ut suam imperfectionem intelligerent, & ideo de se dolere & pœnitere discerent, tum ut ad æstimum, scrutinium & desiderium gratiæ excitaret, requirebat: Non ut novam legem, sed ut veteris legis verum sensum. Unde ait, *Veteribus dictum est, non occides, Ego vobis dico,* (non aliud) sed quis juxta legem occidere putandus. Uti in ea sic & aliis legibus, non per modum sanctionis novæ, sed expositionis veteris loquitur. Quo respectu Irenæus *lib. 4. cap. 27.* scribit: *Christum legem extendere & dilatare non solum vetita à lege (nempe facta) sed & concupiscentias illorum prohibere &c. Pro eo, quod est non mæchaberis, non concupiscere præcepit, pro eo quod est non occides, ne irasci quidem, pro eo quod est decimare, omnia quæ sunt pauperibus dare.* Deinde quæ præter-
 imo contra legis verum sensum aut permissu aut abusu irreperant, Christus, restauratione humani generis, ad vitam honestam & beatam sublata voluit, ideo nihil legi veteri addidit, sed tantum quod ei contrari-

una

um aut non congruum in usum inter Hebræos, & horum exemplo apud alias gentes venerat, sustulit, & inter Christianos peccatum dixit, ut reductioni ad veterem innocentiam convenit, cujusmodi abrogatio est in iis, quæ Christus de divortio, vindicta &c. alia habet, quam Mosaicis libris partim & legibus scribuntur, nec tamen legis divinæ moralis, sed forensis tantum fuerunt. Discernit ita hæc Chrysostomus *in lib. de Virginitate cap. 44.* *Olim tanta nobis injuncta non erat virtutis mensura, sed & vindictam sumere, de injuriam inferente, & convitianti reddere convitium, & pecuniis studere licebat, sed & citra falsimoniam jurare, & pro oculo excutere oculum, & odio habere inimicum, quin nec deliciis frui, nec irasci, nec uxorem aliam ejicere, recipere aliam, vetitum erat. Parum dixi, etiam duas eodem tempore uxores haberi lex sinebat, multaq; & in his & in aliis rebus erat temporum illorum indulgentia. At post Christi adventum multo arctior facta est via.* Similia sunt Tertulliani *lib. 4. adversus Marcion.* *Novam plane patientiam docet Christus, etiam vicem injuria cohibens, permissam à Creatore, oculum exigente pro oculo & dentem pro dente, contra ipse alteram amplius maxillam offerri jubens, & super tunicam pallio quoq; cedi; planè hæc Christus adjecit, ut supplementa discipline Creatoris.* Egregiè hæc omnia exposuit Augustinus *Epistol. 118.* docens eandem in utroque testamento legem, eundem ejus sensum, discernens tantum usum, & à Christo sublatum indicans. *Judiciales leges [inquit] Christus in Evangelio non tulit, sed ferendas reliquit iis, qui variis in locis Rempubl. gerentes pro rerum personarum & temporum diversitate instituendas esse judicaverint. Morales leges quæ perpetuæ sunt, easdem ferè habent lex & Evangelium, sed in hac præstat Evangelium legi, quod quædam graviora, quæ à Judæis propter infirmitatem ipso-*

rum.

rum in lege non exigebantur, à Christianis in Evangelio exiguntur, ut patet de libello repudii & polygamia, quædam etiam expressius leguntur in Evangelio, quæ obscurius habebantur in lege. Tertio in ea, quam tractamus quæstione, etiam discernere opus, quæ legis, & quæ alia præter legem Christus docet, non negandum est, & aliqua Christum ex moribus antiquis sustulisse, & Christianis illicita voluisse, quæ olim licita, sed non quæ ex lege, nec contra legem: quæ est, quod de Polygamia docuit. Quam nullæ lex olim vetuit, ideo communis hominum opinio & usus licitam habuit. Incommoda ejus non in civili modo vita, sed & ad impedimentum honestatis ac concordie Christianæ Christum induxerunt, ut nollet imposterum suis eam liberam. Frustra autem illud exemplum adhibetur, vel ut à Christo sublata, vel ut auctæ legis cujusdam. Id nulla lege vetitum in arbitrio antea erat, ille ad modum reduxit, Ecclesiæ Christianæ magis convenientem, præsertim desinente ratione, quæ Polygamia licentiam fecit, & promissionem divinam impetravit, ut auferret, quem DEUS auctissimum volebat populus. Non carnali imposterum sed spiritali generatione Deus ex gentibus volebat suam auctam Ecclesiam, ideo unam sufficere uxorem, quæ geminata Christianissimo poterat esse impedimento, uti de eo Pauli fuit opinio. Non negandum, in Evangelio alia ultra legem præcipi; Quod tamen nec est juris naturalis, nec contra id ipsum, aut legem moralem, sed perfectioris virtutis Christianæ: huic & alia præternaturalia officia conveniunt. Chrysostronus *de Virginit. cap. 94. Major nunc virtus ostendenda est, quia multa nunc spiritus ostendenda gratia, & ingens donum est Christi. Ad id discrimen respicit dictum Justinii: Secundum naturam vivere ejus est, qui nondum credidit. Absurdum utrumque est, quod dicitur, nihil non quod est in Evangelio esse legis natu.*

naturalis, & quædam esse in Evangelio contraria legi morali, aut aliter quam illi convenit per Christum mandata. Sunt media, quæ accesserunt virtutis eminentioris documenta, nec legis moralis, nec ei adversa. Non hujus supplementa proprie tradidit, sed virtutis Christianæ augmenta, qui majora beneficia & luculentiorum suæ gratiæ lucem addidit, spiritum plenius cum donis effudit. Chrysostomus *diſt. tract. cap. 83.* *Non eadem virtutis mensura à nobis & ab illis exigitur.* Exemplum sume ex præcepto Evangelico, de subeunda etiam pro aliis morte & vitæ periculo *1. Jobann. 3. v. 16.* Quod non est in lege, nec ex naturæ, quæ usque eo neminem obstringit, dictamine. Pertinet ad ἀρχὴν virtutis Christianæ, quam Christus in suis ad sui exemplum requirit. Non tamen naturæ aut legi contrariam. Quia utraqve salva ita fieri potest, superadditum humanitatis naturalibus officium illud, dilectionis summæ documentum. Hæc pro sententia nostrâ declaranda in his distinctionibus tradita benè observata omne dubium diluent, quod exoriri poterit.

XVII. Omne jus hominum mentibus inditum, ideo naturale, ab autore, conditore, confirmatore, doctore suo divinum est, & juxta hæc quæ scripsimus id nomen rectè obtinet; sed non vicissim omne jus divinum est naturale. Præter id quod ex naturæ lege DEUS homini primitus inſeivit, deinde & injunxit alia quædam, justa voluit, ideo juxta hæc voluntatem suam de quibusdam servandis vel omittendis præscripsit. Jus aliud est à priori, quod ut connatum eum homine cœpit: Aliud à posteriori, quod deinde constitutione dedit. Cujusmodi sunt, quæ sacer Codex multa extra naturæ legem habet præscripta, alia statim post hominem conditum, alia in reparatione post diluivum, alia in sublimiori restauratione per Christum.

Duplex jus divinum, alterum naturale seu necessarium, quia sic ab initio cum ratione conditum, æternam observantiam habens; aliud voluntarium, seu post illud ex libera DEI voluntate sic constitutum. Quæ illius sunt DEUS in verbo suo sanxit, quia iusta erant, nempe ex prima concreata eaqve immutabili lege: Hæc autem iusta deinde effecta, quia sic DEUS voluit. Ad quæ referendum, quod alias indistinctè ab Anaxarcho, referente Plutarcho in Alexandr. dictum: *Non ideo DEUM velle quia iustum, sed iustum quia DEUS voluit.* Illa toti humano generi communia sunt: Ex his verò non omnia. Aliqua enim uni populo tradita vel Hebræo vel & alii. Quæ dignoscere, ad jurisprudentiam valde facit, & expedit. Error quippe ista non discernentium vel facit legis naturæ, quæ ab hac aliena, vel nentium communem statuit obligationem, ubi unius vel alterius saltem sunt; aut si omnium, tamen pro certo tempore & statu. Cujus exempla tractatus tibi exhibebit, eumq; errorem etiam apud doctissimos viros docebit.

XVIII. Præter divinum naturale & voluntarium jus, cujus originem & progressum hætenus exposuimus, aliud sociale inter gentes compositum est. Posteaquam enim non in universali illa societate omnium communi constitenterunt, sed suas sibi vias, uti Moses loquitur, receperunt, hoc est ad peculiare atqve speciales societates transeuntes suis placitis & commodis separatim studere cœperunt, pro istarum usu non potuerunt non sibi leges dicere, per quas sibi omnia in iis secura, iusta, commoda facerent. Is quippe finis separatorum cœtuum extitit, ex quo una erat causa tum separationis, tum diversarum legum. De quo Philo in lib. de Joseph. Est rerum natura auctarium civilis administratio, qua utuntur populi. Nam mun-

dis

das hic magna civitas est, unam reipublica formam, unum jus habens. Continet edictum natura jussa de agendis & interdicta de omittendis. Isti alii alias leges alia instituta adjiciunt. Causa est separatio non Græcorum modo à Barbaris, sed & Barbarorum à se invicem, & Græcorum inter semetipsos. Altera ex impotenti dominatione, per quam qui regere debebant in subditos & cives fiebant nimis duri & per arbitrium iniqui, ut legibus modum jurisdictioni addere opus esset. Tacitus lib. 3. Annal. At postquam exui æqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes multosq; apud populos æternum mansere: quidam statim, aut postquam regum pertasum, leges maluerunt. Alia & frequens postea accessit ex vitiis hominum per leges peculiare refræmandis. Thrasea apud Tacitum lib. 15. Annal. Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni &c. Sic mali mores mater bonarum legum & cupiditates puerperæ sanctionum.

XIX. Quemadmodum autem sub coitione in singulares societates suæ quæque studuit, itaque cæterarum incuriosa initio parum attendit, quo pacto præter eam, quæ mansit, societatem communem cum aliis conveniret, ita verosimile non est, inter gentes statim commune aliquod jus complacuisse. Multo credibilius, in singulis cœtibus primò & quidem his ipsis pro suo saltem usu leges esse conditas. Et hoc etiam certum, quando gentes ingeniis, moribus, indigentia, oportunitatibus, incommòdis, vitiis cæterisque jura erant applicanda, variè differebant, ideo cum naturalia præcepta, tum humana instituta eodem modo vim & usum similem inter ipsas ubique habere non poterant, sed diversimode attemperanda, adjuvanda, aut formanda erant, singulæ pro sua indigen-

tia, usu & commodis peculiaribus legibus, quæ opus habuerunt, jus sibi efformarunt: Quod ut civitatis uniuscujusque, quæ alias sine obligandi vinculo proprium, jus civile vocamus. Aristoteles legitimum appellat, & lib. 5. *Nicom.* 7. comparat mensuris, quæ ideo simile ait, quod non secus pro diversa locorum conditione varium sit, quam illæ ex his pro mercium abundantia vel penuria differre solent. Societatis civilis & per hanc pro hac imperii, quod istam representabat, primitus erat ea legislatio, ut jus Regium. Cessit vero deinde sub ea provinciis, districtibus, urbibus, pagis, collegiis & corporibus. Adeo diffusa seu dispersa sub uno regno multiplex, infinita, imo plerumque diversa & discors, ut pro verberio habendum, quod Maximus Tyrius dissert. 1. scribit: *Leges & jura pro cujusque placito in partes ita distrahuntur dilaceranturque, ut non modo gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat.* Non vero tantum quæ præter jus naturale iusta sibi volunt, ita quorum potestas est, disponunt, sed & in leges suas quæ citius, & quæ aliter gentium juris sunt disponendo redigunt. Sicuti sæpius reperimus, quod jus civile natura honestum, aut gentium ratione utile seu humanis usibus conveniens, pro diversitate circumstantiarum civitati applicuit, extendit, vel restrinxit, unde Ulpianus sic definit l. 6. ff. de *Just. & Jur.* *Jus civile est, quod neque in totum à Jure naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit. Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium id est civile efficiamus.* Id civile jus communi gentium jure secundario antiquius & fere causa & origo hujus fuit.

XX. Ita & populo suo Hebræo DEUS post Decalogum peculiare constituit leges, ingenio, moribus & vitæ

& vitæ geneti congruas: Alias cultus divini, alias forensium rerum rectrices. Quarum illas ceremoniales, has forenses vulgo vocant. Propriæ illæ fuerunt reipubl. Hebrææ; in quibus ut talibus nihil est, quod obliget alias gentes. Obligatio enim legum oritur ex voluntate legislatoris. At nunquam DEus voluit istis institutis, quæ suo electo populo, quemque sola *Θεοκρατία* gubernavit, propria fecit, alias gentes esse obnoxias. Regius Propheta in *Pf. 147. v. 19. 20.* hoc explicuit: *Indicat DEus verba sua Jacobo, constitutiones ac jura sua Israeli, non ita fecit genti ulli; ideo jura ista non noverunt.* Moses *Deuter. 4. v. 7.* idem docet: *Quæ gens tam magna, cui Dii propinqui, sicut Dominus DEus noster ad omnia vota, quæ ei facimus? quæ gens tam magna, cui sint constitutiones & jura æqua, qualis est lex hac tota, quam ego hodiè coram vobis propono.* Inter jura hominum seu gentium communia ineptè refertur, quod est in legibus illis divinis, quæ Ecclesiam & rempublicam Judaicam formant. Nec minus incongruè dicitur, quæ nos hodiè post Salvatoris adventum in orbem abrogatas, cum nunquam aliis latæ, aut alios atque Hebræos, quibus peculiariter datæ, obstrinxerint. His vero post Christi adventum remissæ fuerunt, sicut per Prophetam *Esaiam cap. 9. v. 4.* promissum, & sub initio Testamenti Novi Apostolo *Act. 10. v. 15.* fuit revelatum. Nec vero per placitum DEI, ut totus mundus ad unam catholicam Ecclesiam conjungeretur, unusque grex, unumque ovile fieret, aliter fieri poterat, quam ut tolleretur lex Hebræorum peculiaris, tanquam intersepimentum, quo ab aliis distinebantur, sicut Paulus *Ephes. 2. v. 14.* vocat. Proficiunt hodiè cæteris gentibus, tum ut noscant sacræ reipubl. jura, ex iis rectè intelligant & applicent sacræ eloquia; tum ut discant, quæ DEO præprimis placuerint;

cuerint; tum ut si quid tale vel aliud, sub eâ, quam DEus in politiis ordinandis reliquit, libertate mutari velint, de divino placito securi sint, tandem quo intelligant, nihil eorum quæ istis legibus continentur, juri naturali contrarium esse, cum & ista sit Divina, nec DEus magis sibi adversus sit, quam mutabilis. Saltem proinde dignoscendum, quid ceremonialis, ac forensis legis sit, ideoque inter peculiaria gentis referendum, nec exinde præjudicium fiat, tum libertati omnium, præsertim & Christianæ; tum legibus moralibus, quæ communes sunt omni orbis populo, cum republ. Hebræa minimè desinentes. Tertullianus de Pudicit. *Libertas in Christo non fecit innocentia injuriam, manet lex tota pietatis, veritatis, constantia, castitatis, justitia, misericordia, benevolentia, pudicitia.*

XXI. Ut ut autem singulis populis in civitate peculiaria essent jura, tamè compertum per experientiam multorum motuum, non inde justitia & quiete frui licere. Quæ à singulis hominibus ante istam impendebant & per istam evitata fuerant, quæ alias civitates earumque cives manebant eadem, tantoque pejora, quo à pluribus conjunctis, iisque inde validioribus metuenda erant graviora. Quæ cum aliter quam per commune aliquod jus omnium non reperiretur remedium, ad id tandem introducendum servandumque necessitas adduxit. Itum est in aliquam pro eo obligationem, non expresso pacto, quod egebat gentium omnium conventu, qui nunquam processit nec possibilis fuit, sed tacito consensu, quem exegit communis calamitas, conciliavit ratio, produxit usus, in juris necessitatem transtulit mos, inde vinculum injecit tacita quædam pactio, quæ fœdere quasi populos ad observantiam astrinxit. Vocatur jus gentium, quia si non omnes, tamen pleræque moratiores atque humanitati præ-

præprimis deditæ receperunt, suumque non modo, sed sibi cum aliis commune voluerunt, vel quia omnes, ut jus & pacem amare atque colere, sic pro his eo uti debuerunt. Post hoc introductum gentium jus commune duplex redditum est: Alterum, de quo supra diximus, cum homine ortum, humanis mentibus ab initio divinitus inditum: Alterum ab hominibus pro usu vitæ humanæ consensu seu voluntate communi superadditum. Commoditas humanæ conversationis hujus causa fuit, quo respicit, quod versus habet: *Utilitas justæ prope mater & æqui*. Hujus juris quædam retulit Hermogenianus in l. 5. ff. de Justit. & Jur. Ex hoc jure gentium introducta bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conditiones, obligationes instituta, exceptis quibusdam, quæ à jure civili introducta sunt. Alia quam multa eandem causam & originem idemque vinculum habuerunt. Ita factum, ut aliqua inter omnes natura, aliqua usus & voluntas fecerit justa vel injusta. Illa rationi insunt per DEUM concreata; Hæc ex ratione collecta, per homines excogitata, ad usum vitæ socialis inducta & applicata. Illa longe antiquiora sunt. Unde illa gentium juris primævi, hæc secundarii vocantur. Aliis nominibus describitur utraq; species, & priorem dicunt *jus gentium necessarium*, sine hominum voluntate, ex DEI providentia originem & vim legis habens: Posteriores *jus gentium voluntarium*, tanquam ex voluntate istarum causam & nexum accipiens. Inter hæc *Πεγλυγόμενα* generatim de singulis speciebus, plura in tractatu jurisprudentiæ gentium communis exponentur.

XXII. Multiplex est inter utrumque hoc jus differentia, quam exponet plenius quinta prædromi in-

spectio. Hic ubi originem & progressum juris saltem indagamus, addidisse sufficit, illam incertam & ignotam esse, nec constituisse jus, nisi postquam in usum venit, quod proprium consuetudinum, quæ sensim in usum veniunt, auctuum multitudine & diuturnitate, invalescunt, inde tacitum populi consensum indicantes jus faciunt. Eadem est ratio illorum, quæ originem ex moribus gentium habent. Verosimile est, postquam civitates armis invicem agere cœperunt, quo ab & ex iis tandem esset quies, & commerciorum quidam vigor, in aliquam communem disciplinam conspirare cœpisse. Et quidem initio non omnes, sed aliquas forte, & hoc additis fœderibus & pactis; iis alias exemplo & usu inductas accessisse, post quædam sic complacita & alia adjecta, donec in consuetudinem communem & inde in necessitudinem, quæ nunc hujus juris sunt, venerint. Non autem ut naturale ex divina lege omnes obligat, sic illud communem in universum obligationem omnibus ex se injicit, sed tantum ex usu & assensu, seu tacito pacto, ideo & non aliis ac apud quas receptum & à quibus recipi debuit. Vix ullum eorum, quæ hujus juris sunt, omnibus gentibus usu est commune, dum non omnes peræque in usum secum venire permiserunt. Ex eo profectum est, quod aliqua in una parte orbis terrarum, seu inter aliquos populos sunt gentium juris, quæ alibi non ita censentur. Non absone ideo dicitur jus id gentium aliud alio latius arctiusque, aliud omnibus aliud quibusdam gentibus commune esse. Cujus ut causa sic & index usus erit. Quomodo hæc rectè accipienda sint, jam dicto loco reperies.

XXIII. Non tamen iis jura constituendi diversis modis societati hominum ad justitiæ cultum sufficienter prospectum erat. Oportebat etiam esse, qui inter
 inter

inter cives jus dicerent, non modo secundum leges conditas, sed etiam quando in omnes casus componi impossibile erat, præter eas ex ductu sanæ rationis & ejus quod æquum bonumque dicitur. Hoc præstiterunt prætorum judicumque sententiæ. Alicubi etiam Jcutorum responsa, ut iis potestas per imperium data fuit. Ista inde & juris nomen assumpserunt, adeo ut si vel illæ iniquæ, tamen intuitu officii debitiqve, utut non servati jus dictum haberetur, juxta Paulum *in. l. pen. ff. de Just. & Jur. Prætor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione scilicet facta, non ad id quod ita Prætor fecit, sed ad illud quod prætorem facere convenit.* Istiusmodi jurisdictionis apud omnes gentes, ut in tractatu apparebit, observantia est. Discrimen juris est ex lege atqve sententia, quod illa in universum omnes obligat, hæc tantum partes, inter quas dicitur. Cæteris non in legem, sed ad exemplum saltem, cujus ad obsequendum necessitas deest, servit.

XXIV. Prænotata de juris origine, processu & speciebus, scite in compendium redigit Cicero *lib. 2. de Inventio. Initium juris, inquit, ab usque ductum, videntur quædam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis aut obscura in consuetudinem venisse; Post autem approbata quædam aut à consuetudine; aut à vero utilia visa legibus esse firmata. Ac natura quidem jus est, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis afferat.* Et subinde: *Ejus initium est ab natura profectum; deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt, postea res & ab natura profectas & ab consuetudine probatas legum metus & religio sanxit.* Triplex hinc juris summa species. Alii ad duas redigunt, quia constat, omnes gentes duplici uti jure, communi & proprio. Cicero *lib. 3. Offic. Jure gentium & legibus populorum, in singulis civitatibus respubl. continetur; & porro: Ma-*

jores aliud gentium jus, aliud jus civile esse voluerunt. Quod civile non ideo continuo gentium, quod autem gentium idem civile esse debet. Gajus in l. 9. ff. de Just. & Jur. Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ipsi sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis; quod vero naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes per eam custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur. Similiter de Indis Strabo lib. 15. Geograph. Indos legibus teneri aliis quidem non scriptis, aliis vero propriis, quae ab aliorum legibus valde sint aliena. Haec juris ratio apud omnes populos. De jure gentium communi nostra jam erit disquisitio; cuiusque civitati suarum legum & consuetudinum curam relinquentes. Illud vero, ut ex superioribus constat, vel ex natura est divinitus mentibus inditum, vel ex humano invento pro usibus vitae humanae constitutum. Ex quo illud primum, hoc secundarium est dictum. Ut his vocabulis Juri frequentius utuntur, ita nos retinebimus, etsi aliquid improprii aut incongrui in voce & significatione demonstrare liceret, si se supulari velimus. Praestat à vulgari usu non desistere, quam contra eum operosis nugis super vocabulis delectari. Juxta Aristotelem, ἐυλαβητέον τὸ πρὸς ἑνώματι ἀγλέγεσαι. Cui convenit illud Augustini: Turpe disputationibus in verborum quaestione impiorari, cum certamen nullum de rebus remanserit. Alii distinctionem eandem aliis vocibus exprimunt, quod jus humanum commune aliud necessarium, aliud voluntarium. Alii naturale & gentium distinguunt; Excusantes hujus specialem usum, cum & priori speciei conveniat, verborum inopia, cujus causa etiam jurisprudentia easdem voces saepe generi & uni speciei attribueret cogitur.

XXV. Eo enim progressu diversa & varia coepit juris species. Quæ omnis hoc nomen capit & meretur. Alii quando juris *πολυσημείαν* tractant & exponunt, malè illas diversas juris acceptiones seu significationes faciunt, quæ genuinæ species sunt: Cujus duplex tantum propria est acceptio, prout denotat vel regulam humanorum, vel potestatem hominum. Jus ut regula est aliud divinum & humanum, hoc vel naturale vel gentium voluntariû, vel civile, & hujus aliud ex lege aliud ex judicio, seu judicum seu JCtorum. Quatenus jus pro potestate justa sumimus, effectus est juris, ut regulam denotat. Et est vel in libertate nostra, vel in facultate, erga alios, vel in merito, vel in debito, vel in aptitudine quadam. Sinimus de hoc disceptationes aliis, longe utilioribus & juris ipsius, tum cognitioni, quæ regulam indagat, tum potestati, quæ regulæ applicationem componit, intenti. Hoc saltem tractatui nostro præmittimus, quod Gentium communem jurisprudentiam repræsentaturi in utroq; significatû jus indagamus, ut noscantur in singulis, tum justæ regulæ, tum ex iis hominum atque populorum potestas, tanquam istius effectus atque applicatio.

* * *

DISPECTIO SECUNDA.

De jure Gentium naturali seu Primævo.

- I. *Jus naturale est gentium, sed primævum, & quævis aliis vocabulis indicatur.*
- II. *An sit quoddam jus naturale?*
- III. *An hoc commune cum cæteris animantibus, & quomodo de iis quæ naturalis juris sunt predicantur?*
- IV. *Dif-*

IV. *Differentia eorū quæ sunt juris naturalis, & quæ naturæ.*

V. *Jus natura & naturale differt.*

VI. *Discrimen praeceptorum & permissorum.*

VII. *Jus & libertatem naturalem oportet discernere.*

VIII. *Differunt multam jus connatum, & quod ex inveteratis moribus oritur.*

IX. *Interest, an quid conforme natura, an juris.*

X. *Interest, an quid juris an pudoris naturalis sit.*

XI. *Pudor naturalis quid, unde oritur, & quis ejus effectus.*

XII. *Quomodo facit discrimen honesti & inhonesti.*

XIII. *Pudoris & ex eo provenientis honestatis circa justitiam vis & potestas.*

XIV. *Juris naturalis definitio.*

XV. *A DEO ortum habet.*

XVI. *Cum homine capit in homine.*

XVII. *DEO ejus integer usus cura est, quomodo transplantavit & reparavit.*

XVIII. *Natura distans duplex.*

XIX. *Inde duplex est naturale jus.*

XX. *Vere lex est, & legis autoritate pollet, etsi civitas non recaperit.*

XXI. *Lex divina est.*

XXII. *Antiquitas ejus.*

XXIII. *Supremum mundi jus est.*

XXIV. *Derogat omnibus aliis legibus.*

XXV. *Limitat omnia mundi imperia & statuta.*

XXVI. *Certa ex eo iustitia regula est.*

XXVII. *Clavis, & interpretis est jurisprudentia.*

XXVIII. *Omni alio jure latius est.*

XXIX. *Supra alia jura omnia.*

XXX. *Ex isto an sufficiens humanorum regula sit, ut alio jure opus non fuerit.*

XXXI. *Lex universalis est.*

XXXII. *Quali illi debetur observantia.*

XXXIII. *A jure*

- XXXIII. *A jure naturali nulla eximit potestas aut potentia.*
- XXXIV. *Imperiam summum sub jure naturali est.*
- XXXV. *Dispar hominum conditio nihil mutat ex isto jure.*
- XXXVI. *Nec locorum diversitas.*
- XXXVII. *Jus natura est immutabile.*
- X XXXVIII. *An à DEO possit mutari?*
- XXXIX. *Immutabilitas naturalis juris quomodo sit accipienda.*
- XL. *In ea quæ de ista est disputatione male confunduntur quæ juris & quæ libertatis sunt.*
- X XLI. *Materia juris mutatur, non jus naturale, quod iisdem regulis suis applicatur objecto mutato.*
- XLII. *Quod pro certo rerum statu justum, id cum illo mutatur & justum esse desinit.*
- XLIII. *Legum natura alia aliis potiores, & ex iis inferior superiori cedit, sed sine sui mutatione.*
- XLIV. *Jus naturale exceptionibus non caret.*
- XLV. *Talem non facit sola societas aut utilitas.*
- XLVI. *Effectus legis naturalis cessat, ipsa salva.*
- XLVII. *Juris applicatio variat, non jus ipsum, quod constans est.*
- XLVIII. *Beneficia juris naturalis subsunt hominum voluntati.*
- XLIX. *Transgressio vel neglectus apud quasdam gentes juris naturalis non immutat jus ipsum.*
- L. *Finis juris naturalis non est in societate.*
- LI. *Nec in utilitate hominum.*
- LII. *Sed in rectitudine & honestate vitæ & morum.*
- LIII. *Ejusdem viæ & efficaciæ.*
- LIV. *Pro ea quæ Deus constituit judicia.*
- LV. *Primum in Conscientia, & de ejus vi.*
- LVI. *Secundum in hominum existimatione.*

LVII. Utri-

LVII. *Utriusq; effectus & executio.*

LVIII. *Quare ab initio DEus judicia non constituit.*

LIX. *Gravissima contra jus natura peccata sunt.*

I.

Gentium jurisprudentiam explicaturis initium faciendum est à congenito atqve primitivo jure, quod cum homine cœpit. In quo apud illum juris primitivi & justitiæ vere fundamentum consistit. Primævum jus naturale dicitur, veluti quod à primo ævo seu cum ortu orbis cœpit. Nempe cœcreatum primò, deinde connatum, non ab hominibus inventum. Unde & primigenium vocatur. Et quia natura mentibus indidit, seu, ut proprie magis describimus, cum natura divinitus inditum, specialius & proprie naturale vocatur, sicq; gentium juri, velut quod non natura insitum, sed ratione populorum excogitatum & usu receptum, opponitur. Ulpianus *in l. 1. ff. de Just. & Jur.* & ex eo Justinianus vocat *commune omnium hominum jus*. Livius, Seneca, Petronius & alii boni autores voce *humani juris* indignant. Græci vocant Φύσεως ἰερῶν νόμων, κοινὰ νόμους, βεβλῶν νόμους. Lucanus *terrarum leges & mundi fœdera* appellat. Lactantius *jus humanitatis*. Alii *leges humanas*. Aliqui veterum *Naturam*.

II. Cum ex hoc jure omni de justitia disputationi finis imponi deberet, ipsummet in varias disputationes atqve lites incidit, & quod vel abominandum, ex iis in quæstionem venit, an sit jus naturale? Non defuerunt olim etiam, qui sapientiam professi, nec defunt hodie, juris naturalis existentiam negantes aut indubium vocantes. Archelai & Aristippi eam sententiam fuisse refert Diogenes Laertius, in vitis illorum. Pyrrhonis atqve Aristonis similis legitur. Habent hodie imitatores etiam inter Theologos & JCtos, sic
opi-

opinantes, justa & injusta, honesta & turpia non naturà ita esse, sed ex consuetudine aut legibus. In quem sensum Poetæ dictum sonat:

Nec natura potest justo secernere iniquum.

Eadem sententia tribuitur Carneadi, qui scripsit, jura sibi homines pro utilitate sanxisse varia, pro temporibus usibusque variè mutata: jus vero naturale nullū, & cū homines naturæ ductu ad utilitates suas ferantur, aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceat alienis commodis consulens. Sed magis pro ingenio, quam ex animo hæc scripta putamus. Nam cum eo laudis Carneades venisset, ut quod Academiæ suæ summum esset, falsa non minus quam vera eloquentiæ copia defendere posset, sæpius scripsit pro ostentatione, quæ non sensit ex ratione. Et quam non verisimile serio virum sapientem suscepisse justitiæ oppugnationem, tam nec credibile est, pro ista argumentum illud negati juris naturalis ut verum usurpatum. Non merentur humanum nomen, qui quod humanitatis præcipuum non modo non sentiunt, sed etiam abnegant. Nec se nec hominem novit, qui jus naturæ negat. Quisquis in sua ierit præcordia sensum mentis excutiens, non poterit non deprehendere, quod honesti atque turpis principia speciesque sibi sponte suggerat natura, adeoque ea non aliunde advenire, sed animo suo inesse intelligat. Testantur in mentibus hæc insita omnibus Numinis reverentia & divinorum sensus, honesti amor, turpium averfatio, securitas conscientiæ illo freta, tormenta & laniatus animorum in improbis ex injustitia, proborum hanc damnantium consensus internus cujusque iudex. Cuncta in iis etiam obvia, qui legum aliarum vel ignari, vel contemptores sunt, vel omni lege civili soluti, vel per potentiam nulli iudicio obnoxii, metuen-

tes

tes tamen, cum injuste fecerunt, poenam, ideo agnoscentes aliquam in natura & mente sua legem. Conscientiæ vis manifestum in mente reconditi juris argumentum est. Quæ & nomen inde accepit, quod mens conscia non facti modo sed & juris sit, ex quo de suo facto judicet. Græci *σύνειδος* vocant. Istius in omni homine communes effectus communem causam præsupponunt, quæ alia nulla esse potest, quam communis lex, omnes obligans, & ea naturalis, dum naturales sunt operationes, non aliunde sed ex natura efficaces. Nec potest non quivis sentire secum naturalem ad honesta stimulum, dum æquum & bonum ab aliis postulat, licet in alios sit injurius, justa quoque juris constituti ignarus laudat, injusta horret & destatur. Quod etiam pessimi, cum jus violant, juris prætextu id facere cupiunt, certum argumentum est, natura scientiam & æstimationem justæ constare. Per hoc pulcherrime Seneca 4. de Benefic. cap. 17. inditam naturæ vim ad justæ stimulantem probat: *Quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis jubet: supervacuum est enim, in quod imus, impelli: quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem cum nascitur trahit, ita ne ad hoc quidem, ut honesta per se petat. Placet suapte natura: adeoq; gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis, probare meliora. Quis est, qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera & injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis quæ impotentissimè fecit, speciem aliquam induat recti. Postea: Nec quisquam tantum à naturali lege descendit, & hominem exiit, ut animi causa malus sit. Neminem reperies, qui non nequitia præmiis sine nequitia frui velit: Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit: etiam qui non sequuntur illam, vident. Videas etiam inter latrones & piratas, ut ut humane societatis pestes, juris sibi insiti agnicio-*

tionem & invicem quendam communicationem. Nemo eorum est, qui cum raptu vivant, non tamen malint honestiore titulo acquirere, aut rapinas velare. Quod quid aliud est, quam dicere, non omnia natura esse *ad id quod*, sed quædam honesta & turpia, proba & improba: & naturaliter inter se jus amant, quod quia alios violant. Chrysoströmus *in cap. 4. ad Ephes.* *Qui sit ergo dicet aliquis, ut in pace vivant latrones? Quando vero? dic quæso. Nempe cum non ut Latrones agunt. Nam si in dividendis rebus præscripta justitia non servent, neque partitionem ex æquo facient, videbis & ipsos inter se bellis ac præliis implicari.* Non leve quoque juris naturalis argumentum infantes produunt, ab incunabulis juris amantes. Eminent in iis ante omnem disciplinam ad æquitatē propensio, & velut impulsus ad justa: deplorant, quæruntur injurias, condolent tristitia passis, amant sponte parentes, reverentur seniores, beneficiis gaudent, malefactorum poenam metuunt, ad obsequium prout æquitatem à coætaneis poscunt. Et licet vel ex institutione ista fiunt certiora, ipsa tamen tendens ad eadem ostendit commune naturæ dictatum, quo sine sic ad eadem illa ubique & ab omnibus fieri haud posset. Porro, quia natura hominem sociale animal esse nemo nescit, inde nec negare poterit, quem natura societati aptavit, ei & jus societatis indidisse, sine quo hæc nullo modo coli potest. Frustra amor societatis insitus fuisset, nisi simul jure quodam animus ad eam venisset instructus. Necessitas societatis infert jus naturæ. Cicero *lib. 1. de L. E.* *Omnium quæ in hominum doctorum disputatione versantur nihil est profecto præstabilius, quam plenè intelligi, nos ad justitiam esse natos: neque opinione sed natura esse constitutum jus, etiam patebit, si hominum inter ipsos societatem conjunctionemque perspexeris. Quomodo ex ipsa societate sequitur necessitas existimandi jus aliquod natura-*

D

le

le, scita collectione docuit Alexander Aphrodisiensis
*de Anima lib. 2. cap. 42. Si sociales ac communicabiles natura sumus, impossibile autem est durare societatem sine iustitia, necesse est jus quod natura esse. Qui quoniam apud alios aliud jus est, propterea negant ipsum esse Natura, certe id Natura docent esse, quod apud omnes idem est. Si jus scriptum, quoniam scriptum est, per constitutionem & non Natura esse dicent, certe necesse erit, ut Natura non positione fateantur id, quod non in scripto vim habet. Sunt ejusmodi pleraque, quæ appellare solemus ex ipso effectu leges non scriptas, quæ communes omnibus hominibus sunt, nisi sint excœcati. Revereri seniores, colere DEum, honorare atque obsequari parentes & præstantiores viros, sunt jura quædam non scripta & communia naturaliter apud universos. De his neque paciscuntur secum, neque leges faciunt sed retinent tanquam statutas & confirmatas ab ipsa Natura. Præterea qui inter gentes reperitur consensus populorum, sine pacto aut communicatione, ostendit inesse naturæ ductum aliquem ad justa. Cicero *Tuscul. quæst. 1. Omnes esse vim & naturam divinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum aut consensus efficiet. Non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensus omnium gentium lex Natura putanda est. Perinde id ex naturali appetitu societatem tranquillam custodiendi apparet, quem natura non destituit necessario medio. Sine juris freno hominē bestia quavis immaniorem futurum testatur effrenis hominum audacia & barbara crudelitas, cum sine constituta lege humanitatem tamen in plurimis servet jus innatum, ipsi adesse consequitur. Ex quo Paulus gentes, quibus lex non est condita, sibi legem natura suam esse demonstrat, in *Epist. ad Roman. 2. v. 14. ὅταν γὰρ ἔθνη & μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τὰ νόμους ποιῶν, ἔργοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμος, οἵτινες ἐνδείκνυνται ὅ***

ἔργον τῆς νόμου χαριστὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Considerantibus porro, quomodo homines suo pte ingenio in rebus quid æquum vel iniquum sit judicant, quomodo & peritissimis non licet justius ultra rationem reddere, quam ex naturâ inditi justii argumenta; nemini sapienti de hoc dubium superesse potest, ideo sapientum testimoniis chartam onerare supersedeo. Plura desideranti satisfaciunt, quæ prolixius explicuit Cicero lib. 1. de Legib. Qvinqve sunt quævis utuntur, qui naturalis juris essentiam impugnant. Primum, quod nihil fere reperitur omnibus gentibus in usu & sic commune, ut naturæ communis effectus haberi possit. Secundum, quod quæ juris naturalis dicimus, apud multas aliter obtinent & ab iis in contraria disceditur, id quod à naturalium immutabili conditione alienum reputatur. Tertium, quod cum naturalia velut ingenta omnibus obvia esse deberent, nihil fere incertius magisque in obscuro sit, quam quid juris naturalis sit, ita ut nec inter sapientissimos & diligentes ejus scrutatores de isto conveniat. Quartum, quod non pauci nec postremi sapientiæ professores non deprehenderunt secum istius existentiam, ideo negarunt; quævis, si esset, non innotuisse impossibile videretur. Quintum, quod naturæ jus sine vi obligandi, quæ sine nomen inane, res nulla. Sed leviora hæc sunt, quam ut ad tantam absurditatem tendendam vel excusandam sufficiant, quæ ex orbe jus naturale tollit. Diluentur hæc objecta, per ea, quæ in sequentibus de juris naturalis proprietate, vi & constantia, nec non noscendi difficultate in his primordiis scribentur. Non eo minus universale & commune hoc jus est, quod aliquæ, imo multæ gentes, ab illo exorbitant. Transgressiones sunt, ex depravatione opinionum & morum, quæ non magis illud imminuant, quam peccata civiles constitutiones, uti explica-

bitur *in hac dispect.* 2. *sub num.* 49. Similiter nec mutabile jus naturale efficiunt, uti docetur in eadem *sub num.* 39. *seqv.* Difficultas noscendi non ex juris conditione, sed ex hominum aut injuria aut perverso indagandi modo proficiscitur, de quo *sub dispect.* 3. *num.* 2. *docetur.* Et hic peperit varias sententias & pene contrarias, quæ non magis facient negari jus, quam res, de quibus aliis per adversas & diversas sententias disputatur non entia. Vicia & corruptelæ hominum male afferuntur ad examen juris, per quod illa emendanda sunt. Vim ejus autem qui non sentiunt, illi fententur vel crassam ignorantiam, vel nondum sentiunt conscientiam. Per quam vel modice excitatam ista cuius attendenti nota erit. Quæ ejus juris naturalis testis, judex, executor in hominis mente existit.

III. Jus naturale Ulpianus esse ait, quod natura omnia animantia docuit *l. 1. ff. de Justit. & Jur.* Quam definitionem sequitur in Institutis Imp. Justinianus. Videntur sensisse aliquod jus per naturam cum brutis nobis commune esse. Unde uterque de jure naturali scribit, *jus illud non humani generis proprium esse, sed omnium animalium, quæ in terra, quæ in cælo, quæ in mari nascuntur.* Rationem sententiæ addunt: *Videmus enim cætera quodq; animantia istius juris peritiâ cense-ri.* Ea adduxit juris interpretes, ut duplex jus naturale statuerent, aliud omnium animantium commune, aliud hominum proprium, quod inde gentium vocant. Inter Theologos aliosque scriptores reperies, qui & tam communionem juris cum brutis credunt. Guilielmi Alverni Episcopi Parisiensis *part. 1. de univers. part. 3. cap. 8.* pro comprobanda justitiæ jurisq; cum brutis communiõne, hæc leguntur: *Diligentem considerationem faciens per singula invenies, nihil vacare à creatoris justitia: quando & ipsæ belluæ & pene omnia generâ anima-*

animalium invenies, quendam exercere justitiam & jura sua defendere. Attende, qualiter ursa rapinam vel necem catulorum suorum vindicet: Similiter & leo, qualiter pro uxoribus, pro nidis, pro escis & pro pullis seu fatibus suis pugnet: quanta justitia labores suos masculi & femina invicem partiantur, ut, femina remanente in nido vel spelunca, masculus ad perquirendum cibum atq; reportandum femina sua & fatibus egrediatur & regrediatur. Tempore etiam meo Ciconia tanquam de adulterio convicta per olfactum masculi sui congregata multitudine Ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo, vel detegente ejus crimen, à tota illa multitudine deplumata atq; dilacerata est, tanquam concilio aut judicio omnium esset adulterii judicata. Narratur de eqvo, cum ignoranter cum matre sua concubuerat, postquam deprehendit, propriis dentibus sibi genitalia abscidisse, tanquam in seipsum vindicans incestum, quem commisisse sibi videbatur, licet ignorans eo quod operimento abscondita fuisset ei mater, dum ascendebat. Multa alia similia, apud scriptores de animantibus reperiuntur. Quæ moverunt veterum quosdam, ut ista rationis non plane expertia crederent, unde ad credendam metempsychosin multi populi adducti sunt, cui consequens consortium aliquod animo istiqve infiti juris naturalis, uti apud Ægyptios & Indos illa communis fuit, opinio, quam è Judæis Phariseos assumsisse Josephus de bell. Judaic. lib. 2. c. 7. indicat. Pythagorica secta eandem tenuit & diffudit. Decepit vero illos tum deprehensus in animantium plurimis melior rectiorque naturalis indolis usus, quam apud aliquos hominum rationis; tum similitudo multorum actuum, homini brutisque communium, ut dum naturaliter fiunt, utrinque crederent utrisque jus esse. Errant tamen, si id serio voluerunt, tum in consideratione, quam

pauca sint, quæ cum animantibus communia, quamq; hæc non in omnibus nec eodem modo in paucis: tum ignorantia discriminis, instinctus & rationis. Utriusque eadem est materia, & hæc non humano generi propria. Brutorum facta multa quæ hominum eadem. At in eo differentia, quod illa in ista feruntur instinctu naturali, hi ea regunt ratione. Quoad illum actus animales, ex hoc rationales sunt. Ratio, non instinctus jus facit. Non est sine ratione jus. Ut inclinatio naturæ à regimine rationis, sic quod in brutis & in homine idem videtur, distat. Non quod naturale est, idem quoque juris naturalis existit, licet illud huic materiam præbeat. Exemplum inspiciamus, quod Jcti tradunt in conjunctione maris & foeminae. Hæc ut talis quidē naturalis est, at non juris naturalis. Feruntur ad eam omnia animantia, at non ut ad rem justam, verū ut ad naturalem actum. Quidquid vero in ea honesti requiritur, quod ex obligatione aliqua debitum, id ad jus pertinet, propriumque hominum est, qui secundum præcepta juris cœunt. Sic quæ respectu materiæ omnibus communis est animantibus actuum materia, ea cum ratione approbatur & formatur, ut justa atque honesta, sic jus fit. Sed hominibus non minus proprium, quam ipsa ratio. Plutarchus in vita Catonis Majoris: *Νόμῳ μὲν γὰρ καὶ δικαίῳ πρὸς ἀνθρώπου μόνον χεῖσθαι πεφύκαμεν. Lege & justitia adversus homines tantum natura utimur.* Similis legitur sententia Hesiodi:

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων
 Ἰχθύσι μὲν καὶ θηροῖ καὶ οἰωνοῖς πέσεινοῖς
 Ἐδοτε μὲν ἀλλήλους ἐπεὶ ἔ' δίκη ἐστὶ μετ' αὐτῶν
 Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην ἢ πολλὸν ἄριστη.

Humano generi nam lex datur ab Jove summo.

Quippe ferae pisces avium genus altivolantum.

Mutua

Mutua se vertunt in pabulâ juris egentes.

Justitia at nobis quæ res est optima crescit.

Idem, ex eadem ratione, nec invicem inter animantia juris nexum esse, hoc versu docuit.

Ἐδοξε ἀλλήλους ἕπει ἔ δίκη ἐστὶ ἐπ' αὐτοῖς

Vorare se mutuo, quia nullum ipsis jus quo obligentur.

Plato in Minos: *Nostra terra ex omnibus animantibus hominem genuit, qui ceteris intelligentia præstat, solusq; jus ac DEos animadvertit. Cicero* 1. de Offic. *In equis, in leonibus justitiam non dicimus. Seneca de quovis bono sic ratiocinatur* Epist. 124. *Nunquam erit bonum in eo, quod irrationale est. Bonum quidem cadere in mutuum animal nullo modo potest, felicioris meliorisq; natura est. Nisi ubi rationi locus est, bonum non est.*

Segregat ille actum à judicio de actu, quod bonum malumve morale respicit. Ita & aliud ab actu est jus actus. Quando igitur inclinatio materiam, ratio formam juri tribuit, quævis non ratio, iis nec justitia communis, quam naturæ autor ad regendam vitæ societatem animis ratione præditis, imò ipsi rationi indidit. Nec modo in lege condenda constituentis ratio, sed similiter & ejus, qui jure regitur atque utitur, necessaria est. Nec enim justa fieri possunt sine juris cognitione atque electione, nec non applicatione ejus, quod bonum & æquum & averfatione contrarii. Quod utrumque rationis ministerium exigit. Inter quos hæc nulla, inter eos quoque cessat juris communicatio. Quod argumentum ad negandum juris cum cæteris animantibus communionē firmisimum olim traditum ab Aristotele 5, *Ethic. 10. Τὸ δίκαιον ἐστὶ ἐπὶ κοινωνούντων βίῃ πρὸς ἀναρχίαν ἐλευθερίων καὶ ἴσων ἢ καὶ ἀναλογίαν ἢ καὶ ἀριθμὸν. Jus est inter eos, qui communione vitæ ut necessariorum rerum copiam habebant, sunt conjuncti, suntq; liberi & æquales, aut numero aut certa proportione.*

Qvo respicit Cicero *lib. 3. de finib.* scribens: *nihil esse homini juris cum bestiis, quippe quas hominum causa, ut iis utantur, natura produxerit.* Jus tam active quam passive est ex obligatione, at hæc nulla sine ratione. Unde nihil aut peccati in bestiis, quæ impetu naturali tantum feruntur, nec injuriæ in bestias, quæ adversus homines nullo jure gaudent. Sicut ab Ulpiano *l. 1. §. 1. ff. Si quadr. pauper.* scriptum: *Non potest animal injuriam fecisse, quod sensu caret.* Damnum itaque, quod bruta inferunt, non ea voce Jcti appellant, sed pauperiorem dicunt. Quod Plutarchus in tractatu, quem inscribit *πότεια τῶν ζῴων φρονιμώτερα*, scribit, *ἀνθρώποις δίκαιον ἔτι καὶ πρὸς τὰ ζῶα εἶναι*, etiam hominibus adversus bruta jus esse ait. Admodum improprie dicitur & ad id pertinet, quod hominem decet, cui incumbit moderate in usu rerum quoque inanimatarum versari, nedum animatarum, non quod his debeat aliquod officium, (nulla enim ex natura cum iis societas aut obligatio est, quæ sine jus non existit,) sed quod in creaturis temperantiam usus demonstrare homini conveniat. Nam ut nihil rebus nostris debemus, sic nec iis in nos jus est. Similiter cum homini in cætera animantia plenum dominium divinitus datum sit lege creationis, ea jus non habent, ex quo illo uti conveniat. At cum ne abuteremur, ad officium spectet, ideoque natura injustum sit ultra necessitates vitæ in creaturas DEI esse prodigum, quæ nos, non tamen quæ illa jus quoddam existit. Ad quod hoc intellectu referendum est sapientissimi Regis proverbium *capit. 12. v. 10. Justum erga pecudem suam affici misericordia.* Deinde jus vel justitia tribuitur aliquando brutis respectu alicujus imaginis, quam aliquot animalia repræsentant. Quomodo Plutarchus de iis ibidem scripsit, *ἀλογα λόγῳ χρῆσθαι.* Similiter prudentia fortitudo aliaque

aliarumque virtutes istis tribuuntur, quæ tamen hominum propriæ sunt. Quantum vero umbra à corpore, tantum simulacrum id justitiæ virtutumque in brutis ab his ipsis differt. Distinxit ita Seneca 1. de Ira, c. 3. *Muta animalia affectibus carent, habent autem similes illis quosdam appulsus.* Plenius discrimen exponit Seneca Epistol. 12. dignus ibidem aspicitur. Cicero 1. de Officiis. *Inter hominem & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad illud solum quod adest quodque præsens est se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem qui rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & res præsentibus adjungit atque adnectit futuras.* Idem alibi vocat, quæ in animalibus apparent, præstantia virtutum simulacra. Sicut Origenes dixit, in iis non esse κακία sed οἰονή κακίας. Aristoteles lib. 9. de Histor. Animal. cap. 7. vocat illam similitudinem μιμήματα ἢς ἀνθρώπων κινήσεις ζωῆς, Vita humana imitamenta. Alibi 1. Ethic. ult. pulchrè hæc discernit, docens in homine esse τὸ Φυλικόν, cum plantis commune, deinde τὸ ὀρεκτικόν, ἐπιθυμητικόν καὶ παθητικόν, in affectibus, inclinationibus & propensionibus consistens, quod cum brutis commune sit; tertio τὰ λογικόν seu ἡγεμονικόν, quod vocat δὲ ἀποκρίσιμα ἔλα τῶν θεῶν ἡμῶν; nativum ex mente divina assumptum, & hoc proprium hominis. Et ad hæc cum virtutes tum & justitiam pertinere, quæ licet id quod commune cum animantibus ceteris dirigit, tamen non in his sed in solo homine jus facit. His consideratis, dicendum, aut ex sectæ suæ studio errasse, Ictos veteres, si vere jus animantibus tribuerunt, aut verò impropria locutione tribuisse, cujus in iis materiam vel imaginem & umbram conspicerent. Ita sensisse

fisse verisimilius credo, inspectis vocibus improprieta-
 tem notantibus, quod tantum censeantur non perita,
 sed peritiâ, uti recta lectio superius allegati textus Ju-
 stinianei habet, censeri, hoc est æstimari & admiratio-
 ni esse propter illa simulacra. Atq; sic interpretes
 ut plurimum explicant, ut dicta Jctorum ab absur-
 ditate vindicent, ea distinctione utentes, quam Svarzii
 verbis extractat, *de Legib. lib. 1. cap. 3.* addere malo, qui
 ita scribit: *Animalia bruta non sunt capacia proprie-
 legis, sicut nec obedientia; cum nec ratione nec libertate
 utantur. Efficacia ergò divina virtutis & necessitatis na-
 turalis, quæ in rebus carentibus ratione inde resultat,
 per metaphoram lex appellatur, & licet bruta in hoc dif-
 ferant ab insensibilibus, quod non sola vi natura, sed
 etiam cognitione & instinctu naturali ducantur, qui in-
 stinctus est illis quasi lex, ex hac ratiõne videatur posse
 sustineri illud: Jus etiam in bruta cadit, tamen nihilomi-
 nus illa acceptio juris vel legis est simpliciter metaphorica &
 valde analogæ.* Hactenus ille. Si aliter senserunt no-
 bis suâ opinione, quæ sectam suam sequitur, aliquam
 non facit secus, quæ rationi convenit, sentiendi ne-
 cessitatem non inferunt, nec legem super eo magis
 statuunt, atq; alia Justiniano juri ex Philosophorum
 sententiis pro illustrandâ jurisprudentia inserta: cum
 Chrysostomo in *Homil. 4. ad Act.* sic sentimus: *Per
 Philosophos (inquit) hoc semper egit Diabolus, ut ostende-
 ret, nostrum genus nihil à brutis differre, quando non-
 nulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia
 rationis expertia ratione prædita esse dicerent.* Non ta-
 men sine usu pro jure naturæ demonstrandò aliqua
 ejus imago in brutis exhibetur, tum quò homo ex eo
 naturæ propensionem ad ea quæ in se justa vult ab iis,
 in quibus sine justitiâ sunt, discat & colat; tum ut ex
 eo de naturæ præceptis sibi datis certior fiat; tum ut
 quod

quod etiam brutis sanctum videt, se per rationem magis decere agnoscat, tanto diligentius observet.

IV. Quid sit jus naturale, inter Juristas & Philosophos non convenit. Sententiarum diversitatem commonstrant varia, quæ isti ascribunt & tamen ejus minime sunt. Unde vix justa ejus haberi potest definitio, nisi dispecto prius discrimine eorum, quæ verè proprieque juris sunt, & quæ pro eo venditantur, sed incongruè. Et quidem primo à jure naturali separandum est, quod saltem est naturæ. Hoc sæpe naturalis juris appellatione significatur, ut Ciceroni frequens. Non tamen omnè quod in hac est, simul juris est. Male naturalia sine discrimine pro jure habentur. Non istis inditum jus, sed rationi, quæ ubi de iis aliquid honestum, turpe, justum aut injustum dicat, tunc fit juris naturalis. Inde huic minimè appropriandum, quod rudis ac simplicis naturæ est, citra accessum rationis, quæ ad justa illam efformet. Similiter istius instinctus & appetitus animales multum ab hoc differunt. Isti initia boni, unde apud Philosophos *κρῶτα κατὰ φύσιν* audiunt, non ipsum bonum sunt, quod per rationem in istis formatur. Differunt inter se quantum inclinatio & applicatio, materia & forma. Illa simplicis naturæ: Hæc rationis atque electionis est. Quo & Senecæ illud pertinet *Epist. 124. Quid secundum naturam? quod contingit & protinus nato, non dico bonum, sed initium boni.* Non sufficerent ad jus naturæ initia, nisi formarentur justis ratiociniis. Seneca dicit. *Epist. 124. Quemadmodum omnis natura bonum suū nisi consummata non profert: Ita hominis bonum non est in homine, nisi cum illa ratio perfecta est.* Secundum hæc intelligendum Ciceronis illud *lib. 3. de Finib. Non inest in primis natura conciliationibus honesta actio.* Quocirca ubi quid naturalis juris sit, quæritur, non suffi-

ficat saltem inspicere, quid mere naturæ sit, sed quomodo ad honestum & bonum ducit. Illud ex indole, hoc ex ratione censendum. Naturale tamen utrumque est, tum quod per naturam instinctu aut ratione dicitur, tum quia isti convenit. Collige ex his, quomodo leges naturæ velut summas faciamus, bonum, commodum, gratum prosequi, malum, incommodum effugere, sibi bene velle, plus se amare quam ceteros, vitam conservare, membrorum integritatem & usum non impeditum velle, sociabilem esse. Naturæ hæc sunt, tantum simpliciter considerata. At juris naturalis fiunt, cum ex istis principiis per accommodationem ad honestatem vel societatem actiones regunt, & pro iis quæ honesta vel turpia, æqua & iniqua sunt, ex ratione distant.

V. Similiter secundo distingvendum est inter jus naturæ & jus naturale. Boni autores his vocibus promiscue utuntur, nec contra bonam latinitatem peccant. Proprie tamen & accurate locuturis eadem non sunt, re ipsa differunt. Jus naturæ est, quod per istam rerum naturalium proprium redditum, seu his ipsis cum aliqua necessitate aut proprietate inest. Nec aliud est, quam facultas naturalis, quæ rei cuique inest. Ita rebus etiam inanimatis jus tribuitur, quod est in genuina eorundem conditione. Seneca *lib. 3. Natur. quest. cap. 29.* ait: *Legem barba & canorum nondum natus infans habet.* Aristophanes *multas avium leges esse dicit.* Freqventes legimus apud scriptores, de juribus animalium, legibus astrorum. Naturales motus eadem voce denotantur. Eo modo animalibus ratione carentibus juris vox applicatur, indicans quod ipsa naturale. Sic naturalis unicujusque animantis & rei facultas pro jure habetur. Aliter cum jure naturali comparatum, quod est vinculum mentis cum ratione

indi-

inditum, ad observandum honesta & congrua, vitandum turpia atque iniqua. Quod consistit in aliquo dictamine & præcepto connatæ rationis, multumque differt à rerum proprietatibus. Quæ per naturam, vitæ, sanguinis, ætatis, sexus, corporis, animæ propria, naturalia istorum jura sunt, at non quæ hominem omne quod in his factum fuit, jus naturale seu vinculum habet ad perpetuam observantiam, sed saltem quod ex iis vel juxta ista dictat naturalis ratio. Unde & fit in iis aliquando diversa & pene contraria accidere. Naturæ jus est in sanguine, ut conservetur, at idem non semper jus naturale, per quod fas effundere pro nostra aliorumque defensione & pro avertenda noxa communi, ut in pœnis capitalibus evenit. Corporis multa sunt propria, velut jura ejus, at per naturale jus contra illa & licent multa pro usibus nostris aut societatis. Huic subest jus naturæ ut regulæ, ceditque in normam justæ.

VI. Tertio in iis, quæ ad disceptationem de jure naturali spectant, oportet distingvere præcepta & permissa: sunt alia necessario facienda vel omittenda, alia quæ sine delicto fiunt vel omittuntur, indifferentia, & arbitrio humano naturaliter relicta. Justa nempe, quia juri non contraria. Inde jus naturale primævum duplex aliqui fecerunt, præcipiens & permittens. Illud obligandi vim habet, ad faciendum, vel omittendum necessariam exigens observantiam: Quocirca sine violatione pudoris naturalis vitæque socialis perrumpi aut negligi nequit. Hoc verò nullo præcepto aut interdicto constans, saltem est naturalis libertatis. Illud necessarium, hoc verò voluntarium. Idem est quod dicunt vulgo, aliud juris gentium esse positivè aliud privativè. Sic ut colatur pietas, præstetur parentibus reverentia, parcatur hominis vitæ

vitæ, resistatur improbitati, nemo lædatur, fides ser-
vetur, naturalis juris est, quia descendit ex rationalis
naturæ præceptis homini congenitis. Quæ cum non
servantur, violatur fas hominum. At non ejus generis
sunt cætera, nempe ut liceat propulsare injuriam,
occupare res quæ nullius sunt, & similia. Permittit
hæc natura, non jubet, nec vetat. Nec ex natura
justa sunt, sed pro justis habentur, quia per naturam
non reddita fuere injusta. Eatenus istius juris sunt,
quatenus licentiam talium naturalis ratio facit, nec
improbantur. Non propriè, sed ut scholæ loquuntur,
reductive, simili modo atque justa aliquando dicimus,
quæ injustitia carent. Proprietatem vero secuturi ni-
hil possumus ad jus naturale referre, nisi per se ac
suapte natura debita vel illicita. Tertiam itaque spe-
ciem faciunt. Quemadmodum Jcti inter velle & nol-
le medium ponunt, non nolle, ita inter justa & injusta
media sunt, quæ non injusta. Vere non justa, quia
non jubentur. Nec tamen injusta, quia non vetan-
tur. Fiunt licitè, sed non justorum instar necessario.
In iis superest arbitrium humanum & eligendi ordi-
nandique facultas. Quam late autem ista differunt,
tam male per alios perturbatione totius doctrinæ de
jure naturali confunduntur. Siquidem illa deinde le-
ge aliqua necessaria vel improba fiunt, hæc mere po-
sitiva est, valetque & mutatur arbitrio condentis,
quod secus est cum quæ vere juris naturalis sunt con-
stitutione humanâ edicuntur.

VII. Ex quibus & quarto constat multum inter
se discrepare naturale jus & libertatem naturalem,
quæ & Jcti non raro confundunt, indeque errant cir-
ca quæstiones, quæ de vi & constantia juris naturalis
disputari solent. Illud supra hominem, hæc in ho-
minis potestate est. Illud necessitatem servandi, hæc volun-

voluntatem retinendi continet. Nam ex illo est, ne quid aliter liceat, ex hac ut utrumque liceat. Exemplum cape ex iis, quæ Jcti de jure venationum, aucupiorum, piscationum, item de dominio maris disputant. Male plurimi in his acquisitionum potestatem negant, quæ quasi naturalis ideoque immutabilis juris sint, in quo ex ignorantia præfati discriminis labuntur, dum quæ libertatis naturalis sunt ad jus transferunt. Origine quidem æquivalentur, quæ natura justa & quæ licent. Sed vi & potestate discrepant, quantum quæ honesta & quæ licita sunt.

VIII. Quintò discernendum est jus, quod conatum, & quod ex inveteratis moribus profectum in similitudinem naturalis juris transit. Consuetudo longævo usu subit imaginem naturæ, ut diu consuetum velut naturale fiat. Personam autem induens sub ista larva, fallit variè, ut putetur gentium juris naturalis, quod est inveterati apud multos moris. Aristoteles 1. *Rhætoric. 11. Etenim id quod consuetum est, velut natura est inditum.* Nam simulat consuetudo Naturam. Vicinum scilicet est id, quod sæpe fit ei quod semper, & Natura quidem ejus est quod semper, consuetudo ejus quod sæpe fit. Ex eo consuetudinem vocavit vetus dictum, quod Galenus lib. 3. memorat, *Ἰσχυρῶς φύσει ἰα εἶναι, ascititiam naturam.* Dicta est etiam veteribus, hominum Dæmon seu genius. Inde & naturale jus, quæ ex ista fiunt justa, æmulantur & sæpe naturaliter fieri dicitur, quod antiqui moris. Cujus exempla cum in sacro codice, tum & libris civilis jurisprudentiæ continentur. Ita accipiendum Pauli dictum: Turpe esse natura, viro comam alere, non quod naturali jure vetitum, sed quia ex præscito more Corinthiis improbum. Natura humana id non reddidit fœdum, cum aliud plurimis gentibus usitatum & lau-

& laudabile fuerit. Simili sensu Pomponius scripsit: *naturaliter licere contrahentibus, se circumvenire in l. 16. §. 4. ff. de contr. empt.* Non quia naturâ sic comparatum, sed quia ita moris communis, ex quo velut naturale id emptionis atque venditionis factum sit. Eò modo idem *l. 7. ff. de Reg. Jur.* scribit, *testati & intestati naturaliter inter se pugnam esse*, cum tamen ea regula è moribus Romanorum profecta aliis populis communis non sit, nec etiam apud Romanos in omnibus observata. At tales consuetudines, quæ efficiunt, ut naturaliter aliquid fieri videatur, velut natura moribus adaptata, jus naturale vere non sunt. Plerumque ea singulorû aut pauciorû populorum sunt peculiare, nec à natura, sed placitis gentium originem habent, applicatæ saltem naturæ. Idem de gentium inveteratis & per traducem velut acceptis & transplantatis opinionibus sentiendum, ex quibus sæpe justa statuunt, & velut naturalia observant, quæ talia minime sunt nec censentur.

IX. Sexto non oportet confundere naturæ tantum conformia & naturæ præcepta. Actus quamplures sunt naturæ non difformes & rationi naturali proximè convenientes, at non oriuntur ex lege naturali. Ideo ab hijs, quæ ex rationis naturalis argumento induunt similitudinem naturalium, differunt, faciendâ propter præceptum & legem. Multum quidem ad æquitatem & placitum refert, ut quidque est naturæ convenientius; at non ideo semper est naturalis juris, quod ex præcepto vel necessitate faciendi aut omittendi æstimatur. Hæc sæpe in jure Justiniano confundi reperimus, inde plura juri naturali attribui, quia naturæ conveniunt, ideoque naturali rationi complacent, sed natura legis instar non dicitur. Conformitas cum natura alia est necessaria, ex naturæ præcepto,

capto, alia probabilis ex hominum naturali iudicio. Illa jus facit, quia obligat: Hoc juris vicem non habet, nisi accedit voluntas pro jure sibi statuens. Abusive sine alio placito, quod ad observantiam obligat, juris nomen capit.

X. Tandem observandum est discrimen juris & pudoris naturalis. Est quidem non servati juris pudor, cum illud sine turpitudine non violetur, quæ pudorem incutit & movet, unde & juri præsens est. Plato lib. 12. de L. L. *παιδεσθον αιδως Δίκην*, Comitum pudoris justitiam, Plutarchus *ἔνοικον αιδως pudoris cohabitatricem* vocat: at latior multo pudoris causa est, quam ex neglectu justii aut facto injusto. Alios præterea is ipse fontes habet. Produciatur quippe ex quavis imperfectione, quam in se homo sentit, non modo circa moralia, sed etiam in mere naturalibus, & quidem talibus, in quibus nihil officii, virtutis aut vitii quæritur aut spectatur. Sicut autem tum desiderio perfectionis, tum opinione adversi de suis defectibus iudicii istam quisque naturaliter à se longissime remotam aut rectam cupit, dedecus inde metuit, ita ex ista vercundatur. Quam autem nulla ratione putabitur, quidquid in homine imperfectum aut in quo denudatur imperfectio, quod pudorem incutit ex se remota obligatione, quæ aliunde oritur peccatum esse, tam non congruum quod isti contrarium pro jure statim habebitur. Ut sequeretur, si omne ex quo nascitur pro injusto habendum sit. Latior igitur pudor jure. Nec eadem ejus species est. Alius quippe est necessarius, ex iis quæ naturaliter turpia ideo improba sunt, cujus absentia nunquam non culpatur & vocatur impudentia: Alius probabilis, decorus, at non necessarius. Ideo cum adest laudatur; at si quis eo careat, non culpandus. Alius improbus, qui & rusticus audit.

E

Apud

Apud Aristotelem stupor vocatur, qualis in iis qui non improba, imo etiam honesta agere verentur. Ad quem mentibus exuendum tendunt Philosophorum præcepta. Quo pertinet hoc Senecæ: *Recta ingenia debilitat verecundia, prava confirmat audacia.* Cicero partit. Orator. *Verecundiam imitatur timiditas.* Ad istam spectat, quod apud Livium lib. 3. legimus, *inutili pudore nos damnare causam nostram; & lib. 34. Pudet quod non oportet, quod oportet non pudet.* Ad illud discrimen respiciunt verba Aristotelis lib. 2. *Ethic. cap. 7. Qui omni ex re pudore afficitur, pavidus dicitur: Territus, qui à modo deficit: qui nulla ex re omnino pudore afficitur, impudens; qui autem modum adhibet, is pudens & verecundus dicitur.* Recensitarum supra trium pudoris specierum posterior vituperabilis est, & ad tractatum de jure plane non pertinet. Prior ut ad virtutem omnem, sic & ad justitiam multum facit. Eam non ut oportet servatam sequitur, ac ex transgressione enascitur, itaque vitia agnoscit & reprobat. Secunda species non ita ex verito vel improbo facto, sed saltem ex cognita imperfectione oritur, quare omissus non ultra vituperat, quare istum tegere necesse est. Is ergo non est cognitio vitii aut violatæ justitiæ, ideo nec argumentum in iis quæ incutiunt naturalis juris, sed in homine defectus, seu in naturalibus seu in moribus. Et si itaque omnia injusta pudorem incutiunt, non tamen omnia pudibunda sunt injusta aut naturaliter illicita. Quare in scriptis bonorum auctorum jus & pudor multoties distinguuntur, aliæque ex jure, aliæ ex pudore omittere habentur. Apud Senecam in Troadibus dicenti Pyrrho: *Lex nulla capto parcit aut penam impedit, regegit Agememon: Quod non vetat lex, hoc vetat ferri pudor.* Differentiam eandem notat Imp. Justinianus in *pr. Instit. de Fideicommissis* appella-

appellata sunt, quia nullo vinculo juris sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continentur. Sic non raro quæ ex jure non debita pudori accepto feruntur, aut ob illum requiruntur. Aliquando utriusque ratio habetur & exigitur. Paulus l. 14. §. 2. ff. de rit. nupt. *In contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus est.* Quanto plura autem sunt in homine & circa hominem, in quibus imbecillitas, error & lapsus humanus, etiam cum sine crimine sunt, excitat pudorem, quam jus naturæ poscit aut prohibet; eo minus juri potest iste allegari aut saltem proprius fieri. Multa sunt, quæ justitia non poscit aut verat, pudor tamen abnuat. Quo respicit Cicero lib. 1. Offic. ubi justitiæ & verecundiæ hos fines facit, *quod justitiæ partes sunt, non violare homines, verecundiæ, non offendere.* Deinde nec eadem utriusque causa. Justitia est in dictamine rectæ rationis; Pudor in passione ex agnitione imperfectionis, & metu contemptus. Inde dissimilis utriusque vis. Illa obligat & necessitatem observantiæ infert. Hic excitat saltem & sensum poenitiæ facit. Ex illa jus alteri petendi aut prohibendi; Ex hoc tale nullum, sed saltem verecundanti incitamentum decora quærendi, aut indecora obtegendæ. Illa aliis debita, hic sibi decora respicit. Quare quæ jus naturale fecit licita, pariunt actionem aut exceptionem; Ex solo pudore servanda vel omittenda præter vituperium non valent. Ex actionem non præbent, nisi quatenus ex lege aut consuetudine majorem præstandi necessitatem accipiunt, ut sæpe per legislatores, quæ pudorem violant, sed naturaliter non obligant, in jus rediguntur, ex constitutione aut consuetudine tantum non ex se tunc in id valida. Detracta istarum vi nihil necessitatis habent ad præstandum; uti declarant modo de fideicommissis allegata. Quare nec as-

Et

feren-

ferendum, quæ pudori non conveniunt, seu pudorem incutiunt, sine discrimine conscientia adversa esse; sunt plura ad pudorem efficacia, quæ tamen directo sine culpa aut vitio sunt, ut quæ inemendabilis sunt imbecillitatis, vel ex mera naturæ infirmitate in corpore non in animo existunt, aut quæ mores certi populi saltem recipiunt ex istis verecundiam facientia. Haud tamen negandum, pudori ad integritatem humanæ societatis cultumque virtutis multum inesse. Magnum inde ad honesta & decora incitamentum, ut ejus quædam est formido. Senece *Epist. 84. Plures pudore peccandi quam bona voluntate prohibiti abstinent.* Virgilius *Æneid. 8.*

Tum pudor incendit vires & conscia virtus.

Silius lib. 1.

Tum pudor accendit mentem nec conscia fallit

Virtus pressa loco.

Dixere veteres, *sapientia segetem, nutrimentum ac stimulos virtutum.* Cicero de Orator. *Custos virtutum omnium dedecus fugiens & laudem maximam consequens verecundia est.* Porro: *Verecundia parens est omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, magistra innocentia, chara proximis, accepta alienis, omni loco omni tempore favorabilem præ se ferens vultum.* Platonis eodictum respicit ad ineruditum Præsidem: *Deus metuens, ne plane interiret genus humanum, dedit hominibus justitiam & pudorem, ornamenta civitatum & ad amicitiam colligendam vincula.* Haud etiam pudor caret singulari vi naturali. Cicero 2. Tusculan. quæst. *Sæpe videmus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur.* Movet multum sine lege; Cujus inprimis mortalium exemplum est. De quibus Ovidius 1. Fastor.

Proq; metu populum sine vi pudor ipse regebat

Nallus erat justis reddere jura labor.

XI. Natu-

XI. Naturalis pudor nihil aliud est, quam inter-
 nus animi motus ex imperfectionibus, quas quis lon-
 gissime à se remotas esse aut præsentem non intelligi
 cupit, ideo invisam habet. Oritur, cum quis vel eas
 manifestè possidet, vel quævis infirmus est ita prodita,
 ut inde in conspectu hominum minoris se putet fieri.
 Hujus agnitio producit naturalem suæ vitæ opi-
 nionem; opinio generat contemptus metum; metus
 incutit pudorem; isque justus est, quatenus non injus-
 te ex istis contemptum quis metuit. Quidquid inique
 aut sine ratione metuitur, justum non facit pudorem.
 Tria hæc concurrunt justo in pudore; infirmitas velut
 causa excitans; de ista hominum judicium, ut impel-
 lens; ejus metus, ut producens. Infirmitas vero non
 omnis sinister meretur judicium, sed saltem quæ vel
 ex se facit contemptibilem, veluti ubi ex imbecillita-
 te non resistitur affectibus ad deteriora labentibus,
 aut cum in corpore sunt monstruosa & humanæ formæ
 non congrua, vel cum ex se non sit deformis, tamen
 prodita facit vilem & indecorum, ut sit in detectione
 naturalium passionum & membrorum, quæ Deus & na-
 tura voluit tegi coram vel omnibus vel quibusdam; simili-
 ter impotentia in consequendo, quæ desideriis aut affe-
 ctibus nostris congrua erant, ubi in desiderando vel non
 impetrando defectus quisquam elucet indecorus. Na-
 scitur agnitio infirmitatis ex comparitione status, in
 quo esse aut quem expetere decet, & quidem vel se-
 cundum naturam, eamque aut integram, qualis con-
 creata primitus fuit; aut præsentem, ut post deprava-
 tionem consistere potest & servari debet; vel secundum
 populi cum quo versamur mores & opinionem. De-
 defectus itaque vel in natura vel in moribus est causa pu-
 doris, dum menti infert persuasionem, quod si quid
 contra hæc fieri, male homines de isto censebunt, ideo

vileſcet exiſtimatio. Quæ inde eſt animi commotio, cum illo ſanguinem facit in exteriora ebullientem, inde ruborem. Sicut autem vulgus errat multifariam, ita non ex ſolo ejus judicio vel opinione juſtus pudor eſt, ſed cum quod cenſet rationabile eſt; veluti ſi aut factum ex aliquo jure eſt probroſum; vel ſi licitum ex ſe facienti tamen dedecorum, quia infra dignitatem ejus eſt, ſeu autoritatem quæ iſti convenit, imminuit; vel ſi offendit, ſeu, ut loquimur, ſcandalizat videntem & audientem; quia fit quod vel conſuetudini communi aut moribus ſingulorum vel judicio ſapientum non convenit. Ut autem ſecundum jam ſcripta ratio ejus vel naturalis vel civilis eſt, ſic inde duplex pudor & ex hoc duplex honeſtas à ſcriptoribus aſſeritur. Naturaliter honeſtum dicitur, quod naturæ ductu neceſſario decorum; Civiliter, cui in civitate ex moribus & opinionibus decus tribuitur. Cicero lib. 2. Tuſcul. quæſt. *Fama & multitudinis judicio movemur, ut illud honeſtum putemus, quod à plerisque laudatur.* Illud ubiq; vim habet & pudorem movet. Hoc vero juxta civitatum mores in iisdem: Ex quibus multa per ſe non turpia ſed indifferentia pudorem incutiunt, quia reddita ſunt vilia & contempta, fordida, ut vultus deformitas, natiuitas ex loco vili, & ſimilia. At ſicut hi variant valde, ſic inde fit alicubi pudenda, alibi non inhoneſta eſſe. Cornelius Nepos in Præfat. *Plurima apud alias gentes turpia, apud alias decora puniuntur.* Quintilianus inſtit. lib. 5. cap. 10. *Non ubiq; idem aut licet aut decorum eſt.* Sic cum nec omnibus eadem conveniunt aliis pudorem merito incutiunt, quæ ab aliis ſine pudore ſunt vel admittuntur. Inter imperfectionem & perſonam, quam quis ſuſtinet, non eadem ſemper æquitas, ideo nec ſimilis deformitas, quæ agnitionem & pudorem facit, reperitur. Quam multa dedecent viros

viros honoratos, conspicuos, doctos, ideo facta aut adhibita pudori sunt, quæ vilibus, plebeis; indoctis, rusticis dedecori non sunt, ideo nec pudori. Sunt etiam quæ aliquando non sunt dedecora, cum alias pro fœdis habeantur. Cicero lib. 3. de Offic. *Multa quæ naturæ videntur honesta esse, temporibus fiunt non honesta.* Ita nuditas membrorum, quæ communiter teguntur, vitium & dedecus habet, non quidem ex natura, quæ nudos nos producens ex se nihil pudendi adjicit, sed ex statu corrupto & rationabili judicio. Attamen nec omni tempore fœda est, nec omnibus, veluti infantibus & inter conjuges, & ex causa non licet modo sed & necessaria est. Sunt porro multa quæ ex se notam non merentur, sed ex circumstantiis. Quot sunt, quæ coram amicis, medicis, chirurgis, obstetricibus, parentibus, liberis, servis nihil verecundiæ habent, dum inter alios improbantur. Quid non licet privatim, quod palam factum offendit. Quæ diversitas efficit, ut non adeo facile sit discernere, quis justus pudor sit. Regula tamen si aliqua constituenda ex ratione, hæc aut ex naturali decore aut morum in civitate formatione desumenda est, inspecto non quid quisque judicet, sed quid secundum naturam aut mores judicare debeat. Non parvi hæc dignosse momenti est, quia ex pudore honestatis atque turpitudinis censura vulgo sumitur.

XII. Pudor ex se non facit discrimen honesti & inhonesti. Nec generatim quid tale dicendum, ideo quod pudorem movent. Est enim ille, uti vidimus, aliquando injustus. Et licet justus, tamen ex defectu tantum ortus, non magis potest honestum & inhonestum definire, quam statui quod quæ deficiunt talia sunt vel faciunt. Etiam naturaliter non improba, imo & per naturam honesta, pudorem sæpe movent. At per civitatis mores & opinionem effectum est, ut pudor ad

censuram de honesto & inhonesto assumatur, ideo illud
 statuatur, prout de re unaquaque in ista fit decoris vel
 turpitudinis aestimatio. De quo tamen civile potius
 quam naturale est iudicium, quia regulam ex civita-
 tis cujusque moribus aut populi opinione habet. Ut
 ex his quidque pudore dignum existimatur, ita pudor
 fit honesti & inhonesti ad discernendum arbiter; sed
 hæc nomina tunc strictè accipimus, ubi ex solo pudore
 metimur. Latius alias sumuntur, ut etiam per natura-
 ram justa vel improba denotent. Ad quam diver-
 sitatem acceptionis respicit Philosophorum distinctio,
 cum dicunt aliud esse honestum natura, aliud mori-
 bus civitatis. Illud non aliud est, quam quod juris
 naturalis dicimus, sicuti circa illud honestum sæpe
 pro justo scriptores usurpant. Et præceptorum juris
 primum per JCtos dicitur, *Honeste vivere*. Obser-
 vandum etiam in legibus Romanis, quas Justiniana vo-
 lumina complectuntur, honesti vocabulum ad denotan-
 dum jus naturale adhiberi, sicuti etiam pudoris ad i-
 dem referetur. Nam quod juxta naturalia præcepta
 turpe, id etiam pudorem meretur & movet: non vice
 versa, quod hoc dignum illis improbum est. Sic discernit
 JCtus Ulpianus in l. 42. ff. de V. S. *Probrum & op-
 probrium id est probria quaedam natura turpia sunt, quæ-
 dam civiliter & quasi more civitatis, ut puta, furtum
 & adulterium natura turpe est; enim vero tutela da-
 mnari hoc non natura probrum est sed more civitatis. Nec
 enim natura probrum est quod potest etiam in hominem
 idoneum cadere.* Similis de bonis moribus distinctio
 est JCtorum, quod alii sunt naturaliter tales, alii
 civiliter; quæ utuntur ad conciliandas leges, quæ idem
 diversimodè bonis moribus conveniens vel contrari-
 um dicunt. Ita multa civiliter seu assuetudine civi-
 tatis inhonesta & pudibunda sunt, quæ natura non
 sunt.

sunt talia. Magis proprie indecora dicerentur. Pudorem enim movet indecorum, ideo inhonestum; ab adverso quo iste devitatur decorum, ideo honestum creditur. Cicero 1. Offic. *Quod decet honestum est & quod honestum est decet. Quid vero sit, quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est honestas.*

XIII. Quomodo jus à pudore, sic à justitia honestas differt. Ex quo Jctorum ea phrasis, aliqua inhonesta, quæ tamen non injusta, & vicissim quædam honesta, at non debita: Multa decent ex honestate, ad quæ non est facultas ex jure. Sic utramq; discernit Ulpianus in l. 1. §. 5. ff. de Extraord. cognit. *Quædam honeste accipiuntur, inhoneste tamen petuntur.* Etsi autem sola honestas, quæ ex pudore statuitur, nullâ lege confirmata legem non facit, nec ad agendum petendumq; efficax sit, attamen cum jus ab eo, quod in civitate honestum est, facile separari non debeat, & naturali rationi conveniat, pudorem non violare, ex eo fit ut pudori inde & honestati contrarium legum sensum temperet seu faciat, ut alias justa resistente pudore vim non habeant, quia ex naturali quodam dictamine contra illum nihil fieri debeat. Quo spectat sententia Papiniani, l. 15. ff. de condit. instit. *Quæ facta cadunt verecundiam nostram & ut generaliter dixerim contra bonos mores sunt, nec facere non posse credendum sit.* Sic de cessante ob inhonestum actione Paulus in l. 11. ff. de Furt. *Tunc cujus interest habet actionem, si honesta causa interest.* Imp. in l. 5. C. de Condit. ob turp. caus. *Ex stipulatione contra bonos mores interposita denegandæ esse actiones juris autoritate demonstratur.* Imp. Antonius l. 6. C. de pact. ait: *Pacta quæ contra bonos mores sunt nullam vim habere.* Sicut & à Juliano in l. 61. ff. de V. O. scribitur: *utilis est contra bonos mores sti-*

pulatio. Quod leges Romanæ bonos mores vocant, non aliud est quam quod hic honestum seu pro pudore decorum dicimus. Ita pudor qui ex se jus nullum facit, nec pro naturali jure est, vim suam per mores cujusq; civitatis exerit, ut mixtus illi in juris potestatem simul transeat & injustum fiat, quod illa pro pudore fieri nequit. Exinde per jurisprudentiam recipitur turpitudinis exceptio, excludens intentionem inhonestam petentium. Ex qua vulgatum illud: *Allegantem propriam turpitudinem non esse audiendum.* Ad turpia inde nemo cogitur. Sicut Ulpianus l. 8. pr. ff. de condit. instit. *neminem cogendum turpiter accipiendi conditionem jurare.* Inest pactis, mandatis & debitis ea conditio, quatenus salva honestate seu reverentia præstari possunt. Callistratus l. 38. pr. ff. de oper. libert. *Hæc demum imposita opera intelliguntur, quæ sine turpitudine [quæ hic accipitur pro eo quod pudorem lædit] præstari possunt.* Quando autem ex mera honestate, quam lex naturalis aut civilis nulla recipit & firmat, actio non est, sed saltem juxta mores civitatis exceptio, sit ut inhonesta negandi, præstita autem repetendi jus non sit, ideo qui turpiter accepit aut possedit petitor potior sit, ut inquit *JCtus in l. pen. ff. de Condit. ob turp. caus.* Quod JCtorum multi ignorarunt conciliare cum iis, quæ de inutilitate pactorum contra bonos mores in jure habentur. Prohinc fitur ex eo, quod honestum ut tale sine lege alteri jus non tribuit, ex quo actio fit; sed saltem in debente præstandi pudorem causat, qui excusat quidem, ne opus sit bonis moribus contraria ut pudibunda præstare, non ex se sine accedente lege efficit alterius obligationem planè nullam, ut ex ea agere aut retinere non liceat. Ex quo etiam discrimen inter ea, quæ contra leges sunt, unde non nascitur

scitur obligatio, quia istæ actum faciunt nullum, & quæ contra bonos mores, qui sine lege ex se eadem efficaciâ non obstant ne fiat, factum tamen juxta mores civitatis improbant & in judicio attendi non sinunt. Porro etiam in his ipsis, quæ ad honestatem spectant, sicut circa pudorem, discrimen est inter ea, quæ nunquam possunt esse alia nisi culpanda, & quæ aliquando sunt indifferentia seu media, benè & male fieri, ideo aliquando non culpari nec pudorem facere possunt. Ex honestis aliqua in puncto consistunt, ut sine vicio nunquam sint, alia laxius habent spaciū, ut omitti sine turpitudine, imo & aliquando laudabiliter fieri possint. Habent vero & hæc ex decore multum commendationis. Cicero lib. 1. Offic. *Ut pulchritudo corporis apta compositione membrorum, movet oculos & delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt, sic decorum, quod in vita elucet movet approbationem eorum quibus cum vivitur ex ordine & constanti moderatione dictorum omnium atq; factorum.* Idem lib. 2. Offic. *Quod decorum honestumq; est per se nobis placet animosq; naturâ & specie suâ commovet.* Quintilianus lib. 1. Institut. cap. 12. *Nihil potest placere quod non decet:* lib. 10. cap. 3. *Caput est artis decere quam facias.* Non potest itaq; non multum momenti habere, quæ ex pudore statuitur honestas. Cicero lib. 5. de Finib. *Ingenios moderari decet & offensione turpitudinis & peccatione honestatis;* Idem lib. 12. Tusculi quæst. *Honestatis se quasi lumen aliquod aspexerimus nihil est quod ut eo possimur non parati sumus & ferre & perpati.*

• XIV. • His ita discretis facilius est juris naturalis definitio. Imp. Justinianus in §. 1. Instit. de Jur. nat. gent. & civ. definit, *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit.* Quæ si examina bitur, non

non carebit defectu. At nolumus talibus disputatio-
nibus tempus chartamq; insumere. Fecerunt hoc in-
terpretum plurimi, & porro faciant. Non adeo magnum
pro eo, quem nos intendimus, sine usum habent. Cicero
lib. 1. de Offic. scribit, quod sit velle preceptio, pravi depul-
sio: lib. 1. de legib. quod sit recta ratio in jubendo & ve-
tando. Alii aliter describant. Cui libet suum relinqui-
mus sensum. Non inepte ut putamus definietur, *con-*
natum animis rationis dictamen, de justo & injusto, cum
observantia debito. Continet quidquid ad substanti-
am juris & ab aliis juris speciebus differentiam spe-
ctat, forma ejus est in dictamine innatae rationis &
obtemperandi necessitate, qualem natura constituit,
exigit, imponit, omissam castigat. Dictat ratio, im-
perat natura, reveretur humanitas.

XV. Principia hujus juris scrutaturos discerne-
re oportet ea quae essendi & quae cognoscendi princi-
pia cum Philosophis dicimus. Illa ad rei existentiam,
haec ad notitiam deducunt. Illorum summum & ve-
rum Deus est, ut naturae, sic & cum ista indici juris u-
nicus autor. Indidit autem homini cum illo spiri-
culo, quo animum rationalem primum condito cum
ea facultate inspirabat, ut transiret in omnem pro-
geniem. Inde illud dictamen rationis etiam voce Spi-
ritus Dei continetur *Genes. 6. v. 3.* Nam se non si-
nere regi Spiritu Dei, ibi est, contemnere ductum re-
ctae rationis. Intellexere ortum gentiles. Euripides in
supplicibus hoc appellat *ῥῶπον θεομύθιον, Deorum*
legem. Sophocles *jura non conscripta, sed nata De-*
um concessa. Dion Chrysostomus *Δίος θεομύθου Jovis san-*
ctum. Demosthenes *ἐπινομία τοῦ θεοῦ, Inventum*
& Donum DEI. Socrates *jus patrium, quo omnes ho-*
mines inter se utantur, non quae ab humana natura con-
dito, sed tanquam imperata à divina potentia. Hie-
rocles

τοϋτοϋ τῷ ὀρθῷ λόγῳ πείθεσθαι καὶ τῷ θεῷ ταῦτον εἶναι.
 Ut à DEO velut opifce prodiit natura, sic & quidquid
 naturæ est proprium & veluti connexum atqve infe-
 parabile. Hesiodus τὸν γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε
 Κεχρίων. *Legem hominibus constituit Jupiter.* Philo-
 sophis inde familiare naturales leges vocare divinas.
 Chrysostomus 1. *ad Corinth.* 11. 3. ὅταν δε εἶπω τὴν φύ-
 σιν θεὸν λέγω: ὁ γὰρ τὴν φύσιν δημιουργήσας, αὐτὸς ἐστίν.
Cum naturam dico, DEUM dico: Ipse enim est nature
opifex. Ut vero justitia divina in humanis omnia ju-
 ste fieri voluit, ita de justitia sensum, ad eam propen-
 sionem & præcepta mentibus iniecit, ut ab ipso juris
 origo recoleretur, in factis ille respiceretur. Justi-
 nianus Imp. §. 11. *Instit. de J. N. G. & C. jura naturalia*
divina providentia ait constituta. Ita de justitiæ origi-
 ne Chrysippus 3. *de Diis:* ἡ γὰρ ἐστίν ευρεῖν τῆς δικαιοσύ-
 νης ἄλλην ἀρχὴν ἐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ὅκ τῷ Διὶ
 καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως. Ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πᾶν τὸ
 τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομεν ἢ ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν
 καὶ κακῶν. *Non potest inveniri principium aliud aut o-*
rigo justitia, quam ab Jove & communi natura. Inde
enim initium duci debet, ubi de bonis malisve discer-
nendum est. Et ea fuit omnium Stoicorum sententia,
 ab ipso Jove natum jus. Unde & Latini hoc nomen
 duxisse creduntur. Seneca lib. 4. *de Benefic.* 7. *Quid*
aliud est natura, quam DEUS & divina ratio, toti mundo
& partibus ejus inserta. Jus natura à DEO datum est.
 Ex origine ista & vis obligandi concreavit DEUS jus, ut
 legem, quæ perpetuo servaretur. Eadem veterum
 opinio effecit, ut qui spretis naturæ legibus in sce-
 lera proruerent, ipsis θεόμαχοι & scelerum foeda θεο-
 μαχίαι dicerentur.

XVI. Indidit autem & in creatione DEUS inse-
 vit mentibus humanis justii iniquique regulam & noti-
 tiam,

tiam, ut semper præsens & perpetua rectitudinis esset recordatio. Cœpit cum homine & naturæ ejus appropriata naturalis est & vocatur. Inde de hoc jure, Imp. Justinianus §. 11. *Instit. de Rer. divis. hoc cum ipso humano genere rerum naturam prodidisse.* Aristoteles Rhetor. 1. cap. 14. applicat illi sententiam Sophoclis: *ὅς γὰρ τε νῦν τε καὶ χθες αἰεὶ ποτὲ ζῆν ἴσθαι, καὶ οὐδὲς οἶδεν ἐξ ὅτῃ Φάνη: Neq̄, nunc & heri, sed semper & olim vixit hoc jus, nec quisquam novit ex quo extiterit.* Cicero pro Milone talem legem natam vocat, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus. De ejus origine & æternitate ejusdem in lib. 2. de Legib. sententia legitur: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq̄, hominum ingenii excogitatam, neq̄, scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendiq̄, sapientia. Nec quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias, in ponte unus assisteret, à tergoq̄, pontem intersecindi juberet, idcirco minus Coelitem illam rem gesisse tantam, fortitudinis lege atq̄, imperio putabimus: Nec si regnante Tarquinio nulla erat Roma scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretie Tricipitini filia attulit. Erat enim ratio profecta à Rerum Natura, & ad recte faciendum impellens & à delicto avocans: qua non tum deniq̄, incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est.* Philo in libro, *Omnem virtutem bonum esse liberam, Νόμος δὲ ἀψευδῆς ὁ ἐξ ὅς λόγος, ἔχ' ἢ τὸ πρὸ τοῦ δεινός ἢ τὸ δεινὸς θνητῆ Φύσεως ἐν χαλεμοῖς ἢ σήλαις ἀψυχῶ ἀφύχοις ἀλλ' ἢ τὸ ἀθανάτων φύσεως ἀφαιρῶ ἐν ἀθανάτων ἀνεοία, ἵπυθεις.* Lex mentiri nescia est recta ratio, qua lex non ab hoc

ant

aut illo mortali mortalis, non in chartis aut columnis, exanimis exanima, sed corrumpi nescia, quippe ab immortalis naturæ insculpta, in immortalis intellectu. Per hoc ut postea videbimus à reliquo gentium jure discrepat, quod non connascitur sed inducitur, non dicitur, sed ratione colligitur, non insitum hominibus, sed ab his conditum & editum est.

XVII. Concreatum jus primis hominum cum animâ per traducem transplantatum est in posteritatem. Sub initiis apparuit statim inter Caini & Abelis primogenitorum contentiones naturæ adeoque & juris connati notitia, sed simul suppressus vigor. In sacra quidem historia, uti nobis edita est, non habetur de quo contenderint ad eadem usque, id tamen indicatur Genes. 4. v. 8. altercationem intercessisse. Quæ in nostris codicibus omissa refertur ex antiquis editionibus ab Hebreis veteribus, tenore illo, qui à nobis traditur in Inspect. hac, sub *num.* 53. Cum disputatio tum factum arguit utriusque aut non perinde cognitum aut curæ, quod naturalis juris fuit. Sethum inde tertium Adami filium tradunt sollicitè egressisse, ut certior istius esset posteris notitia, & ex ea diligentior observatio; Cumque audivisset à præfago patre fore, ut mundus cum aquâ tum igne periret, duas extruxisse columnas, lapideam & lateritiâ, ut illa aquis, hæc igni superesset, iis DEI opera & jussa inscripta, hanc diluvio absumptam, illam Flavii Josephi ævo fuisse superstitem: sicut scribit *lib. 1. antiq. Judaic. cap. 3. Manet ad hoc ævi in Syria regione.* Ante diluvium ad Noachum usque facilis fuit scientia primitus conditorum. Hic enim sexcentos annos ante illud fuit, natus à Lamecho, qui cum ipso Adamo vixit. Inde omnibus usque ad istum contigit ex terricolarum primo nosse principia omnium.

Quia

Quia autem accesserat per depravationem naturæ corruptela, eam deletionem omnium excepto cum conjuge & liberis qui justus solus erat, abolere Deus voluit. In paucis servatis velut reparans quod depravatum erat. Omnibus ex istis oriundis præcepta data sunt, quæ inde Noachidarum Hebræi Magistri vocant, quæ expressimur non modica juris naturæ pars. Septem fuisse plerique dicunt, de Idolatria, Maledictione nominis divini, Cæde, Concubitu, Furto, Judicio, Effusione sanguinis. Credunt ista fuisse eadem atque Adamo præscripta erant. Quam latissime pateant, insigni tractatu ostendit Doctissimus Vir Johannes Seldenus, in Commentario *de jure Naturali & Gentium*, juxta disciplinam Hebræorum. Cum autem non magis Noacho geniti quam Adami ante illum progenies servare integritatem & quæ per Moysen ac Prophetas explicando, declarando, monendo, increpando superaddita erant frustra essent, tandem Deus per filium toti mundo faciliorem congeniti juris reparationem obtulit. Illum doctorem & exemplum misit, præterea quæ implere humano generi per infirmitatem impossibile ab illo impleri voluit, justitiamque ejus sola fide cæteris propriam fieri. Quidquid autem ad salutem animæ ac emendationem vitæ pertinebat, omnibus populis non commune saltem voluit, sed & prædicatione divini verbi ad omnes emissa vulgavit & inculcavit. Eam humanitatis inter gentes reparationem per Christum faciendam Prophetæ dudum vaticinati sunt. Præprimis eo pertinet quod Esaias cap. II. v. 7. & seq. habet: *Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit. Vitulus & lepus & ovis simul moribuntur & parvulus puer ducet eos. Non malefacient nec corrumpent in universo monte sanctitatis meæ, quia impletus est terra scientia Domini, sicut. aquæ*
ope-

operientes mare. Respiciunt hæc tum ad docendum Evangelii usum, pro restauratione juris humani inter populos ad vitam honestam & quietam, tum ad demonstrandam vim in constringendo mentes invicem, si non à pietate abhorruerint.

XVIII. Dictata naturæ ex quævis jus oritur, non eadem sunt. Alia sunt & dicuntur τὰ πρῶτα κατὰ Φύσιν, prima naturæ: alia δεύτερα seu ἀπογεννημένα, primis consequentia. De quibus Gellius lib. 12. Noct. Attic. c. 5. Hoc fundamentum est conservanda hominum perpetuitatis, si unusquisque nostrum simul atque editus in lucem foret, hanc prius rerum sensum affectionemque caperet, quæ à veteribus Philosophis τὰ πρῶτα κατὰ Φύσιν appellata sunt, ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret. Postea per incrementa ætatis exorta à seminibus suis ratio est, & utendi consilii reputatio & honestatis utilitatisque vera contemplatio subtiliorque exploratio, commodorumque delectus, atque ita præ cæteris omnibus enituit & præfulsit decori atque honesti dignitas, ac si ei retinenda obtinenda ve incommodum extrinsecus aliquid obstaret, contentum est, neque aliud esse vere & simpliciter bonum, nisi honestum, aliud quiddam malum nisi quod turpe esset, existimatum est. Reliqua omnia quæ in medio forent, ac neque honesta essent neque turpia, neque bona esse neque mala decretum est. Producti quæ tamen & rejections suis quæque momenti distincte divisæ sunt, quæ ἀπογεννημένα ἢ ἀναγεννημένα ipsi nascuntur. Ad prima illa pertinent, quæ simplicis rudisque rationis sunt, cum hæc nobis ab ipso ortu ingenuita: Secunda vel consequentia proficiuntur ex accessu ratiocinationis, quæ ex primis principiis alia elicit & colligit. E. g. Parentum amor atque reverentia ex simplici rationis dictamine oritur. At quomodo amandi & honorandi sint, ratiocinando colligitur.

Ex eo cœpit obsequium liberorum, pietas alimentorum, facultas castigandi immorigeros, juxta modum naturæ convenientem. Similiter matrimonii honestas indita mentibus est lege quædam naturali. Addit autem ex istâ pro lege longe plura ratiocinatio, inferens isti congrua & incongrua, nempe ut coeatur honeste, verecunde, uti paci ac concordiæ convenit, ut societas humana conservetur. &c. Sic ferme se res habet ac in Mathematicis, ubi quædam sunt notitiæ primæ, quædam ex his ortæ demonstrationes: Quarum aliquæ statim patent, aliquæ difficilioris intellectus sunt. Aliqui aliis vocibus ista discernunt, & illa vocant juris principia, hæc principiata. Ut autem principia juris generalia eaque quæ his proxima omnibus nota sunt, ita ignorata neminem excusant. Cætera studio & dexteritate quærenda, ut difficiliora sic non omnibus peræque obvîa. Ad horum explicationem multum faciunt, quæ ex Platonis de legibus naturalibus sententiâ, quàm in scriptis suis sparsim habet, collegit & in compendium redegit fidus ejus interpretis Marsilius Ficinus, qui post definitionem legis ex Præceptoris mente constructam hæc addit: *Sequitur hinc ut lex æterna sit, ac penitus immutabilis, & apud omnes gentes eadem de eodem, si modo vera sit: nam quæ temporibus locisque, & opinionibus permutatur, non lex sed instructio nuncupatur. Legum autem species, ut ex Timæo Phædroque, & Gorgia colligitur, quatuor sunt: Prima divina, quàm providentiam Plato vocat: Secunda cælestis, quàm Saturni: Tertia movens, quàm naturam: Quarta humana, quàm prudentiam naturalem. Prima in mente divina, quàm Saturni legem Orpheus & Plato esse volunt: Secunda in superiori animæ parte, quàm Jovis: Tertia in movente inferiori quæ illius potentia, quàm prima Veneris: Postrema in hominis mente, quàm secunda Veneris legem vocant. Observa, Platonem duplex naturam*

um.

um legum genus statuisse. Alterum juxta quod DEUS regit, alterum secundum quod homo vivit. Utriusq; duplex species nominatur. Primi altera est aeterna DEI lex, juxta quam omnia mundi perpetua quadam ratione gubernantur, ab initio in mente divina existens, de qua Cicero lib. 2. de Legib. Hanc igitur video, sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quoddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendiq; sapientia. Altera est naturalis rerum omnium juxta ordinem & seriem in qua disponuntur. Cicero lib. 2. de Finib. Quid est verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem & mentem putet inesse, in cælo mundoq; non putet; aut ea quæ vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? Quæ ut eodem certog; tenore immutabiliter se habent, & divina sapientia indicia sunt, ita multos veterum sapientum induxerunt, ut mundo animam inesse crederent. Sed de his speciebus nobis hic res nulla est. De quibus tamen philosophice scripta non adeo multum discrepant, ab iis quæ de sapientia & providentia DEI sacræ literæ habent, nisi quod divinis congruentiores voces adhibent. Alterum genus est nostri instituti, nempe hominum, per quod vita illorum regitur, cujus duplex quoque species traditur, quæ eadem denotat, ac de quibus supra scripsimus. Lex enim tertia, quæ à Platone simpliciter naturalis dicitur, alias elementaris, nihil aliud est, quam simplex rationis naturalis dictamen, quod est in principiis seu *πρωταρχικῆς ἡσυχίας*. Quarta prudentiæ naturalis nomine indigitata, est ratiocinationis ex principiis primis subsumptæ dictamen, se multo latius illis extendens, sed per prudentiæ humanæ collectiones. Aristoteles similiter naturæ leges *Magn. moral. libr. cap. 17.* sic discernit dicens: *DEOS a-*
liqua

Alia homini fecisse naturalia, hominem alia ex naturalibus statuisse rationabilia, non minoris secum quam illa auctoritatis, quod recte putaverit sibi non minus rationi quam natura obtemperandum esse.

XIX. Ex duplici operatione rationis circa juris indicium, ut simpliciter dicat & per ratiocinationem ulteriorem colligit, duplex jus naturale oritur, aliud quod ex simplici ratione, aliud quod est ex ratiocinatione. Illud rationis, hoc ratiocinationis jus non ineptè dicitur. Utriusque tamen eadem potestas, etsi noscendi dispar sit facultas. Non minor quippe reverentia atque obœdientia debetur his, quæ ex ratiocinatione iusta principia juris sectante apparent, ac quæ simplex dicat ratio. Sicut vim ad ratiocinandum natura indidit, ita quod ex rectæ rationis collectione proficiscitur legitimavit, & homini ut lucem ducemque vitæ atque actionum præfecit. Quod ratiocinando colligitur, vim juris accipit, cum petatur seu medium concludendi terminum habeat ex naturalibus principiis. Deinde ex recta ratione admittendi vel vitandi necessitatem continet. Haud vero diffitemur eorum, quæ per necessariam consequentiam deducuntur, differentiam. Alia propiora suis sunt principiis, alia longius absunt. Aliorum certa & facilis inde subsumptio, alia obscurior & ingenio subtiliore indigens. Ex hac quidem non est obligationis discrimen, circa quam sola spectatur. Consequentiarum necessitas, quæ istam parit, ideo ubi hæc similis, ibi istam eandem facit. At peccatorum diversitas oritur, cum adest, quod à simplicioribus & non eruditius difficiliter comprehensa, intellecta aut observata excusare valet. Sicut de criminum gradibus & discrimine exponenda ob oculos ponent.

XX. Quæ sic natura dicat, non consistunt in nudis sententiis seu notionibus, nec illam saltem vim habent

habent, ut ad iusta nos ducant, aut legibus occasionem præbeant, sed leges sunt & ita obligant. Cicero lib. I. de Legib. *Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ faciendæ sunt, prohibetq; contraria; eadem ratio, cum est in mente hominis confirmata & confecta, lex est, itaq; arbitramur, prudentiam esse legem, cuius ea sit vis, ut recte jubeat, vetet delinquere.* Est veterum Philosophorum hæc concors de jure naturali sententia. Pervertunt imo evertunt totum, qui legis vocem aut vim ei non tribuunt, nisi postquam per civitates illa dictamina recepta atque in constitutiones conversa sunt. Sic & antea nullum jus esset, quod absurdum, dum sine vi obligandi nullum ita dici possit; & civitatum placitis relicto, quid ex iis justum velint, quod naturæ contrarium, quæ ante & supra civitates existit. Docent vim juris seu legem iis rationibus inhærentem, etsi ex civitate nihil autoritatis vel assensus accesserit, antiquitas ante illam, hominum observatio extra illam, diversitas ab illâ, consensus sapientum, hominumque omnium intra se sensus de illâ, ob neglectum intus conscientiæ morsus, foras pudor, apud alios extra civitatem odium & infamia communis, poenæ à DEO metus. Argumenta certissima, sine civitatum receptione naturæ dictata leges vere esse, legumque vim habere. Obligat ideo & gentes invicem, etsi nihil communicationis pactique intercedente. Aristoteles I. Rhet. 13. *Est aliquid, quod omnes profitentur natura commune jus & injustum, etiamsi nulla inter ipsos communis, nullaq; pactio intercedat.* Exponit ita Alexander Aphrodisiensis 2. de Anim. c. 42. *Sinaturâ sociales ac communicabiles sumus; impossibile autem est, durare societatem sine justitia, necesse est jus quoq; natura esse. Quod si quoniam apud alios aliud jus est, propterea negent ipsum esse natum, certe id natura dicent esse,*

esse, quod apud omnes idem est. Et si jus scriptum, quoniam scriptum est, per constitutionem & non natura esse dicent, certe necesse erit, ut natura non positione fateantur id, quod non in scripto vim habet. Suntque ejusmodi pleraque, quae appellare solemus ex ipso adfectu leges non scriptas, quae communes omnibus sunt, nisi sint excæcati. Revereri enim Seniores, colere DEUM, honorare atque observare parentes & praestantiores viros, sunt jura quaedam non scripta, & communia, quae naturaliter apud omnes homines retinentur. De his enim neque paciscuntur secum, neque leges sanciant, sed retinent tanquam statutas & confirmatas ab ipsa natura.

XXI. Tanto validior hæc lex naturæ est, quod divina lex est. Cicero de Offic. 3. scribit: *Natura rationem legem esse divinam.* Est quippe à DEO juxta Immensæ sapientiæ placitum, insculpta mentibus, additumque ad vim, quod nisi à DEO proficisci nequit, nempe vis animi justis apti, lumen rationis dictantis, instinctus ad observantiam, consensus omnium ad reverentiam, pudor violandi, formido violati, judex in conscientia contra violationem, ex hac tortor & vindex in animo. Quævis omnibus nihil in homine divinius est. Inde jus necessarium divinum apud scriptores audit. Similem vim auctoritatemque habet, ac quod DEUS libera voluntate sanxit, verbo suo publicavit. Quod DEUS per naturam injunxit, non eo minus lex est, quia non verbo revelatum. Sufficit aliunde constare de voluntate DEI. Ex hac vis legis, non ex modo publicationis. Quæcumque ratione decretum legislatoris innotescat, seu ex verbis, seu per conditionem naturæ, vel negotii, ad observantiam obligat. Conclusiones per rationem de faciendis vel omittendis intellectæ divinæ voluntatis æque sunt indices ac præcepta ore seu scripto edita, ideo legis vi pollent,

quo-

quoniam DEum sic voluisse certum Argumento est, quod quibus nulla Scripturæ Sacræ notitia, gentes in Divina criminis reæ, & ideo coram DEO abominabiles fiunt. Tertullianus de Coron. milit. *Quares DEI legem? habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis.* Haud levius inde in DEum peccat, qui naturalia jura, ac qui leges à DEO promulgatas violat. Certam ideo gentium in divino judicio condemnationem, nullam fore excusationem Paulus Apostolus *ad Romanos cap. 1. & 2.* docet. Theologorum & Jctorum sententia est, in foro poli seu conscientiæ agi ex naturali jure, velut divino, divinitus intra penetralia humani pectoris ad conscientiam continendam convincendamque constituto.

XXII. Antiquissima porro lex est, quæ cum homine cœpit. Ab orbis initio dudum ante alias leges conditas, ejus in primis mortalium manifesta existunt vestigia. Tertullianus de interdicto Arboris scientiæ boni & mali adversus Judæos cap. 2. *In hac lege, ait, Ada data omnia præcepta condita recognoscimus, quot postea pullaverunt data per Mosen, id est, Diliges Dominum DEum tuum de toto corde tuo & ex tota anima tua, & diliges proximum tibi tanquam te, & Non occides, Non mæchaberis, Non fraudaveris, Falsum testimonium non dices. Honora Patrem tuum & Matrem, & alienum non concupisces.* Atque hanc primordiale legem appellans, *matricem quasi esse scribit omnium præceptorum.* Et post: *Ante legem Masi scriptam in tabulis lapideis legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur & à patribus custodiebatur. Nam unde Noe justus inventus, si non illum Naturalis legis justitia precedebat? Unde Abraham amicus DEI deputatus, si non de æquitate & justitia legis Naturalis? Similiter vim ejus omni lege antiquiorem ostendit D. Hierony-*

mus in *Epist. ad Galat. cap. 3.* Per hanc naturalem legem & Cain cognovit peccatum suum, dicens: Major est causa mea quam ut dimittar? Et Adam & Eva agnoverunt peccatum suum, & propterea absconditi sunt sub ligno vite. Pharaon quoque, antequam lex daretur per Moysen, stimulatus lege Naturae sua crimina confitetur, & dicit: Dominus justus est, ego autem & populus meus impii. Idem ad illud *Esaia: quia transgressi sunt legem, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum,* quod ad alias gentes præter Judæos attinet, audiant, inquit, Judæi, qui se solos legem accepisse Domini gloriantur, quod universæ primæ gentes totusque orbis Naturalem accepit legem, ac ideo postea lex data sit per Moysen, quia prima lex dissipata est. Hieremias ideo *Semitas antiquas* vocat *cap. 6. v. 16.* Vere istud connatum jus mater, fons & scaturigo omnis juris. Ex isto ratio prodit, quidquid justum est. Etiam quæ civitates sibi condiderunt, instar fluminum ex isto mari fluunt & refluent. Æquitatem inde nanciscuntur aut amittunt. Ut rei cujusque naturalis ad principia relapsus est, sic & ad primam humanitatis regulam cuncta quæ ad justitiam pertinent rediguntur. Quod unaquæque lex isti propior, eo æquior.

XXIII. Ut prima sic & summa est. Seneca 5. de *Benefic. 21. omni lege valentior* ait. Quintus ad *Antiochi Legatos apud Livium lib. 34. Hænesta aut sola aut prima pensari decet Principi orbis terrarum populo & tanto regi.* Ad istam provocatur ab omnibus, cum aut accusant aut excusant facta. Sicut Autor ad *Herenium* scribit, *defensionis cujusque initium securius esse à natura.* Huic consequens est summa naturalis juris auctoritas civilibus constitutionibus gentium sive omnium sive singularum potior. Tum quod in nullius potestate est, legem cui communiter sine exceptione subsumus

sumus immutare; tum quia omnibus hominibus natura illud sic proprium fecit, ut nisi hominem exuunt, ab eo se eximere non queant. Eo magis quod necessarium est, voluntati populorum non obnoxium, à DEO & natura injunctum. Inde gentium jus voluntarium non minus atq; aliud quoddam civile isti velut potentiori cedit & se submittit. Summam quidem legem salutem populi Cicero dixit, & nemo non sentit: Naturæ tamen obnoxia est, ut ipsi omnis populus subditus. Ut igitur in illam populi nulla est potestas dispensandi; ita nec populi causâ negligenda, nedum violanda. Impie consulitur reipubl. ubi læditur pietas & honestas. Quod à Cæsare dictum refertur, *si jus violandum, regni causâ violari debere*, si ad naturale jus referes, impie & turpiter dictum erit. Nam & illius necessitas incumbit summis potestatibus, à quibus nihil humani alienum est, nec regni viribus superatur. Nihil credendum reipubl. salutare, nisi quod pietati ac justitiæ conforme. Quod ille vidit & agnovit, à quo scriptum, *scæda ne patriæ quidem causa facienda esse*, de quo plura in ipso tractatu.

XXIY. Quod potentioris legis proprium est derogare inferiori, quoq; naturali juri convenit Gentium & Civili detrahit, cum illi contrarium erit. Inter leges mundi voluntarias posterior derogat priori, quia in potestate constituentium est, leges quas velint sancire. At naturæ lex antiquior posteriori vim demit, dum quod prohibet in constitutiones moresq; deduci non sinit. Necessario in commune juri, quia omnem potestatem superat, obtemperandum est, frustra quæritur ejus, quod ab arbitrio humano exceptum, abrogatio. Validior omnibus natura, cui divinitus subjecta est hominis voluntas. Orbis hæc regimen accepit, ut omnes qui in orbem venirent, præoccupare

& velut ex præventionem ipsi locum & ex eo obsequium deberent. Apud Thucydidem lib. 3. dictum existat: τῶν νόμων κερήσοισι ἡ ἀνθρώπειά Φύσις: *Humana Natura legum victrix*. Et cum ex se constet natura, cætera velut ex accidenti eveniant, nihil finit constans, quod ipsi adversum. Quocirca ubi naturæ & civitatum leges colliduntur, aut hæ sic accipiendæ & observandæ, ne quid iis contrarium fiat, aut si id tenor non admittit, pro nullis & invalidis habendæ erunt. Aut civilis naturalem explicat, aut cedit.

XXV. Ex eadem vi naturalis juris oritur, quod cætera jura & imperia omnia limitat, ita ut quæ alias licentiam faciunt, exceptionem habeant, quatenus per illud licet. Dum cuncta humana naturæ velut gubernatrici DEus fecit obnoxia, nihil in iis aliter fieri atq; accipi debet, quam salva natura. Sicut vero in aliis, quæ contra naturam sunt, pro impossibilibus habemus, ita & eo loco censemus, quæ juri naturali repugnant. Quomodo ICtorum dictum habet, alia impossibilia esse natura, alia jure: Et in negotiis humanis utriusq; generis par est conditio. Quo spectat præclari ICTi Papiniani sententia l. 15. ff. de condit. Instit. *Quæ facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, ea nec facere nos posse credendum est.* Omni itaq; legi, jussui, dispositioni, conventioni tacita illa inest conditio, si possibile; perinde eadem subintelligitur, si non juri naturali adversum. Nam natura prohibitum impossibile habetur, Nulla contra hoc valet potestas, dum, omnis naturali rationi subjicitur. DEus ipse voluit, injustum omnibus, quod huic contrarium. Et quia non præsumitur, virum bonum voluisse per naturam, improba, dum quod non potest etiam exceptum, nec

quæ

quæ paciscitur aut disponit, aliter quam isti convenit intellecta velle creditur.

XXVI. Porro in isto jure communi infallibilis justî & injusti regula est. Ex principiis quippe naturæ, & quæ ratio ex his infert, certum & immotum justitiæ inter homines fundamentum DEUS ipse posuit. Ideoq; cum de jure agitur, invictum & omni exceptione majus pro eo argumentum existit, naturæ aliquid convenire vel contrariari. Natura neminem decipit. Hac duce dextre ambulans secure procedit. Ut ea omnibus communis, sic quod per rationem dicitur, omnibus fidem facit aut facere debet. Ita Heraclitus statuens λόγον τὸν ζῦνον βέλυσον τῆς ἀληθείας κρείττερον: addit γὰ κοινῇ Φαινόμενα πρὸς ἅπαντας φαίνεσθαι ὡς ἓν ἴδιον. Aristoteles κρείττερον πάντας ἀνθρώπων φαίνεσθαι συνομολογῆναι ὅτις ῥηθησομένοις. *Potentissima probatio est, si in id quod dicimus omnes consentiant.* Recipit hoc de jure argumentandi genus, tanquam omni alio superius, genus humanum communi consensu, dum nemo non, quoties cum alio ipsi res est, ad naturæ seu rationis naturalis dictamen provocat & inde mentes convincere laborat. Fundamenta suæ sententiæ in isto ab omnibus quæri creditur ejus certitudinis ostentatio est. Isti nemo reluctari audet, quia non debet; aut disputans velut contra principia non auditur. Qua de causa à Philosopho scriptum: *Quærens legem ubi naturaliter sentimus, infirmitatem intellectus esse.* Quomodo juris hujus certitudo constat? non convenit: Minimè aberrant, qui id per demonstrationes, ut Logici vocitant, fieri sentiunt. Concertent alii, an & in scientiis morales cadat demonstratio? Re ipsa convicti, qui considerant, sentient, de quo nos agimus, naturale jus eo modo demonstrari certamq; istius efficiantiam. Per causam scientiæ demonstrativam hauri-

tur,

tur, eamq; talem, quæ immotam habet certitudinem. Hujus generis sunt principia istius juris, eaq; rerum omnium immotissimæ naturæ innixa & ex hac velut ex causa immobili descendente & collecta. Sicut Mathematicarum scientiarum certitudo tribuitur notionibus ex natura desumptis, unde velut ex principiis suis infallibilibus in artem assurgunt, sententias suas ex causis artis accipiunt, eodem modo & Jurisprudentia naturalis à naturalibus principiis assumitur & derivatur. Nec hæc minus certa sunt, quam illa. Quod in iis controversum, ex incertitia aut vitii proficiscitur, non magis ad demonstrationem convellendam imputandum, quam quæ de mathematicis dudum in diversas opiniones distracta disputantur, ad eam in his negandam valent aut admittuntur.

XXVII. Ex eodem jure omnium, non modo legum, sed etiam actuum cum oritur dubitatio, clavis est, quæ mentem disponentium aut agentium referat. Ab isto quippe minimum descivisse creduntur, dum non debuerunt. Ideo quidquid dictum, scriptum, actum, ea mente processisse tam verosimile, quam necessarium ut naturæ convenit, seu naturali rationi non repugnat. Isti conveniens naturalis est intellectus, ut Papinianus vocat *in l. j. ff. de serv. export.* quem legis instar venerari, atq; quanto aliis conjecturis certior est, tanto constantius servare oportet. Et cum inter eos, qui eundem non agnoscunt superiorem, ex alio jure nulla sit obligatio, illorum fœdera, cautiores, pacta, dicta, facta quoties in disceptationem veniunt, ex jure naturali & ratione sociali interpretationem accipiunt, sic explicanda, ut per illud facienda vel discenda honeste, pie, juste. Hoc est, quod ab ICtis dicitur: *Cum de mente ex verbis non constat, interpretationem esse rationem naturalem.*

XXVIII. Na-

XXVIII. Naturæ jus omni alio jure latius plenusque est. Quæ gentium aut civitatum alio jure constituuntur, non sufficiunt extra constituta ad justitiæ aut injustitiæ regulam & argumentum. Nam nec quæ non jubentur ideo injusta, nec quia non vetantur justa sunt. Quò vulgatum illud spectat, ex humanis legibus, intellige voluntariis, argumentum negativum non valere. Legibus civitatum cuncta completi, tam impossibile est, quam cuncta quæ circa humana accidunt cogitatione comprehendere. Oportuit igitur, quæ constitutionem non habent, aliam habere regulam. Quam dedit simul natura ad omnia quibus inest. Et si itaque desinit civitatum constitutio, spectatur naturæ ductus, qui latioribus terminis humanas res regit. Ex ratione quidquid ei obyerit, juxta se censet, ut lex in universum omnibus ad omnia posita. Seneca lib. 2. de Ira cap. 27. *Quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula; quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt? Quæ omnia extra publicas tabulas sunt.* Idem lib. 5. de Benefic. 21. *Multa legem non habent nec actionem, ad quæ consuetudo vita humana omni lege valentior dat aditum. Nulla lex jubet amicorum secreta non eloqui; nulla lex fidem etiam inimico prestare. Quæ lex ad id præstandum nos, quod alicui præstitimus, alligat? Quæ rati tamen cum eo, qui aresanum sermonem non continuerit, & fidem datam nec servatam, indignabor.* Inde & evenit, plura ex his, quæ leges permittuntur, humanitatis jure improba censeri. Sic Cicero lib. 3. de Offic. *Plurima et si propter depravationem consuetudinis neque more tumpia habeantur, neque aut lege sanciantur aut jure civili, tamen lege sancta sunt.* Quintilianus lib. 5. Instit. cap. 10. *Pleraque in jure non legibus, sed moribus constant.* Exemplum Seneca

neca ponit i. de Clem. 18. *In mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat aequi bonique natura.* Insigne latitudinis in hoc jure argumentum est, quod juri cujusque civitatis ex isto aut origo aut vis. Inde enim id plerumque protegitur, quod ex jure naturali habet. Nec publicum minus quam privatum ex naturali plura habet. Ausonii versiculus hoc indicare voluit: *Jus triplex tabula quod ter sanxere quatorna, sacrum profanum & populo commune quod usquam est.* Error insignis est, publicum ab eo plane segregantium, in quem male intellectus Justinus in l. 1. §. 2. de J. & J. induxit, qui cum privatum jus saltem exponere vellet, ejus fontes, naturalia gentium & civilia præcepta esse dixit: Publici vero eadem esse non negavit. Nec enim de eo egit, ideo idem de illo scribere opus non habuit, nec extraintentionem studii voluit.

XXIX. Hinc & naturale jus est supplementum cujusque alterius juris. Hoc ubi deficit, vel quia lex non constituta, vel incidit in casus, quibus non obligat, aut inter personas, quibus alterius juris communicatio non existit, agitur, recurrendum est ad naturæ jus. Cum alia non suppetit agendi vivendiq; regula, ex hoc jus dicitur. Quomodo à Pomponio scriptum l. 2. §. 5. ff. de æq. plur. arc. *Hæc æquitas suggerit, nisi jure deficiamus.* Nam juxta Modestinum l. 13. §. 7. ff. de Excus. *sufficit fidem formare ex ipsa naturali justitia.* Cujus analogia ex collatione naturæ dictaminum resulans legis instar habet. Et cum nullum unquam jus humanum in omnes casus atque circumstantias plene providere, quicquid deest, aut lateat, aut dubium est, ex æquo bonoque, quod nihil aliud est, quam naturalis rationis dictatum, peti debet. Ut non incepte afferatur, vim & perfectionem juris voluntarii

rarii à naturali esse: In civitate leges naturales juri civili succenturiari. Præterea & huic ex istis spiritus. Necessitatem quidem ei injungit imperantis autoritas; aut observantium consensus; æquitate tamen conciliat naturalis ratio. Hac quatenus destituitur in rigorem incidit: Illa ubi deficit, æquitate tamen naturali sustinetur. Quomodo rivulus per multas ambages & circuitus aliquando longius à fonte excurrit, ex illo tamen multa trahit & retinet, ita jura civilia per causarum, negotiorum & circumstantiarum anfractus sæpe recedunt ab origine juris, abeuntque diversis modis in diversas civitates, robur tamen, vim & actionem obtinent, ducuntque potissimum ex naturæ lege, velut suo primævo fonte. Ex hoc approbantur, defenduntur, explicantur, applicantur.

XXX. Sufficientem humanorum in moralibus regulam esse in naturæ jure, creditum à veteribus, nec inepte. Nihil enim deest rationi ad ista regenda. Cicero lib. 1. Offic. *Naturam ducem si sequimur, nunquam aberrabimus.* Chrysostomus: *Sufficit pro lege conscientia & rationis usus.* D. Apostolus Paulus ad Rom. cap. 2. damnans ex sola lege cordibus inscripta gentes sine alia lege, istam plenam docet agendi normam. Cui si quid deesset, ad excusationem proficere potuisset. Ostendunt vetustissimi mortalium, quam sine alia lege, ista duce & luce, & quidem sanctius honestiusque quam ex alia lege vivere liceat. Probitate præstantior illorum sine legibus vita fuit, quam nostra inter constitutionum farraginem. De præscitis Romanis Salustius in Catilin. *Domi militiæq; boni mores colebantur, concordia maxima, minima avaritia erat, jus bonumq; apud eos non legibus magis quam natura valebat.* Laudat Historia idem de aliis gentibus, & comparans antiquiora eorum cum recentioribus, vitam

vitam sine legibus, quam sub his multis, beatiorem docet. Legum cumulus corrupti status argumentum est, juxta Taciti verba lib. 3. *Annal. Corruptissima re- publ. plurima leges.* Isocrates: *Qui bona republ. frui ve- lint, ii debent non literis implere porticus, sed in animis quod justum est facere.* Quod autem, cum posset, non sufficit, proficiscitur primo ex hominum vitiis validi- oribus, quam ut nuda ratione se refrenari patiantur. Alio freno & potentiore metu contineri oportuit, quam sanctio sub terrore certæ pœnæ incuteret. Macrobius 3. *Saturnal. c. 17. At nisi pessimis effusissimisq; moribus viveretur, profectò opus ferendis legibus non fu- isset. Vetus verbum est: Leges bonæ ex malis moribus procreantur.* Deinde, quod simplici vitæ accessit com- moditatum desiderium atqve institutum, redigens tandem homines in civiles societates. Ut non omni- bus eadem aut communia, aut ad communicandam, occasio erat, nec etiam perinde omnium ingenia, in- doles, mores, temperamenta, iisdem apta; ita singu- lis populis & civitatibus, imo sub his iis, qui per ista non raro discrepant, aliis legibus ad publicum priva- tumque regimen opus fuit. Istæ causæ civilem singu- lorum jurisprudentiam effecerunt, ut hodie non suffici- at nosse naturæ jus, sed simul necesse sit cujusque ci- vitatis leges moresque in regulam adhibere.

XXXI. Universalis porro lex est, quam indidit natura omnium hominum animis, & communis con- sensus approbat. Natura, quæ, ut *Salustius in Jugurth. ait*, una & communis omnium convenit juris sui apud omnes æqualitas. *Seneca Epist. 121. Est tardum & varium, quod usus docet; quidquid natura tradit, & æquale est omnibus & statim.* Porro: *Incertam est & in- æquale, quidquid ars tradit; ex æquo venit, quod natu- ra distribuit.* *Apostolus ad Roman, 12. v. 17. ideo quæ*
hujus

hujus juris sunt, vocat ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων καλὰ. Inde Hebræorum Magistri præcepta filiorum Noachi vocant, per quos omnes hujus posteros intelligunt. Isidorus lib. 5. Orig. definit, *jus commune omnium nationum*: Clemens Alexandrinus Megasthenis hoc dictum refert: *Quidquid ab antiquis de natura dictum est, docetur etiam ab iis, qui extra Græciam philosophantur, velut apud Indos.* Imp. Justinianus §. 2. *Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil. Humano generi commune dicit.* Lucanus *jus mundi* vocat, uti versus habet:

Sed neq; jus mundi valuit, neq; fœdera sancta Gentibus.
 Primo homini indita est, & in omnes ex primo natis derivata. Creator humanitatis cognatam vitæ morumque regulam animis inferendo hominibus omnibus imposuit, ut ab illa non magis discedere possent, quam exuere humanitatem. Jus est hominis, quia homo est: Ratione enim præditus, juxta rationem vivere debuit, illamque ut legem divinam agnoscere. Est inde commune omnium gentium debitum, quod natura dicitur. Sic omnes credunt; at quod ex iis, quæ naturalis juris sunt, pleraque ab omnibus non servantur, multæ gentes in alia discedunt, aliqui cum universali eò nexu conciliare nesciunt, sæpe in eam sententiam labuntur, non esse juris naturalis, quod non ab omnibus observari vident, cum tamen sit. Alii eo provehuntur, ut non deprehensa universali observantia, jus naturale, quod immutabile esse oportet, negent. At quomodo in cæteris legibus, ut ut universæ civitati conditis, inter constitutionem & praxin multum interest, nec licet hæc in universum ab omnibus non ostenditur, ideo ista minus universalis est, ita quia jus naturale generalis omnium obligatio minime neganda est, quod non omnes isti obsequuntur. Seneca Epist. 86. *Æquum jus est, non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus latum est.* Ni-

G

hil

hil ex lege mutat aut minuit transgressio populorum, quia & in transgressores ipsi vis sua, quam conscientia sæpius exercet. Universalitatem ut & immutabilitatem juris naturalis non decet censere ex moribus utentium, qui ad perversa multoties declinant, vel ignorantia, vel errore præconcepto, vel & malitiæ vehementia, sed ex debito universali hominum. Non eo minus jus manet & valet, æstimandum ex sua constitutione, vi, obligatione, existentibus universalibus, & contra improbos, etiam cum negligunt vel violent effracibus: Seu quia ad meliorem mentem aliquando seductos reducunt, vel quia pertinaces per conscientia stimulos monent, mordent, castigant. Hoc perpetuum & immobile consistit, quod sine discrimine aliqujus status, conditionis vel respectus, quisquis homo nascitur, naturæ & rationi obœdire tenetur. Non in eo est quædam societatis, ac quam natura inter homines communem facit, consideratio. Est aliquid, quod tacite instinctu augurantur omnes naturam commune, justum & injustum, etiam si nulla societas inter ipsos intercesserit, nullaque pactio.

XXXII. Quandoquidem naturale primum jus lex quædam fundamentalis ac communis magnæ universalitatis, quæ orbe comprehenditur, existit, talis isti debetur ab omni observantia, ad quam civis quisque suæ civitatis legibus obstringitur. Idem respectus est hominis erga naturam, qui est civis erga suam civitatem. Nam ut hæc cives sub civili cœtu ad communionem statutorum, sic illa homines sub naturali societate ad obligationem naturalis debiti conjungit & devincit. Ut imperantes cœtibus, quæ præsumunt jura dicunt, sic communi lege naturæ autor regulam vitæ mentibus hominum ad universalitatis & sub ea uniuscujusque hominis regimen inferere voluit. Cui consequens

sequens, ut qui nolint humanam abnegare naturam, aut aversari consociationem, quod inhumanum, illi nec juri naturali, velut ejus vinculo & divinæ regulæ, se subtrahere possint. Eo primum ratio ipsa omnes & singulos impellit: Deinde vitæ humanæ necessitas. Ita quippe conditi sunt, ut homo hominē egeat. Nec civitas quædam inter humanitatis fragilitates tam potens, tam ampla, tam splendida existit aut existet, quæ sibi suisque sufficiat, ideoque domesticis legibus solis contenta esse queat. Est omni civitati ad communicationem cum exteris frequens occasio, sæpe etiam necessitas. Ista vero sine jure cum illis communi recte constanterque non colitur. Tam inter cives ipsos, quam cum exteris, multum ex natura sumendum, ut juste commodeque vita, & quidquid actionum hæc parit aut exigit, transigatur. Pulchrè de hoc Seneca, Epist. 48. *Non potest quisquam beate degere, qui se tantum inuictur, qui omnia ad utilitates suas convertit alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Hæc societas diligenter & sanctè observanda est, quæ nos omnes omnibus miscet & indicat, aliquod esse commune jus generis humani.*

XXXIII. Ab hoc jure nulla quæmpiam eximitur humana potestas aut potentia. Infra naturam hæc est. Naturæ autor isti ex naturalibus legibus circumdare voluit limites, intra quos contineretur. Sicut igitur sub D E O omnis etiam summa orbis autoritas, ita & naturæ juri velut divinæ cordibus inscriptæ legi obnoxia. Hoc tenentur summi pariter atque infimi. Impia non minus est illorum persuasio, quam à ratione aliena, qui potentiam ab omni jure absolvunt, in quam sonant illa dicta: *In summa fortuna id æquius quod validius: Regni causa jus violandum: Imperii gratia injuriam jus fieri: Decalogum legem privatorum esse: Latentem licentiam datam potentibus.* Quævis simile id

Atheniensium, potentia sua fretorum, ad Melios, apud Thucydidem lib. 5. *δίκαια μὲν ἐν τῷ ἀνθρώπειῳ λόγῳ ἀπὸ τῆς ἰσῆς ἀνάγκης κείμενα, δυνάττα δὲ οἱ δυνατοὶ πρᾶσσαι καὶ οἱ ἀδυνεῖς συγχωρεῖσι.* *Justa humanarationi ea censerit, quæ par necessitas indicit, ea quæ fieri possunt, ea fieri à validioribus, ab infirmioribus tolerari.* Hæc fastuosa potentia imaginatio nova non est. Et sub mundi primis statim emineuit, ubi homines viribus & potestate dispares esse cœperunt. Quando increscentem hominum antediluvianam malitiam & infractæ probitatis causas facer codex annotat, inter illas refert Tyrannorum ortum & extuberantem fastum, *Genes. 6. v. 4.* præ quo rerum Domini Spiritu DEI, qui est in naturali lege, semet regi non siverunt. Quanta erga DEum & naturam contumelia, ibidem moneatur, juxta quam improbè potentia dominantium, se supra naturæ leges evexit. Est exinde argumentum, quam nulla ab hac exempta sit. Aliud accedit, quod ubi hæc illi cedit, tandem homines extra se collocat, & dum DEO similes nisi per justitiam fieri nequeunt, hac perrupta supra DEum esse contendentes, non multum ab immanium bestiarum immanitate discrepare efficit. Quomodo à Curtio scriptum : *Homines dum se permisere fortuna, etiam naturam dediscere.* At ut nemo sine absurditate asseret, exui potentia humanitatem, quæ ante & supra omnem potentiam est, nec quisquam optabit, tolli justitiam, dirimi vinculum societatis, permitti potentibus in invalidos omnia quæ possunt, & quia nulla stabilis est, cras alii poterunt, eos reddi velut orbis terriculamenta atque monstra, ita nec potentiam à justitia divellendam judicabit. Hæc mens sapientum semper fuit, ideo infra DEum & naturam vires suas & alienas collocarunt. Apud Sophoclem Antigone Creonti objicit:

Non

Non id valere credere iustos suos.

Ut jura non conscripta, sed nutu DEUM,

Concessa sempiterna mortalis fatus

Violare posses: non enim nuper vigent,

Sed avo ab omni: initia in occulto latent.

XXXIV. Simili ratione imperium, & qui huic, summa licet cum potestate & plenissimo jure, præsent, naturalibus generis humani legibus tenentur. Haud pauci leges in hoc inventas credunt, ut saltem, qui in parendi conditione existunt, coerceantur, collocatis verò in summâ fortunâ jus omne ex voluntate, voluntatem ex utilitate metiendam esse. Quale est illud Euphemi apud Thucydidem *lib. 6.* dictum: *Ἀνδρῶν δὲ τὴν ἀρχὴν ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ ἔδειν ἄλογον ὁ ἕσσυμφέρον, Regi aut civitati imperium habenti nihil injustum, quod utile.* Simile, quod vulgo dicitur, *republicam sine injuria geri non posse.* At pestilente magnoq; errore. Rectius alter scripsit: Ita sentire, nihil aliud esse, quam homines Diabolo facere, atq; supra DEUM erectos velle. Cum certum sit, naturæ leges à DEO omni humanæ creaturæ inditas esse, quæ possent ab iis eximi, qui se homines agnoscunt? qui in summa fortuna humanitatis jura poscunt? qui se ab humanitatis debitis valebunt excludere? cum non omne, sed justum eorum imperium, DEO, cui rationem reddituri sunt, placeat: quæ summam justitiæ regulam naturæ juri divinitus inclusam spernent? DEI de hoc voluntas & jussus inter sacra dogmata multipliciter apparet, tum ex mandatis ad reges, de custodienda & observanda lege sua; tum in comminatione erga istos, cum negligent; tum ex severissimis judiciis, quæ per bella & calamitates DEUS variè in reges exercet. Magnum præterea subjectæ naturæ legibus cujusq; etiam summæ potestatis argumentum est, quod maximi reges earum vincula, conscientiam

tiam & existimationem revereri coguntur. His vincuntur, qui vincunt viribus, nec evitare queunt, quin manifesta eorum facinora, consentiente bonorum iudicio, damnentur, & sui ipsorum animi sententia non absolvantur. Ideo cum custodes juris naturalis observant, etiam inviti trepidant, ab illius vi se exemptos sentire nequeunt. Ipse ordo superioritatis, quam in cœlo suspiciunt, terræ utut supremi domini, monet & devincit rerum potentes, ut in naturæ leges non plus ipsis liceat, quam plebi adversus decreta magistratuum, decurionibus contra præsidum edicta, præsidibus in regum sanctiones. Dionysio Syracusorum Tyranno, matri stuprum intentanti, & solutam legibus potestatem obtendenti, hæc respondit: *Civilia ipsum posse jura mutare, at minimè naturalia.* Antigonus Macedonum Rex, cuidam dicenti, omnia regibus honesta esse, regebat: *Sunt per Jovem Barbarorum duntaxat Regibus, at nobis ea duntaxat, quæ honesta sunt, & ea tantum iusta, quæ iusta sunt.* Plutarch. in Apophteg. Quò excelsius istos evexit fortuna, eo ornatus celebrat justitiæ observantia. T. Quintius ad Antiochi Legatos: *Honesta aut prima aut sola pensare decet principi orbis terrarum populo & tanto Regi.* Liv. lib. 34. Theodorici Gothorum Regis ista legimus verba: *Potestati nostræ DEO favente subjaceat omne, quod volumus, voluntatem tamen nostram de ratione metimur, ut illud magis aestimetur elegisse, quod cunctos dignum est approbare.* Goldast. rom. 3. constit. Imper. Non est discrimen inter Reges & Principes. Etsi illorum potestas amplior, non tamen supra rationem & naturam extensa. Etiam si inter eos qui domi sunt rerum & in subditos, eorumque bona ut servos & proprietates potestate eaque largissima pollent, non minus tamen tenentur ad naturales humanitatis leges, quam privati domini

servis

fervis suis. Limitat pietas natura, ratio imperium, quoq; herile. Et quæ licere videntur, ut in servos, temperanda tamen sunt, velut in homines, vitæ communis participes, futuræ cohæredes.

XXXV. Non mutat, quæ istius universalis legis sunt, dispar hominum conditio. Quæ non à natura sed post illam formatam & instructam, ex sequente societatum providentiâ ortum habuit, ideo naturæ subordinata hujus leges mutare non potuit nec debuit. Etsi igitur gentium jus approbavit condiciones hominum, quando alios cum sua voluntas, tum fortuna viliores aliis reddidit, quæ tamen ex primævo jure humanitati indita sunt, manent homini per conditionis alterationem immutabilia. Valent idcirco æque inter imperantes & subditos, quos non ita ut civilia placita secernunt humanitatis jura; Et omnia istis in hos concessa vel competentia legem seu exceptionem habent, ut humano modo exercentur. Etiam abjectissimis hominum servis constant, quæ naturalis juris sunt. Seneca I. de Clement. 18. *Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium verat, qui ejusdem natura est, cujus tu.* Plura in hanc rem sub tractatu de potestate dominorum reperies.

XXXVI. Non distingvit communicationem juris naturalis locorum diversitas. Etiam in exteros ex eo obligatio est, & ab iis naturalium debitorum exactio. Humanitatis enim officia causam ubiqve communem sequuntur, & negare nequit, nisi qui se ab humano eximit commercio. Constituit ea naturalis ratio, pro communi salute generis humani supra privatas utilitates, ut foedum sit communi saniorum judicio, ob istas esse in hominem injurium. Et licet vel patriæ commoda primas in omnibus actibus ducunt, ob illam

tamen nihil injustum aut foedum perpetrari debet. Hæc sunt naturalis juris præceptis confectaria. Ex quibus graviter eos reprehendit Aristoteles, qui cum inter se justa petant, in externos justa an injusta nihil curent. Quanta justitia in actibus cum illis communibus observantia esse debeat, Camillus in Oratione ad scelestum Faliscorum Magistrum indicat apud Livium, lib. 2. *Nobis cum Faliscis, quæ pacto fit humano societas non est, quam ingeneravit natura utrisq; est eritq;.* Nec immerito culpantur, qui putant finibus civitatum contineri jura, ideoque sufficere in cives justitiam foras quid placeat aut expediat liberum. Quem errorem Lacedæmoniorum refert Plutarchus in Agefilao: *Lacedæmonii primam honesti partem ponentes in patria sua utilitate, jus aliud nec norunt, nec discunt, quam unde Spartam putent posse augeri.* Accusant eam idcirco graviter Athenienses apud Thucydidem lib. V. *Quod ipsos inter se & civilia jura attinet, plurimum virtute utuntur. Quales vero sint adversus alios, multa adferri possent eo pertinentia; breviter autem rem exposueris, qui dixerit, eis honesta videri, quæ suavia sunt, justa, quæ utilia.* Haud itaque naturali juri convenit mos veterum quorundam, ut qui cives non essent pro hostibus haberentur, inque eos præda, captivitas & alia hostilia licerent, ut perinde fuerit, hostem & peregrinum esse, de quo in explicatione juris gentium plenius tractabitur.

XXXVII. Quod ex natura jus est, sicut ipsa, immutabile, constans & perpetuum, ideo perpetuæ obligationis est. Pulchra sunt verba Imp. Justiniani §. pen. *Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civ. Naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peraq; observantur, divina quædam providentia constituta semper firma atq; immutabilia permanent: ea vero, quæ ipsa sibi, quæq; civitas constituit, sæpe mutari solent*

solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata. Similia Ciceronis ex lib. 3. de Republ. verba refert Lactantius lib. 6. c. 8. *Et quidem vera lex recta ratio natura congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocat ad officium jubendo, vetando, à fraude deteket, quæ tamen neq; probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Hinc lege neq; abrogari potest: Nec verò aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus; Neq; est quærendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, & omni tempore, una & sempiterna lex continebit & immutabilis: unusq; erit communis quasi Magister & Imperator omnium DEUS, legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur: hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putentur, effugerit.* Duplici causa nititur hujus juris immobilis constantia; primum ex immota autoritate & voluntate constituentis, deinde ex immutabili fundamento constituti. Autor DEUS est, cujus sapientissima mutari nescia est voluntas, & justitia semper sibi constat, nullis variationibus obnoxia. Deus, inquit, sum & non motor. Voluit ille omnium rerum justitiam esse regulam, ideoque non potuit non legem pro ista conditam velle certam atque immotam. Eam vero quæ honestatem vitæ humanæ contineret, indidit naturæ: ut hæc fixa & mutationum expers. Cicero Tusc. Quæst. 27. *Nunquam naturam mos vincet, est enim semper invicta.* Ita & naturæ jus redditum ipsi simile. Inde jus sanguinis vocatur. Argumentum ejus est, cum conscientia movens bonos, pungens malos, eodem semper tenore, tum constans consensus bonorum, nunquam sinens intercidere quæ naturæ suggerit. Sunt semper, qui probant justa. Cicero lib. 2. Offic. *Demersa licet sint leges*

leges, tremefactaq; libertas, emergent tamen aliquando judiciis tacitis & occultis de honore suffragiis. In sua quisque mente qui attendit, constantiam reperiet. Denudate omnibus conceptis opinionibus, se pone omnes leges, & ex tuo sensu & arbitrio sententiam concipere, te velle constitue, senties tamen manere invito & reluctanti principiorum naturæ sensum, teque ad illum trahi, etsi abstrahas, nec sine eo reperire, in quo acquiescas. Seneca Epist. 119. *Ne quid naturæ neges; contumax est, non potest vinci, suum postulat.* Perpetuus sanæ & non corruptæ mentis ad illa recursus est perpetuitatis juris index. Ex utroque illo argumento Aristoteles Eth. lib. 5. c. 7. confirmat juris naturalis immutabilitatem, cum scripsit: *Existimant autem nonnulli, jura omnia esse legitima: quoniam id quod constat natura, immobile atq; immutabile est, & ubiq; eandem vim habet, quemadmodum ignis & hic & apud Persas urit: jura autem quotidie vident immutari. Sed hoc non est ita, cum sit tamen aliqua ex parte. Quæquam apud DEos fortasse nequaquam ita habeat: Sed ut ut hoc habet, apud nos certe est aliquid, quamvis Naturale, tamen mutabile: Etsi non omne, veruntamen hoc non obstante, jus aliud Naturæ valet, aliud non natura.* Primo ait, apud DEos jus esse immotum, quia similes sunt, nec depravatione ulla pervertuntur. Deinde indicat, apud homines ex naturæ constantia idem fore, si Deorum instar naturam integram conservarent, & secundum illam perpetuo viverent. At quia per corruptionem vitæ morumque ab illa naturæ integritate desciverunt, factum docet, quod jus ex se immutabile apud homines mutetur, non in sui existentia & virtute, sed in praxi. Quo ipso obvenire voluit dubitationi, quæ contra sententiam suam ex diversis hominum moribus contra juris immutabilitatem exoritur.

Quam

Quam infra sub *num. 45.* pluribus declaramus. Attamen etiam sub illa diversitate hominum, morum & actionum, elucet constantia naturæ, adeoque & ex illa nati seu ad illam adaptandi juris, dum omnia in orbe recurrunt, & eadem fere semper sunt, nec in iis est quidquam insolitum. Ecclesiastes cap. 1. v. 9. de eo sic testatur: *Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est. Nihil sub sole novum est. Nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est.* Inde esse naturam & rationem juxta constantem Livius *libr. 2.* exponit, inquam: *Eadem ratio, quæ fuit, futura, donec eadem res manebunt, immutabilis est.* Porro, quia humani generis maximopere interest, sanctè servari communem regulam, quæ omnium status & vita velut vinculo continetur, ex ejus rationabili consensu certa & immota hujus juris manet reverentia.

XXXVIII. Sic vero immutabile hoc jus est, ut ne à DEO quidem mutari posse credatur, quippe qui ejus in voluntate sua certum nobis argumentum constituit, cum secundum id judicari non dedignatus fuerit. Ad illud provocat Abraham, deprecans excidium Sodomæ, & se submittit DEUS *Genes. 18. v. 25.* Eo ipsemet remittit in judicio de factis suis Judæos *Esai. 5. v. 4. Ezech. 18. v. 25.* Immutabile esse oportet, ex quo immutabilis DEUS voluntatis suæ justitiam vult eredi & dijudicari. Jus etiam naturale est ex ordine rerum universali, qui naturalis redditus est rebus omnibus, quæque inde *ἕκαστω* quandam & relationem habent, ex qua invicem devinciuntur per sui naturam, quæ non magis à rebus divelli potest, quam ipsæ sine ea consistere. Quam impossibile itaque est, res à natura separari, & tamen easdem esse, æquè non vacat, quod ex ista justum aut injustum aliter fieri & moraliter

ter ex natura bonum esse malum, & vice-versa. Per illam juris rationem, qua ex ordine universo DEUS justa voluit, non minus leges inde ortas Deo quam homini naturales dicere possumus, tanquam à Divina natura profectas, eidem adhaerentes. Etsi itaque infinita est DEI potentia, ad talia tamen se non extendit; haud quadam infirmitate, sed ipsorum conditione, & libera DEI voluntate. Liberum ab initio fuit DEO, condere hominem ut placuit, indere etiam menti, quod voluit, formare rationem, ut convenire visum; at postquam DEUS pro immensa sua sapientia & potentia cuncta de iis ita creavit & disposuit, ut fieri potuit optime, & ad naturam hominis suamque legem ordinem rerum constituit, non superstes est, cur magis id mutet, quam sapientiam suam. Quidquid contra ista est, fingitur magis humana vanitate, quam est; quia contra id, quod DEUS sapienter ordinavit, nihil esse potest, nec & aliter dici, quam ut contradictionem implicet. Quando itaque quaeritur, an per DEUM, ex jure naturæ, quaedam mutabilia sunt, velut de non entibus disceptatio erit. Nempe in mera voce consistunt, esse verum non habent, ideoque sensu quoque, qui res exprimet, carent. Ex horum numero quæ DEUM sunt intrinseca ratione mala. Hæc ut mala non sint, DEUS haud efficit, quia nulla sunt, quæ talia fieri queunt. Ut autem aliquando pro diversitate circumstantiarum mala non sint, ex modamine vel dispensatione divina proficiscuntur. Etsi enim & quæ DEUM immutabiliter bonum, justum, sapientem, jus est immutabile, non tamen supra DEUM sic eventum, ut DEUS ei subsit, & aliquando ex malo bonum efficere non possit. Non sibi, sed hominibus DEUS id condidit, seu potius indidit. Non se submisit: Ex potestate sua nihil ideo imminuit. In se ut infi-

nito Numine, potentiam & voluntatem indefinitam, & erga homines gratiæ & vindictæ arbitrium reservavit. Quæ naturæ jus in DEO simile est, quod circa civiles leges conditoribus tribuimus, quod illorum persona excepta creditur. Hilarius lib. 9. de Trinit. pag. 196. *Non subjacet natura legibus, à quo legem omnes natura sortitur.* Hieronymus in Epist. ad Vetab. *Nihil valet natura, contra natura Dominum.* Tertullianus de Resurrect. Carnis pag. 87. de Christo idem ait, quod *potentior est omni lege corporum.* Dispensando potest DEUS indulgere, quæ alias naturaliter improba, imo & injungere, multo magis facere: sicut talium aliqua Sacer Codex in extraordinariis habet exempla. Qvalia & sunt pleraque Heroum ex divino afflatu facta. Si homo ex se faceret, mala, cum DEUS voluit, bona sunt, quia hic semper bonus, ille nisi ut hic voluit, bonus esse nequit. Quod quis male ageret contra DEI voluntatem & legem, bene facere potest ex illius voluntate, quia legis gratiam facere potest, lege salvâ. Ut autem hæc DEI singularia non sunt juris naturalis congrua argumenta. Cyrillus lib. 1. ad Regin. *Ubi DEUS vult, ibi natura vertitur ordo.* Ita nec justæ sunt de DEI actionibus ex naturalibus humani juris regulis censuræ. Justinus quæst. 117. *Fieri non potest, ut eorum, quæ supra naturam divina sunt potentia, ratione naturali struatur assertio.* Peculiaris eorum ratio & astricta personæ executio non admittit imitandi facultatem, nec cognoscendi facilitatem. Arcana plerumque talium ratio est, non tamen ideo, quia nos latet, apud DEUM nulla.

XXXIX. Quia vero plurima eam speciem referunt, quod licet ex natura ejusque jure profecta, atamen observantia civitatum aut pactis actibusque hominum alterantur, varia dubia subrepunt adversus the-

ma

ma de Juris naturalis immutabilitate. Nec modici errores de ipso jure nascuntur. Alii ex eo nimium in naturalia humanæ voluntati tribuunt, & fere eam doctrinam, imo & vim juris intervertunt: Alii cum concedant, quod natura jus constituitur, non magis quam ipsam naturam mutari posse, in quibus quidquam usu mutatum reperiunt, jus naturale negant: Alii, ex reperta observantiæ diversitate, istuc semet adduci patiuntur, ut naturale quoddam jus esse negent vel dubitent. Quomodo ab Aristotele 5. Ethic. 10. scriptum. *Nonnullis omnia jura videri legitima, quia quod natura immobile est, & ubique eandem vim habet, quemadmodum ignis, qui & hic & apud Persas urit, jura vero moveri vident.* In singulis speciebus hoc discutere nimis prolixum foret. Nec singularia ad hoc proloquium pertinent. Generatim id expedietur notato, in quo τὸ Φυσικόν, seu ipsum naturale juris consistit, & separato, quod isti juri extrinsecum, & velut accessorium humanis consiliis relinquitur, vel etiam ex eo pravitate aliquorum non singulorum modo sed etiam populorum pervertitur. Id quod ex sequentibus distinctionibus apparebit. Quarum applicatio dextra omne dubium nullo negotio tollet.

XL. Et primo quidem, ut in aliis de jure naturali quæstionibus, ita & circa juris constantiam, discernendum præcipue est, quod natura præcipit vel prohibet, & proprie naturale jus est, ac quod pro eo saltem habetur, at abusive, nec verè est tale, ut circa definitionem has differentias notavi. Quocirca ad hoc thema minime referendum est, quod naturaliter permittitur, seu quod libertatis naturalis est. Non enim in hac lex naturæ est, sed arbitrium naturale, quod sinit actus indifferentes. Libertas naturalis hominum arbitrio relicta fuit, at in necessitatem juris

tis non transit. Justum itaq; est, ut ea uti liceat, at ab ea discedere, nunquam natura injustum fecit, quæ voluntatis libertatem constituit & liberam relinquit, quatenus ipsa lege non restrinxit. Nec nomen id retineri posset, in illam prælusalicentiâ. Quocirca postquam libertas submissa societati & imperio civitatibus pro sua commoditate in cuncta, quæ ei conveniunt, mandandi & prohibendi jus est. Et quamvis lex civilis nihil præcipere possit, quod naturæ jus prohibet, aut prohibere quod præcipit, circumscribere tamen, limitare, imò tollere potest, quod libertatis est, nec præcepto aut interdicto naturali continetur. Perinde singulis, si civilis constitutio non obstet, licet pacto & facto renunciare & derogare libertati suæ. Et si enim justa sit, & jus habentis, verè tamen jus seu lex non est præcipiens aut vetans. Quæ observatio uno ictu dirimit omnes lites Jstorum, de venationibus, aucupiiis, occupatione maris, littorum rerumq; nullius, inventione & similes. Cum jus Romanorum civile multa ex his relinqueret in primævo statu, indeq; juris naturalis dicerentur, aliæ vero gentes aliud constituerent, imò & inter ipsos tandem alia invalescerent, venit in dubium, an hoc fieri posset, quod jus naturale esset immutabile: Sed inde, quia non intellectum, quam abusive & improprie ea vox naturali libertati tribueretur, quamq; ista jure naturæ aut gentium non aliter libera sint, ac quamdiu lex civilis aut voluntas eorum, quibus suæ libertati renunciare licet, non intercedit. Alia ratio est proprie dicti naturalis-juris, quod non est in arbitrio humano necessitatem observantia continens, ideo *ad hoc* non permittens, ad quod superius dicta saltem pertinent.

XLII. Secundo circa jus naturale proprie dictum distinguendum est ipsum jus & res, de quâ constitui-

stituitur. Ideoq; ubi de mutatione juris agitur, discipendum jus, an res mutetur. Sæpissimè res, de qua jus constitutum est, mutatur, & ab hac jus distinguere nescios fallit imago quædam mutationis, ut putent incauti, ipsum jus mutari, quod tamen longissimè abest. Exempli gratia, jus naturæ jubet præstari promissa, quod immotum atq; immutabile est. Accidit autem cum aliqva ratione eò rem redire, ut liberetur promissor, nec sint servanda promissa. Hic desinit jus, non quia mutatur, semper idem natura justum manet, ut fides servetur; sed quia mutata, sublata aut limitata est obligatio, res non jus mutationem patitur. Ita licet jus naturale jubeat fidem servare omnibus, tamen cum cui debetur fidem debitam non servat, negatur justè, non quia non servare justum fiat, sed quia ob mutatam rem ex perfidia alterius servari non debeat. Similiter humanitatis erga omnes est ex natura debitum, sed cum aliqui humanitatem exuunt, aut non exhibent, fit, ut in tales & sæva, fiant justa. Perinde constat naturali lege, parentibus honorem, liberis alimenta & bona parentum deberi. Aliquando aliter hæc constituuntur, non cum abrogatione juris naturalis, sed ex mutatione rei ipsius, quia parentes vel liberi perpetrant, ut beneficia naturalia non mereantur vel perdant. Naturalis juris est, suum cuiq; tribuere. At ubi suum desinit, non jus, sed res mutatur. Quomodo naturaliter nefas est, res suas alicui auferri, ita non injustum fit, cum dominium desinit, aut justis ex causis amitti æquum fit. Est ita in eo nulla juris alicujus mutatio, sed ad res & facta, pro diversitate circumstantiarum, diversa applicatio, quæ sequitur rerum statum, quamdiu in illo manent. Sicut legem non mutat, sed declarat exceptio, sic nec jus naturale, si rebus non congruit. Harum dominium

minium à Deo eum arbitrio habendi & utendi datum eum effectum habet, ut ex voluntate hominum pro fine suo circa eas omnia sint mutabilia: Ideo ob eas non quidem jus, tamen praxis juris alia fiat. Exinde etiam accidit, jus etsi ex natura vel lege certum, tamen in rebus & factis reddi varium atqve dubium.

XLII. Similis tertio ea distinctio, ad explicationem quæstionis de juris naturalis constantia adhiberi solita, ex materia eadem profluens, quod aliud simplex & absolutum est, aliud pro certo rerum statu & velut hypotheticum. Ex hoc sequitur, quæ constantiam multum interesse, an juris naturalis quid sit simpliciter, an pro certo rerum statu. Cum hoc quidem & jus alteratur, sed quia certo saltem modo vel fine jus fuit. Ante introducta dominia jus naturale fuit communionis. Sed ab hac discedere nefas non fuit. Ea itaq; sublata & dominiis distinctis, alia effecta est juris naturalis ratio, translata lege naturali à communiōne ad possessiones singulorum, inversione facta, ut quomodo sine furto communia olim eripi non poterant, deinde propria eodem crimine invaderentur. Simile evenit ex judiciorum constitutione. Ante hanc jus suum quisq; consequebatur per potentiam & suo facto. Post illam id vetitum, & juris consequutio judiciis addicta fuit. Non dispari ratione post constitutas civitates ex mutatione conditionum societatis jus pro certo statu conditionum, aliquavoliter cum hujus mutatione naturaliter variavit. Ita quoq; singulorum jura, cum ex civili societate jus in illa supereminens cœpit & complacuit, aliam conditionem accepere. Perinde in plurimis aliis fit mutatio juris aliqua. At minimè ut talis, verum quod ab initio certos limites & circumstantias habet, cum quibus non potuit non naturaliter desinere.

XLIII. Quarto circa quæstiones mutationem,

H

quan-

quandam illorum concernentes, quæ juris naturalis esse scimus, multum etiam refert observasse legum naturalium subordinationem. Non omnes ejusdem sunt potentia, seu non ita pares, ut nulla cedat alteri, sed ipsamet natura, ut diversa fecit in homine & circa humana, in quibus jus istius versatur, eaque invicem certo modo atque respectu subordinavit, ut alterum alteri auxilio vel obsequio esset, ita etiam jura inde nata sunt eodem ordine constituta & invicem obnoxia. Unde non minus quam aliarum legum hoc quoque naturalium proprium est, ut major lex cedat minori, & quod in iis præstantius, superet, quod minoris momenti: Quo spectat illud Ciceronis lib. 1. *Offic. Non solum honestum aut turpe sit deliberari solere: sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius: item duobus propositis utilibus, utrum utilius.* Multa contingunt, in quibus duæ leges naturæ colliduntur, alterumque alteri cedere necesse est, quia aliquam servare propter aliam impossibile. Hoc cum sit, species quædam mutationis oritur, & dubium incidit, aut an sit illud legis naturalis, quia hæc immobilis; aut annon ista aliquando mutetur, quia non observatur. At non est talis, sed saltem legis inferioris sepositio, donec superiori necessario obtemperandum est. Nam & ab ipsa natura tacita inferiori indita est exceptio superioris. Id quod ad doctrinam de gradibus obligationum & comparatione officiorum pertinet, quæ in ipsa explicatione Gentium Jurisprudentiæ plenius tractabitur. Hic meminisse sufficit, ut evitetur error, quem ex fuco mutationis sibi met inconsiderati faciunt: & illud inter præliminaria observetur, quod in multis speciebus occurrit, inter leges naturales esse disparitatem, ideo ordinem, & ex hac subordinationem. Unde observantia unius per aliam potius relaxatur aut sequestratur.

sunt. Exempla saltem aliqua pro meliori explicatione thesauris addemus. Est naturæ lex de amore parentum erga liberos; & liberorum erga parentes obsequio. At superior ab eadem homini indita, ut Deum veneretur. Siquidem ergo accidit, ut Deum aut profecti negligere, DEO aut parenti obsequi convenit, numinis multo sanctior est reverentia. Ita quod potentioris legis est præfertur, ex inferiore autem nihil mutatur, tantum, quia ob superiorem vim servari nequit, reponitur; manet de cætero fixum, quod de officiis parentum & liberorum naturaliter est sancitum. Similiter natura est jus, semet omni possibili modo cõservandi, non modo ad hoc facultatem dantis, sed & necessitatem injungens, ne quis sponte nisi malus pereat. At naturæ lex utraq; de honeste vivendo & nemine lædendo superior multo est, ideo si homo ad illum statum redigitur, ut necesse fit vel perire vel turpia facere, similiter vel damna gravia inferre vel pati, potior est ratio in illo honestatis, ut quis malit mori, quam illam violare, juxta illud Ciceronis: *Vita turpi mortem honestam anteferendam esse.* Aristoteles lib. 3. de Morib. cap. 9. τὸ δὲ ἀδικηθῆναι τοῦ μὲν ἐλαττοῦ ἀδικεῖν οὐ τοῦ δὲ μείζονος τοῦ ἀδικεῖν. Interea, quæ contra judici possunt, minus est injuria affici, majus vero afficere. Cicero 3. de Offic. Si quando cum illo, quod honestum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quedam constituenda est. Hanc postea ita describit: *Derubere aliquid alteri, & hominis incommodo suum augere incommodum magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quæ possunt corpori acciderè, aut rebus externis.* Lex naturæ eadem est de hoc servanda, sed quæ inferior est alijs, de veneratione numinis, de vitanda turpitudine, de non inferenda alteri injuria, ideo quoties hæ

obsistunt, ut promissa præstari non possint, mutari quidem videtur aliquid ex lege istâ, verè autem nihil mutatur, sed propter legem superiorem incidit in eum casum, in quo observari nequit, & quod promittitur pro impossibili habètur. Quæ omnino discernèda sunt.

XLIV. Quinto ex his, quæ de ordine legum naturalium & exinde confectariis gradibus officiorum prænotavimus, multifariam limitantur leges, etiam naturales. Non dedit natura leges sine exceptione. Cum plura voluerit justa in eorum concursu, ita simul voluit congrua, ut lex legem non impediret, altera alteri esset subalterna, homini omnia commoda & possibilia. Quod cum fieri non posset, nisi & quædam pro fine naturalis ordinis & usu humanæ societatis essent excepta, vis earum per ipsam naturam sæpius restringitur, inde lex superior legi derogat, non tollendo, sed excipiendo, quia ratio legis in uno cessat, in alio quod contrarium videtur, idem exigit. Exemplum capere ex conservatione sui, quam homini natura præcipit, cui conveniens præceptum est, nemo se mutilet, aut corporis membrum amputet. Evenit autem, ut pro eodem fine justa sit amputatio, ut nempe si pro servando corpore putridum membrum, ne per contagionem pars sincera trahatur, abscindere necessarium fiet. Non est prior lex mutabilis, manet semper, exceptionem vero habet ex ipsa natura, ubi rationem finemque sui non servat, multo magis, ubi per contraria servare opus est. Constans est illa lex naturalis, ne quis in corpus proprium sæviat, sed ob sui conservationem. Ubi hæc deficit, multo magis, ubi nisi mutilatione sui effectum non habet, justum sit aliud, & excipitur casus, ubi pro ipsa conservatione totius aliqua pars non servanda erit.

XLV. Exceptionem autem juris naturalis ali-

qui

qui ex utilitate tum societatis, tum sui ipsius faciunt, nempe quia jus naturale utilitati submitunt, & vim autoritatemque ejus inde constituunt, hanc ex civitatibus petentes, civitates vero velut arbitras juris facientes: Quod non admittimus. Istud à conditione juris naturalis alienissimum omnia ostendunt, quæ de eo scripta sunt. Multò id civitatibus antiquius, imò & superius est. Præcipuum etiam ejus objectum, quod est in honesto & turpi definiendo, longe aliud, & quidem tale, ut utile ipsi cedere, nec quidquam tale sine eo à viro & cive bono reputari debeat. • Quod thema Cicero *lib. 3. Offic.* latius exponit. Non constarent diu & dudum interiissent naturæ præcepta, si ab utilitate societatis dependerent. Cui ut renunciare, sic & illas tollere integrum fuisset, quod cogitare nefandum, dicere absurdissimum. Quale etiam illud præsuppositum, ideo jus naturam dedisse, ut in societate uteremur. Nam & extra eam justa fecit, etiam in solitudine observanda. Apud Ciceronem Lælii de eo fuit disceptatio: num propter imbecillitatem & metum desideranda sit amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet, an esset hoc quidem proprium amicitiae, sed antiquior, & pulchrior, & magis à natura profecta alia causa. Concludit autem in tam celebri quæstione, à Natura & virtute potius, quam imbecillitate eam esse ortam, quodque amicitia non sit consecuta utilitatem, sed utilitas amicitiam: *Quis enim, inquit, est, qui velit, ut neq; diligit quenquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere copiis omnibus, atq; in omnium rerum abundantia vivere.*

XLVI. Sexto circa ea, in qua versamur materia, discrimen est inter legem & effectum legis. Lex sæpe vivit & valet, sed ut in praxi deveniat, aliunde impeditur.

ditur. Tantum abest, ut inde jus naturale immutetur. Non magis hoc fit, quam lex aliqua civilis ideo tollitur, quod per resistantiam casuum non exercetur. Virtus legis duplex, altera in necessitate obsequii, altera in hujus neglecti poena. Illi ut non satisfaciat, impossibile saepius fit, etiam per ipsam naturam, non ideo desinit lex ipsa, vel mutatur. Aliquando ex ratione aequa seu probabili vis obligationi naturalis legis non tribuitur. Quomodo ex Romana jurisprudentia scimus legem illam naturalem, de promissis fideliter servandis, in foro eatenus vi sua non potiri, ut ex nudo pacto agere liceat. Et si itaque hoc honeste praestatur, exceptione etiam servatur, tamen actione destituitur, cujus rationem alibi exponimus. Argumento autem est, quam etiam per legem vis sua legi naturali aliquando tribui non queat, ipsa tamen salva maneat: Simile est, ex lege de gratitudine, quae sine dubio naturalis est, at actione in foro non petitur, ne quia inane vel inefficax ejus sit debitum, sed quia non fuit materia litibus congrua, uti pluribus hoc demonstratum a Seneca, in libris de Beneficiis. Similiter contingit pluribus ex causis deficere alterum effectum, dum non servatae legis impunitas conceditur. Nec tamen & per hanc quidquam legi decedit. Quia Septimum, quaedam furta, stupra & alia delicta liquerunt impunita, nec tamen & aliquando sine probabili ratione, non ideo ipsa contra jus naturae sunt honesta, nedum illud sublatum. Manserunt leges, ex quibus naturaliter improbantur. Quid circa naturalia extera frequentius, quam vim istorum esse impeditam, & tamen, sine naturae alteratione & imminutione: similis est ratio moralium naturali legi innixorum.

XLVII. Septimo oportet jus & juris applicationem discernere. Illud indefinite praecipit aut vetat.

tat.

tat: Hæc præcepta aut vetita diversis rerum circumstantiis aptat. In quibus sæpe evenit, cui jus non congruit, aut sine violatione alterius juris aut communis salutis applicari nequit. Est igitur jus naturale, per se immutabile, ejus tamen moderamen & ad vitæ civilis necessitates & usus attemperamentum relictum est prudentiæ regentium. Ad quod respicit Ulpianus l. 6. ff. de Inst. & Jur. *Jus civile est, quod neq; in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit.* Hoc omnibus illis exemplis contingit, ubi quæ naturalia singulis sunt jura, utilitatis communis gratia ampliantur, aut restringuntur. Non quod jus mutetur, dum semper manet, sed quod dum sua generalitate negociorum humanorum variatibus se applicari non patitur, ratione cœtus civilis moderamen recipiat. Inde per leges civiles fit moderamen naturalium, ita ut attemperentur circumstantiis civitatum. Et licet sæpius deviare videantur à naturæ tramite, relinquunt tamen integrum, tantum inter circumstantias sequi non licet. Idem quoq; fit ex consensu civium & merito delinquentium, ut aliter fiat applicatio, quam reperitur primæva constitutio. Uno hoc exemplo declarentur dicta. Est lex naturalis immota, de amore & cura prolis; Isti vero non contraria est constitutio, ut non tribuatur liberis patriæ proditoribus, rebellibus, reipubl. pestibus, tantum ob horum vitia omnem in humanitatem merita non permittitur ejus applicatio.

XLVIII. Octavo, ut multa ex naturalibus præceptis hominum causa constituta sunt, sic & ab hominibus talibus renunciari potest. Neq; tantum id licebit singulis, sed etiam universis. Civitas itaq; quæ hos continet, & singulorum vicem habet, potest civili lege aliqua ex iis abdicare, utilitatis gratia. Hinc inter-

est inter mera juris naturalis præcepta & beneficia. Lege & pacto potest recedi ab eo jure omnibus hominibus communi, in gratiam ejus, cujus interest, quod ejus causa valet. Naturale quippe est, renunciare juri pro se introducto. Sic discernit hæc Ulpianus l. 13. ff. comm. præd *Quamvis mari, quod natura omnibus patet, servitus imponi privata lege non potest, quia tamen bona fides contractus legem servari venditio his lege obligantur.* Quousq; in his & aliis supra scriptis progredi liceat, contra vel præter naturalia, addendo, demendo, dispensando, limitando, applicando, quid in his civitatum sit, videas plenius exposita sub *Inspect. 5.*

XLIX. Nonq̄ discernenda est juris naturalis transgressio & mutatio. Ut nullum jus est sine transgressione, non servantur leges ab omnibus, inde tamen non desinunt aut variant, ita nec naturale. Non modo singuli hominum, sed gentes & populi sæpe perturbant naturæ leges, ad pravos mores desciscentes, sicut Aristoteles 7. *Nicom. 6.* observat, nationes esse, quæ ex natura recto rationis usu carentes & sensu saltem viventes, instar ferarum erant. Et Seneca in *Troad. act. 5.* talium meminit, scribens:

Quæ Caspium tangens mare

Gens expers juris ausa.

Quibusdam Græciæ populis fas visum abjicere liberos & exponere: Persis inter parentes & liberos nuptias inire. Quot gentes Historia refert humana carne vescentes? Non oritur istud ex defectu apud illas legis, sed ob vitia hominum, quæ ex neglectu legis eveniunt. Hoc vero vel ex inadvertentiâ inscriptæ cordibus legis ejusq; dictaminis; vel ex affectuum importunitate resistente justo; vel ex reprobato ob delicta sensu, & per hunc sublato judicio, sicut velut supplicium meritum DEus sui juris incuriosos

riosos sua cœcitate pervertit, ut evertat. At peccantissimi in jus naturale, non mutant. Distinguit ita Cicero I. de Legib. *Naturam esse perpetuam, tantum autem esse corruptelam à mala consuetudine, ut ab ea igniculi extinguantur à natura dati.* Mutantur homines & deficiunt, at jus non mutant. Impietas & peccatum non tollit legem. Sicut homo immani inhumanitate naturam exuit, non tollit: sic efferati jus naturæ spernunt, at non mutant. Plutarchus in vita Pompeji asserit: *Natura neminem aut esse aut fuisse ferum, sed efferari, ubi extra natura modum peccare assuescit, rursumq; alia consuetudine redire in mansuetudinem.* Quam quod ex pravitate hominum contra jus evenit, nihil ex jure mutet, eleganti sententia Aristoteles in libr. Magnor. moral. cap. 34. exposuit: *Justorum quædam, inquit, Natura lege sunt. Verum arbitrari ita oportet, ne putemus unquam excidere quæ a natura sunt, quæ sane etiam mutationem subeunt: Ut inquam, si jaculari omnes semper sinistra annitantur, tandem sinistra manu ad, ac dextra utemur; at qui à natura sinistra est ac dextra, nihilominus natura potiora sunt sinisteris, tamen si cuncta sinistra sicut & dextra facimus. Neque quod mutari hæc queant, ob hoc à Natura non sunt: Verum si ut plurimum diutiusq; ita permaneant, & sinistra est sinistra, & dextra dextra, id quod à natura est, idem in à Natura justis si nostro usu immutentur, non ab hoc à Natura justa non fuerint, imo equidem fuerint. Nam quod ut plurimum perdurat, id propterea justum à Natura est. Alio pulchro simili id exposuit Andronicus Rhodius in Aristot. Eth. ad Nic. lib. 5. c. 7. *Apud homines, inquit, recta sanaque mente preditas immutabile est jus illud Natura, quod dicitur. Quod sibi qui morbido distortoque sunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur, qui mel dulce esse dicit, ideo quod agrotis aliter videatur.**

Manet id in ratione hominum certum, et si in usu corruptum sit. Inter moratiores & mansuetos etiam integrum est. Imo perversis, qui factorum turpium, rationem aliquando reddituri sunt DEO, orbi, conscientiae, horrendum. Nec & ipsis sine vi lex naturalis. Quam exponit Apostolus ad Rom. 1. v. 32. ubi dicit: *etiam contemptores ejus sua agnoscere, dum mortem & judicium DEI metuunt.* Agnoscenda in illis divini judicii severitas, dum homines rationis lumine, frui malitiose dedignantur sicut insidere in tenebras perversorum sensuum, ut inhumani fiant, humana tamen non absorbeant; dum ea contempnunt, divinam inhumanitatis vindictam tandem sentiant.

L. De fine naturalis juris non eadem omnium sententia est. Sunt, qui datum esse rectorem societatis humanae credunt, ideo hujus usum pro fine habent. Non negandum, DEUM ex sapientissima providentia humano generi appetitum societatis inesse, & eum in istam coiret, prospectum voluisse, multaque ad istam regendam, hominumque animos huic applicandum praeceptis naturalibus inesse: At quando congenitum primo homini jus ante societatem omnem fuit, & multa istius sunt, quae hominem extra societatem informant atque observari debent, nec tantum quae homo homini, ut in societate sunt, debet, sed & quae extra eam decora sunt, aliqua, quae erga DEUM, aliqua, quae erga se ipsum sunt natura non habita istius ratione indidit, inde & contra naturam extra illam peccatur; multoque latius honestatis debita se extendunt, quam socialia officia, non congruit in eo solum finem ponere. Ex quo etiam absurde sequeretur, sine societate jus non fore. Ergone itaque Adam jure caruit, cum alii hominum nondum existerent, antequam alii nati sunt? Ergone & homines

plures à societate remoti, ut Eremitæ, vel qui in solitudine sunt, jure nullo astringuntur? Illa ipsa quæ naturalis juris sunt, ubiq; in & extra societatem observanda decent, quam nihil essentia, finisq; unice ipsi ex hac, quando ante & extra hanc sit & valeat. Ita Aristoteles sensit, 1. Rhetoricæ, c. 13. *Est enim quoddam quod augurantur omnes, Natura commune justum & injustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaq; pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, justum esse interdixit se petere Polynicem, quasi natura id sit justum. Non etenim id nunc & heri, sed semper fuit & nemo scit, unde ejus ortus sit, & ut Empedocles dicit, de non interficienda quod animatum est; non quibusdam justum est, quibusdam vero non justum est, sed hoc quidem omnium legitimum, perque latum atbera omnibus in partibus extensum est, perque ingentem splendorem.* Pleraq; quidem istius instruunt hominem ut socialem, & quomodo ad societatem natura aptat & adducit, sic mores sub ea informare voluit, atq; ideo isti cultum ejus juris attemperandum esse concedimus; at ut non sit justum, nisi societatis gratia ex iis non magis congrua, collectio est, quam quæ sit à potioribus, sed non omnibus partibus ad totum.

LL. Devia quoq; est opinio jus naturale utilitati hominum tribuentium. Opinati ita fuerunt Epicurei, utilitatis causâ illud institutum esse, quo hominum vita in more & quiete esset commodior. Damnaverunt istam Stoici, uti refert & sequitur Seneca, Epistol. 97. ut & Cicero 3. de Finib. *Minime vero probatur huic disciplina (Stoica) de quâ loquor, aut amicitia aut justiciam ob utilitates ascisci aut probari. Jus autem, quod ita dici appellariq; poscit, id esse à Natura. Esti vero ex cultu sincero & serio naturalium præceptorum magna in vitam atq; conversationem hominum* com.

commoda redundant, nec ubi secundum naturam omnes vivent; jucunditatis, & tranquillitatis quidquam deerit, haut tamen eum in finem DEUS constituit; ut saltem utilitate sua fuerentur. Consequens est hæc observantiæ, non illius scopus; pleraque istius juris sine intuitu alicujus usus, solius honestatis gratia per naturam requiruntur, & non tantum ubi est facientis utilitas, sed etiam ubi nulla præceptorum naturalium decet observatio. Solius probitatis vel honestatis gratia jus valet & placet. Cicero Tusc. quest. 4. *Virius est affectio animi separata, etiam utilitate laudabilis.* Idem lib. 2. de Finib. *Honestum intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate sine ullis præmiis fructibusque per seipsum laudari possit.* Seneca de Benef. 70. *Honestum propter se expetitur.* Claudianus:

Ipsa quidem virtus pretium sibi solaque, late

Fortunâ secunda nitet nec fascibus ullis

Erigitur plausura velit clarescere vulgi.

LII. Rectitudo animi & huic par actionum, morumque erga DEUM, in semet ipso, qua alios compositio genuinus finis, quem DEUS intendit, qui hominem sui in terris imaginem, suæ probati similem voluit. Nec alium homo integritatis reparandæ justitiæque servandæ studiosus circa juris naturalis exercitium præfixum habere debet. Finem istum D. Ambrosius in Epist. ad Rom. cap. 5. ita exponit. *Lex naturalis, verba ejus sunt, tres habet partes, cujus prima hæc est, ut agnitus honoretur creator, nec ejus claritas & majestas alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis h. e. ut bene vivatur, modestia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam, creatoris vitam suam lege frænare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis, ut notitia creatoris DEI & exemplum morum cæteris tradatur, ut discant, quem-*
admo-

admodum apud Creatorem meritum colloatur. Si ad utilitatem voluptatemq; suam reverentiam ejus destinata jam à vero sine descivis, imo & à natura, ut primum integre bona fuit condita. Quod hodie nemo sponte bonus est, & morales actiones quisq; alio dirigit, nisi bene facere aut utile aut volupe sit. abstinere, hoc non indicat naturalis juris alium finem esse, sed post depravatam naturam hominem non so quo decet modo illud servare & exercere. Ideo qui stolidum putant honestis non alium finem statuere quam ipsum honestum, illi stultitiam cum ignorantia, divinæ voluntatis & humanæ integritatis produnt, & quid inter primam integritatem & ex lapsu ortam in mentibus pravitatem intersit, non attendunt. Quod tamen ductu nature intellexerunt. Philosophi aliq; gentiles scriptores, qui virtutem sui mercedem statuerunt. Raro tamen ista sine utilitate, nunquam sine voluptate animi est, cum qua omnis honesta actio est conjuncta, non tanquam quæ ab initio intendi solum debeat, sed quæ semper consequitur. Maximus Tyrius: Unum quæro, an virtutem sine ullo amore ejus prosequatur animus. Huic si des amorem, voluntatem dedisti. Licet enim nomen permutes, nec voluptatem voces, diversa nomina admittèrem, tamen video voluptatem agnosco. Non est aliud in Aristotelis sententia; πᾶσι καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν ἀγαθὸν ἐστὶν εὐδαιμόνεια. In omni actione electioneq; bonum aliquid expecti. Satis bonest, quod in honesto continetur. Hoc ut fiat, omni constu desiderati curariq; debet, ut consequatur, quæ est ejus utilitas vel voluptas, non hoc saltem intendi, aut si non certa honestum negligi. Ex moribus depravatis oritur quod secus fit, per legem sic fieri debet.

LIII. Non est sine vi & efficacia insigni jus hoc uti à nonnullis perperam creditur, ideo traditur illam.

Jam huic à civitatibus accedere, ut ut postquam recipiunt, legis effectus addant. Quod est omnem ejus auctoritatem atque sanctimoniam convellere, & arbitrio imperantium atque populorum submittere. Ex se vim potestatemque legis habet, quae existit in obligatione ad observantiam. Qualem quis negabit naturali juri à DEO cordibus indico, ut exacte servaretur? Lex divina est, & naturalem necessitatem obsequii habet nec arctiorem, quod auctor est legislator, jus strictius inhaeret, & sapientior sine constitutione. Apostolum Paulum in Epistola ad Romanos cap. 7. & 2. legat, & expendat, qui per quantum potestatis DEUS isti tribuerit, nos se cupit. Cogitet vim naturae, rei potentis & insuperabilis, ut docet Epistola tibi 2. ubi haec de ea addit: *Visum in omnibus efficacissima, ad sua decreta alium nolentem & suspirantem inibat.* Theophrastus apud Senecam: *Optimum potens.* Quanto parentes sanguinis vinculo tenentur Naturam legem te scilicet in diti quibus Recludantur ab invidis est asilas, ut agnoscatur Opera vanitas, & cum Paulantia his. *DEUS: Tam difficile est divinitus attributum certis rebus naturam humanam arte superare, ut infelix, dum sentitur & in conscientia iniquitas tormentum, in mundo infamia, apud DEUM ira.* *Sunt senectissima est natura, & si perumpitur, vindex asperissima. Habet violata DEI iram perdidit quam.* *Ab omni vero experientia testatum dedit, quod propter supplicia DEUS profectum a natura legibus debiles.* *Ut rationem utendum, quod illi interminantur.* *Apostolus videmus per exempla quotidiana in nefaria contra naturam peccata lapsis perire mentem, deus DEUS omnia esse corrupta, tenebrosa, lubrica, infelicia, ita ut recte expendentibus non possit naturalis sententia, quam nihil homini contingere posse existens, quam à naturalibus praeceptis in crimina*

mina præuere. Quorum supplicium facer Codex vocat DEI maledictum, quod verbum est omnium miseriarum compendium, prout explicatur Numer. cap. 26. & Deuteron. cap. 28. Argumentum etiam obligatiōnis, quæ juri naturali inest, rigida est ex populoꝝ eo judicio, quod tanquam debitorem nulla laude dignum putant, qui eam non violat. Quomodo Claudianus in laudationem Catulli scribit:

*Nam spretas quis apes intactaq; pectora luero
Commemoret fuerint aliis hæc fore decora
Nulla potest laus esse tibi quæ crimina purget.*

Similiter Philostratus in vita Apollonii lib. 6. c. 11. *Nec prudentiæ opus est, stulte aliquid non cogitare, nec fortitudinis actem non relinquere; nec temperantiæ in machorum turpiditates non incurrere. Nec omnino laude dignam est, quod non malis esse videaris; omne enim quod æque ab honore atq; pena distat, virtus non est.* Hieronymus. de vitand. susp. ednibus tom. 1. *Non est laus, si vos (mater & filia) invicem diligitis, scelus quod odistis.* Eo respicit dictum Taciti, de uxore Agricolæ in vit. ejus, cum laudi de concordia & observantia mariti subicit: *Nisi quod in bona uxore tanto minor laus, quanto in mala plus culpa est; nempe quia quod exigente natura fit, nihil laudis meretur, cum ex debito communi fit, tanto magis vero ommissum culpandum sit.* Eodem intuitu scribit in Agricola, integritatem & abstinentiam laudare in hanc virtutum fore, quasi ultra debitum nihil fecerit. Ita etiam Eumenes apud Livium lib. 17. *Nihil gloriabor eo quod nihil in vos deliquerim.* Capitoletus, in vita Pii referens Imp. Antoninum à Senatu laudatum, quod factum fella jam atate manu levaverit, subicit: *Id quidem non satis magna pietatis argumentum esse, cum impius sit magis, qui non faciat, quam pius, qui debitum reddat.* Sed quæ in hac

hac scripta aliorum congero? Salvator mundi idem, ad comprobendam legis naturalis necessitatem, assumpsit, quando de integritate morum, servanda subdit: *Cum omne illuc pertinens factum fuerit, facientes tamen inutiles esse servos, hoc est, nulla laude vel premio dignos, quia nihil fecerint, nisi quod debuerint,*

LIV. Per simplex quidem primævum naturæ jus, integritati humanitatis aptatum de iis, quæ cuique tribui conveniebat, non opus fuit exequendi medio, quia sponte bonum & innocentem quemque esse volebat, talemque se homo incorruptus exhibere poterat. Ideo natura non constituit singulis judicem. Deus solum sibi judicium reservavit, quod voluit timeri, eoque solo metu in integritate hominem contineri, una lege, & poena proposita, quod quo die homo peccaverit, morte morietur. At ubi hic descivit à connata innocentia, redditus pravus, & naturæ corruptione ad quævis vitia & injurias pronus, egere cœpit freno, quo contineretur, & coactione per quam coerceretur. Esti vero natura ab initio non constituit inter homines cogendi ad justa medium, quia cum legem dabat, alijs præter metum Numinis, integritas non indigebat. Accepit tamen ex sapientissima DEI providentia & mentibus insita, tum quæ judiciorum instar revererentur, & quæ sentirent futuri improbi, tum quæ licerent injuriam passis pro vindicta. Qui lapsu prævidit, Naturæ autor, contra illum in animis posuit repagula, post illum futura iniquitatis flagella. Crassus & perniciosus error est, naturæ jus simplex vi coercionis carere, illam demum ex civitatum constitutione atque judiciis accepisse. Rabini Judæorum eam putant materiam altercationis inter Cain & Abel, quam hujus cædes secuta est. Constantinopolitana Pentateuchi editio ante seculum expressa de ista hæc habet: *Et dixit Cain Abeli fratri suo;*

neg

Neg. Judicium est, neg. Judex, neg. seculum alterum, neg. premium bonum justis, neg. vindicta seu pena impiis. Respondit autem Abel, atq; dixit Caino, fratri suo: Etiam est Judicium, & Judex, atq; seculum alterum. Est insuper premium bonum justis, atq; vindicta seu pena impiis. Atq; evenit, ut dum erant simul in agro, involaret Cain in Abelem fratrem suum, & occideret eum. Multi, etiam aliarum gentium viri docti, in illam sententiam devenerunt, quod codicum nostrorum sit defectus; veluti, quem indicent verba Geneseos cap. 4. v. 8. Et locutus est Abel ad fratrem suum, dum non sequuntur aliqua, quæ dixerit, & non cohærent sequentia: Quod substituitur in vulgatis: Egre diamur foras; in aliis non reperitur, nec congruit iis, qui in campo fuerunt. Inde supplementum ex isto textus faciunt, de quo Judicium Theologis & Scripturæ Interpretibus relinquimus. Si ea Caini fuit mens, post malefactum per conscientiam suam & metum populi convictus est, non carere vi & coercitione præcepta naturalia. Non enim relictum est jus à DEO & naturâ sine vi & coercitione, utut non tali, ac quam gentium consensus & assuetudo addidit. Duo velut naturalia tribunalia Deus naturæ, ad excitandam illius observantiam, aut castigandam violationem, addidit, & mira sapientia sic constituit, ut nemo non reformidaret: Alterum in homine; Alterum extra hominem. Illud conscientia propria, hoc existimatio aliena exercet. Utrumque illud Philo Judæus in lib. de Decalogo pag. 760. considerandum proponit, quando ingratos duo apud tribunalia, maximè naturali adamari, ostendit, impietatis quidem apud divinum, quod vitæ post DEUM auctores non venerantur, inhumanitatis apud humanum, quod nihil ab iis, quisquam speraverit, qui negligunt eos, quibus par gratia referri non potest. A neutro potentis-

simis

simis aut felicissimis mortalium exemptio. Nam velut delegati à DEO Judices orbi & humanis rebus præfident, divina & horrenda autoritate, ut qui nomenclandum suæque securitati studendum putent, quod utrumque omnibus naturaliter inditum mentibus, nec nisi à perversis spernitur, ii justiciam supremam supra omnes, quæ iniquitatum vindex, vigili oculo sedet, offendere, & quod orbis preciosissimum amittere metuant. Damnatur, qui humana jura perrumpit, consentiente bonorum Judicio, nec sui ipsius animi sententia absolvitur. Eo itaque omnibus provocatio, ut exinde omnibus certa sollicitudo. Patent ea judicia omnibus, etiam quævis alia præcluduntur. Vim habent contra omnes, etiam qui Judicem alium non reverentur. Naturalem istorum ortum, existentiam & vim spectabis in primis humani generis parentibus, post peccatum à facie DEI fugientibus, metuentibus, inquietis, se tegentibus, & occultantibus. Numen quod non videbant, & homines qui nondum erant, reformidabant. Simile ingeniti utriusque judicii exemplum Cain edidit.

LV. Et quidem conscientia occultâ & admiranda vi ante peccatum freni, post peccatum flagri instar est. Unde ab Origine appellatur corrector affectuum & animæ Pædagogus. Hierocles notabiliter describit, ex ea vim legum naturalium, cum dixit: Ἰὺς θεῶν νόμος (ita vocat naturales) ἐπωδεξάμεν & λογισμὸς δικαιοσύνης ἀρχὴν & ἑαυτὰ γένεσθαι, *leges divinas suscipiens ratio sibi vigilantissimus efficitur Judex.* Cicero pro Milone: *Magna vis ejus est, in utramque partem, ut neque, tantummodo ei, qui nihil admisserunt, & penam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt.* Est ea cordibus infixâ, & sic infixâ, ut nec ejurari nec ejici queat. Cicero pro Cluentia. *Conscientiam à Divis immortalibus*

malibus accepimus, quæ divelli à nobis non potest. Istius iudicio condemnatos Apostolus ad Titum *cap. 3. v. 11.* vocat *ἀποκατακρίτους*, suos iudices & accusatores. Proceedit & suo conscientia contra reos ordine, quæ natura mentis humanæ ducit. Initium ejus est, ab incusationibus & excusationibus, quæ moræ intus cogitationes invicem faciunt, uti notabiliter exprimit Apostolus in *Epistola ad Romanos cap. 2. vers. 15.* Excitat istas animi indoles, intenta suæ regulæ, etsi cum debilitate, ut emendet, ut abstrahat, sed peccare obstinatos tandem deserit, ut repressa, & succumbens, ideo relinquit porro facinora conscientiæ, hæc quiescit quidem aliquamdiu, sed apertis oculis & infida pace. Seneca *Epistol. 97. Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest.* Voce divina cani ad fores, ubi excitandi frequens occasio, dormienti comparatur. Nec tamen & quies ejus sine pœna est. Spreta velut frenum laxat, ut quos retinere non potuit in recta via, ruere in deterrima sinat. Quod primum vindictæ genus est, & pœna satis gravis, quod perseveranter peccatur. Hoc Apostolus de *ἀποκατακρίτοις* addit in *Epist. ad Titum dicto loco*, tanquam proprium in quarto modo, quod pervertantur, & peccare non desinant. Postquam vero peccatorum impleta est mensura, velut evigilans conscientia torquere incipit, excusationes nullas ultra audit. Salustius in *Catil. Animus impurus Diis hominibusq; infestus, neq; vigiliis neq; quietibus sedari potest: Ita conscientia mentem excitam vastat.* Nullum ejus censuram transcendit fastigium. Hæret, quo non permeat potentia, non curat propria, velut ex insidiis castigat. Quo latius evagatur ex viribus licentia, eo severius intus ex naturalibus tormentis pungitur animus. Non eget accusatore, teste, iudice, perquisitionis aut condemnationis

onis ordine, vel sententiæ executore. Ipsa simul fungitur his vicibus, quæ momento exsurgunt, & cruciant: ita apud pravos in carnificinam mentis definit. Nec minus mirum. Ipsum crimen quod accusatur, ex ea supplicium est: Perpetratur uno aliorum dolore in mille dolores peccantis reviviscit. Tacitus pulchrè *lib. 6. Annal.* Si Tyrannorum mentes recludantur, possint aspici laniatus & ictus. Quando ut corpora verberibus, in saevitia libidine, malis consultis animus dilaceratur. Adeo facinora atq; flagitia sua ipsis quoq; in supplicium vertunt. Addi meretur de conscientia judicio Senecæ *Epist. 97.* sententia, ejus modum & effectus exponens: Prima, inquit, & maxima peccantium est pœna, peccasse, nec ullam scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris, in scelere, supplicium est. Sed nihilominus & hæc, & illa, secunda pœna premunt ac sequuntur: timere semper, & expavescere, & securitati diffidere. Quare ego hoc supplicio nequitiam liberem? quare non semper illam in suspensio relinqvam? Illic dissentiamus cum Epicuro, ubi dicit, nihil justum esse natura, & crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit. Hic consentiamus, mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat, quod sponsoribus securitatis sue non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum Epicuri est, naturâ nos à scelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem: quare? quia infixâ nobis ejus rei a-versatio est, quam natura damnavit. Ideo nunquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit. Proprium autem est nocentium, trepidare. Male de nobis actum erat, quod multa scelera legem & judicem effugiunt, & scripta supplicia,

cia, nisi illa naturalia & gravia de presentibus solverent, & in locum patientia timor cederet.

LVI. Non levius est ex hominum existimatione de actibus humanis adversus omnes judicium. Ex quo naturaliter pretiosa bonæ existimationis æstimatio est, malæ cœpit esse magna inter omnes formido. Est ea judicii efficacia non levis, nec contemnenda. Prima ejus vis in fama, quam illud pro qualitate factorum excitat. Quæ naturali quadam æstimatione conscientiam gravius metuitur, sicut Plinius *lib. 3. Epist.* scribit: *multi famam, pauci conscientiam verentur.* Vim ejus naturalem indicat communis gentium pro ea conspiratio, & consiliorum humanorum ex ipsa robur atque pondus. Quo eminentius exurgit potestas, eo plus ex fama sperare, aut metuere opus habet. Tacitus *lib. 4. Annal. Ceteris mortalium in eo stare consilia, quid sibi conducere arbitrantur, Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Postea: *Cetera principibus statim adesse: Unum insatiabiliter parandum, prosperatam sui memoriam. Nam contemptu fama contemni virtutes.* Improborum mores vim hujus judicis & reverentiam mentibus inditam ostendunt. Vitiolissimi, ut verba habent Plinii in *Panegyri.* inimicas vitis artes non odio magis quam reverentia relegant. Quis inde metus cordibus Tyrannorum imprimatur, constat, cum, *juxta Tacitum in vita Agric.* tentant abolere vocem populi, & conscientiam generis humani, ideo monumenta clarissimorum ingeniorum in foro ac comitiis urunt: sed & idem scribit *lib. 4. Annal. Sordiam eorum irridere libes, qui presenti potentia freti credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam.* Secundus judicii istius effectus est in detestatione scelerum publica, quæ commune quoddam inpravos, quos execrabiles facit, odium parit. Natu-

raliter gentes communi adversus sceleratos odio vindicant nefas. Hoc ut mereri, grave, sic sustinere, asperum. Per quod invisi & vita atq; societate indigni censentur. Nota Senecæ lib. 3. de Benefic. cap. 17. de hoc judicium: *Quid ergo? impunitus erit ingratus? Quid ergo? impunitus erit impius? quid malignus? quid avarus? quid impotens? quid crudelis? Impunita tu credis esse, quæ invisa sunt? aut ullum supplicium gravius existimas publico odio? Pœna est, quod non audet ab ullo beneficium accipere, quod non audet ulli dare, quod omnium designatur oculis, aut designari se judicat, quod intellectum optima rei ac dulcissime amisit. An tu infelicem vocas, qui caret acie oculorum, cujus aures morbus obstruxit: non vocas miserum eum, qui sensum beneficiorum amisit? Testes ingratorum omnium DEos metuit, urit illum & angit intercepti beneficii conscientia: deniq; satis hæc ipsa pœna magna est, quod rei (ut dicebam) jucundissime fructum non percipit. Ut vero inter omnes commune malignantium præsto est odium, sic & aliis, pro his qui injuriam patiuntur condolens lubensq; studium. Averfatio in istos, & miseratio erga hos suscitant naturali instinctu, ad sublevandum miseros, & conjunctis viribus supprimendum malignos. Validiorum hinc prætextus, pro defensione imbecilliorum, potentioribus plausibilis est. Quibus vel scintilla honesti, sensus, famæ, tristius aut acerbium nihil evenire odio & detestatione communi, Lipsius ad dict. loc. Senecæ notat.*

LVII. Si circa naturæ jus executionem desideramus, non deest ista his tribunalibus. Vindex & ultor supremus DEus est, qui maleficiorum ultionem exercet, pravis successum negando, fructum malitiæ malum non dissimile inferendo. Sic etiam morabilibus æquitatem indidit, ut quæ homo ferit, metat, & per

per quæ quis peccat, puniatur, crimen & vitium unumquodq; ita sui supplicium fit. Ethî vero non secus, ut sementem tarde fructus sequitur, & inter istam & hunc multa incidunt, alia, ac quæ sperantur, aut metuuntur, sic dum pœnam non sentiunt mali, sæpius post & per scelus felices, impunes videntur, non sunt tamen nec manent. Haud constans flagitiorum prosperitas velut radicibus destituta, tandem inopinato collabitur. Cujus divinum verbum, per dicta & exempla, index copiosus est, at per rationis lumen, etiam à Platone intellectum & creditum est, cuius elegantia sunt de eo verba, in *dialog. 4. de legib. DEUS omnium rerum & principium & medium & finem in se habens, rectam viam peragit, explicans vim suam, atq; potentiam per hanc universi naturam, perque omnes illius partes circumquaque permanens. Hunc sequitur justitia eorum, qui à divina lege deficiunt, ultrix atq; vindex, cui quidem justitia ii modesto, & composito animo adhaerent, qui felices sunt futuri, ejusque ductum & aspectum constanter persequuntur, qui autem superbia elati pecuniarum honorumve confidentia tument, & dementia inflammantur animo ad petulantiam, quasi re nulla indigeant, sed aliorum duces ipsi commodi esse possint, illi profecto à DEO deseruntur, vi ejus & efficacia orbati. Deserti autem & hujusmodi alios duces natî exultant & omnia simul perturbant, atque permiscent: Vulgo tamen aliqui esse videntur, & habentur in pretio. At post non longum tempus divina illi justitia non leves nec culpabiles dant pœnas, & seipso & familiam, & civitatem deniq; ipsam extremo quodam & internecino involvunt exitio, quo tandem & ipsi cum omnibus misere pereant. Natura plerumque ipsa armatur adversus natura violatores. Comperimus, quidquid subcoeleste ad vindictam & pœnam paratum, & sæpe mirabili modo intentatum, ut*

agnoscèretur judicii divini severitas. At quam inevitabilis, tam tarda & occulta est animadversio divina. Quia occultis viis incedit, non ubiq; deprehenditur, ideo contemnitur à plurimis, sua pravitate aut ejus felicitate persuasis, scelerum nullam curam Numini, qui tamen quam sero tam severe sentient ejus supplicium. Hoc irrogatur plerumque in potentiores, per leviora & abjecta orbis, ut intelligant, quam contempti sint apud omnipotentem, quamq; huic nihil ad Judicii vim desit.

LVIII. Quare DEus jus naturæ condendo ultra sui timorem nihil pro ejus vi constituerit, ratio obvia est. Concreavit enim in statu innocentia, ubi quisque sponte bonus, nemo exteriore metu egebat. Placuit etiam in DEI cultum lubens & spontanea probitas, ex natura penitus proba. Inter æquales nihil nisi humanitate & officiorum studio actum voluit. Composuit præterea pleraque hujus juris, ut coacta parum virtutis & probitatis habeant, ideo per coactionem suam decus & laudem amittant. Prævisus licet lapsus, & ex eo imminens pravitas, sapientissimum Numen commovere non potuit, ut ipse ultra sui metum peculiare quid naturæ adderet, quo perveritas coerceretur, & pro juris sui cuiquam violenta extorsio esset, commisit id excogitandum humanæ rationi, per intellectus atque judicii reliquias, per quas corrupta licet, tamen suis usibus par esse potuit. Accipere quippe licuit remedium, tum ex hominum libertate, tum ex necessitatis impulsu. Per illam cuilibet natura permisum, justa sibi sumere, & à negante suis viribus, modo nihil contra naturale jus fieret, exigere: per hunc coitio in societates, & in his imperii judiciiq; constitutionem non potuit non subsequi. Prævidens ista Deus hominem in talibus, tum ipsiusmet imbecillitatem

tatem atque calamitates, ex his amissæ virtutis damna, tum superstitis rationis beneficium Divinum & ex hoc gratiam singularem agnoscere, ipsimet omni ope & conatu studere, ubi se non sufficientem & inopem experiretur, ad Divinum auxilium implorandum adeoque Deum colendum allicere maluit; quam cum perfecte bonus reddi non posset, sic instruere, ut Numine sequæ ipso non egeret. Interim Rector universi, & animos hominum illuc direxit, quo non modo sui juris auxilia reperirent, sed & efficacia haberent. Quidquid de eo humani inventi videtur, vere Divini operis est. Quæ ad agendum ex naturali jure tum per naturalem licentiam propriæ autoritatis, tum per inventum sociale judiciorum potestas sit, fusius expositum videbis in Jurisprudencia nostra, inter ea, quæ de actionum jure tractabuntur. Ad quæ lectorem remitto.

LIX. Inter enormissima itaque crimina gentium consensu, nec sine rectæ rationis judicio, collocatur violatio juris naturalis, & quæ contra hoc committuntur, ab Jctis vocantur atrocissima delicta. Quia enim istud à DEO proficiscitur, non sine impietate, dum natura aliter jubet, contra humanitatem, quia rectæ rationi adversa, irrationabili ausu & quod gentibus invisa plusquam bestiali feritate perpetrantur. Cato Major: *Nihil est aliud gigantum more pugnare, quam natura repugnare: Qui jura natura perumpunt hominem uxere,* Claudiano, *Natura dedecus facere,* Leoni Imperatori, τὴν ὁσίαν ὑβρίσεν, Isidoro, *Nefarii scelesti & ab omni humanitatis sensu alieni* Ciceroni dicuntur, Excusationem ista nullam habent.

INSPECTIO TERTIA.

Unde petenda Juris Naturalis notitia, & de
Regula judicii, quod de eo sumi debet.

- I. *Valde expedit certa de jure naturali scientia.*
- II. *Non adeo facilis est, ut multi sibi persuadent, & unde difficultas.*
- III. *Ignorantia juris naturalis quando excusabilis, nec ne.*
- IV. *Diligentia in eo indagando & statuendo necessaria.*
- V. *Cognitio ejus an aliqua à priori, & qualis.*
- VI. *Ad notam juris naturalis non requirenda est communis omnium gentium observantia.*
- VII. *Nec sufficit plurium consensus.*
- VIII. *Moratorum populorum exempla quid ad argumentum ejus valeant.*
- IX. *Qui ut ceteris moratiores in exemplum serviunt.*
- X. *Quid Romano juri circa argumenta de jure naturali tribuendum sit.*
- XI. *Quarum gentium judicia & mores certius in argumentum assumantur.*
- XII. *Quid in hoc tribuendum sit Philosophorum sententiis.*
- X XIII. *Societatis propria sola non faciunt normam juris naturalis.*
- XIV. *Multo minus utilitas humani generis.*
- XV. *Leges Populi Hebraei quae juris naturalis sunt argumenta.*
- X XVI. *Natura ipsa sui & naturalis juris index est.*
- XVII. *Quomodo ex ista ducuntur hujus argumenta.*
- XVIII. *Qualis natura pro vita sumenda est regula.*
- XIX. *Quo-*

- XIX. *Quomodo ad natura cognitionem ducimur.*
 XX. *Ratio ad naturalia dux & magistra est.*
 XXI. *Quam corrupta in nobis sit ratio, & qua ejus indicia circa juris cognitionem.*
 XXII. *Sufficit tamen, & quo medio ad juris explorationem.*
 XXIII. *Quomodo ratio procedit ad collectionem juris.*
 XXIV. *Dexteritas judicij naturalis valde proficit ad scrutini in juris.*
 XXV. *Impedimenta cognitionis referuntur, & illorum remedia.*
 XXVI. *Doctrina juvanda est juris naturalis exploratio.*
 XXVII. *Quomodo doctrina procedere debeat ad suum finem.*
 XXVIII. *Ex divinis, qua argumenta juris naturalis.*
 XXIX. *Qua ex humanis, & quomodo haurienda.*

I.



Vandoquidem inter gentes nullum tum ad honesta, tum ad justa invicem præstanda, fortius præstantiusque vinculum est jure naturali, velut omnibus communi, & cui observantiam deberi omnes credunt atq; consentiunt, inque eodem omnes honesti & justii, quod unaquæque civitas sequitur velut firmamentum, & ex eo spiritus vitalis est, quem omnis lex trahit, & ad sui commendationem usurpat, maximopere interest sciri, quid sit vere juris naturalis. Ad hoc scrutinium DEUS hortatur Regem & Populum, *Hierem. cap. 6. vers. 16. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, qua via sit bona.* Nemo non ex justo aliquid poscens aut aversans hoc invocatur & obtendit. At sæpius falso. Pleraque longissime absunt ab isto. Inde ex quo alia omnia oportet esse certa, incertum multisque disputationibus

tationibus obnoxium redditur. Cujus testes sunt varia scripta, quæ hoc seculo de jure naturali prodierunt, in paucis consona. Reperimus ex iisdem, quam varie principia juris naturalis constituuntur atque judicantur. Quam minime in fundamentis conveniant, ut mirum non sit, collectiones atque illationes, in tam vaga & diversa ratiocinatione, infinitis modis discrepare. Ex quo aliud evenire non potuit, quam ut, quod hodie videmus, per diversas sententias in disputationes trahantur, & fluctet de iis iudicium. Quod in multis divertunt & corrumpunt ea scriptorum disceptationes. Ut vero ad necessariam naturalium legum certitudinem, ex qua & cætera è dubitationibus eripientur, deveniamus, diligentiori discussione atque investigatione indiget.

II. Facilem naturalis juris cognitionem sibi multi persuadent, quia natura omnibus communis, in unoquoque præsens est, nemo ejus ignarus creditur. Hieronymus T. 3. Epist. ad Algas. q. 8. *Ista lex, quæ in corde scribitur, omnes continet notiones, & nullus est, qui hanc nesciat.* Cum Hermio apud Euripidem diceret:

Non barbarorum more in Urbe hac agitur,
Andromacha respondit:

Quæ turpia illis, hic quoque haud culpa vacant.

Similis Polynicis apud eundem locutio legitur:

Hæc sum profatus mater haud ambagibus

Implicita, sed quæ regulis æqui boni.

Suffulta rudibus pariter & doctis patent.

Quod si quam ratio hominum communis, tam & rationis dexter usus integer singulis esset, non posset non unicuique id jus, quod in dictamine rectæ rationis consistit, esse perspectum. At ut Aristoteles 7. *Etb. 6.* loquitur, sunt gentes, quæ ex natura seu à natalibus recto

recto rationis usu carent, sensu tantum vivunt, instar ferarum. Cum ratio corrupta sit in omnibus, ejus reparatio & ad bona reflectēdi studium in paucis, plurimi hominum ratione non utuntur; pleriq; abutuntur, magna pars circa ea quæ rationis sunt, aut incuriose aut nimis scrupulose & subtiliter versatur, ubiqve isti obstitit affectuum, perturbatio, & ad deteriora proclivis corruptela, & quæ justitiæ præcipua pestis est, leges quisque in suos casses trahit, & suis eas aptare quam iis aptari fatagit, evenit ut difficile & rarum veræ justitiæ naturalis sit inventum. Inquisitionis difficultatem Plato in Phædro annotat, ubi Socrates ad Phædrum: *Quando quis ferri vel argenti nomen pronunciat, idem omnes protinus intelligimus. PH. Prorsus. S O. Quid cum justi vel boni nomen? nonne alius alio fertur? atque cum aliis & nobiscum ipsi ambigimus PH. Magnopere.* Applicandum huc Plinii, in Præfat. ad Histor. Natur. dictum: *Rem arduam esse vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditiis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam & natura sua omnia. Itaque etiam non assecutis voluisse abunde pulchrum atque magnificum est.* Ignoratur natura ut vera, recta, proba est, postquam corrupta & perdita. Quomodo modicæ sub hac istius sunt reliquæ & amissæ tantum vestigia, per quæ tamen ad integritatem reditus non patet, ita mirum non est, per majores dudum amissum, nunquam visum, à nobis ab origine remotioribus non sciri; Intelligi vero eo difficilium, quod per corruptionem naturæ obscurata & vitata sunt omnia, per quæ intelligimus. Non secus ut plures sensibus præditi, nec istorum vim sciunt, nec usum ostendunt, per eosdem errant & falluntur, non istorum sed corruptelæ vitio atque desidia; sic & in naturali ratione, imo & circa rationem peccatur.

Lælius:

Lælius: *Multis signis natura declarat, quid velit ac querat ac desideret, absurdescimus, tamen nescio, quomodo nec ea, quæ admonentur, audimus.* Juvenalis Satyr. X.

*Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus usq̃
Auroram & Gangem pauci depingere possunt.
Vera bona atq̃ illis multum diversa remota;
Erroris nebula, quid enim ratione timemus
Aut cupimus?*

Exinde multa in genus humanum incommoda. Error ille efficit, ut vitia virtutum, virtutes vitiorum, imaginem assumant. Ovidius lib. I. Remed.

Et mala sunt vicina bonis errore sub illo.

Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Quam sententiam ita expressit Juvenal. Sat. XIV.

*Fallit enim vitium specie virtutis & umbra,
Cum sit triste habitum vultusq̃, & veste severum.*

Idem fons protrudit ingentem de jure opinionum diversitatem, & hominum dissensiones. Tyrius Maximus dissertat. I. *Ut de legibus, & jure taceam, quæ pro cuiusq̃ placito in omnes partes ita distrahuntur ac velluntur, ut non modo non gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat.*

Talis namq̃ animi mens est mortalibus agris.

Ex eo causa incestitudinis justii. Unde porro evenit, dum cuique videntur justa, quæ placent intimius, non explorata ratione, opinione hominum jus niti videatur. Procedit & hinc, de quo Iustus Paulus in l. 91. §. 7. ff. de Verb. Oblig. quæritur: *In quaestione de bono & æquo plerumq̃ sub auctoritate juris scientia perniciosè errari.* Eadem causa est, cum obscuritatis tum difficultatis, in explorando jure connato. Idem Tyrius Maximus dissertat. 34. *χαλεπὸν εὐρεῖν λόγον ἀληθῆ, veram invenire rationem, esse difficile.* Plerumq̃ enim

nim, pergit, id evenit homini, ut quo fecundiore sit ingenio, eo minus valeat judicio. Cicero lib. 1. de Finib. *Ignorantione rerum bonarum & malarū maxime hominum vitam vexari.* Objicias forte, qv̄i naturæ lex dici poterit hominum communis, qv̄æ omnibus hominibus non nota, ut maximè esse oportet, si naturale jus esse debet? qv̄ia frustra tale foret, si non & cognitum. Sed primò vide, unde ignorantia aut incertitudo descendit. Non ex jure ipso, sed humanæ mentis tenebris ac pravitate. Deinde reputa, qv̄alis superest istud noscendi modus, naturalis nempe, per lumen rationis. Qv̄od homo, contemplationi naturæ suæ adhibens, qv̄id istius sit,prehendere valet. Qv̄od aliquibus non ea ingenii vis, ut suo ratiocinio investigare valeant, alios affectuum aut vitiosi habitus obstaculum præpedit, alii disputationum subtilitatibus intricati ab eo aberrant, alii non nisi per informationem aliorum cognoscunt, non magis notum esse desinit, quam solis splendor latet, qv̄od aliqui præ cœcitate plane non, aliqui ex oculorum vitiis minus vident, aliqui clausis obrectisq; sponte oculis intueri nolunt. Sufficit aut ingeniorum perspicaciorū studio nosci, aut per horum doctrinam ab aliis disci, & naturæ congruum reperiri. Ideo, qv̄ia sic potest intelligi, omni modo debet inquiri.

III. Quando autem inter hominum debita est, semet nosse, refertur inter præcipua vitia, nescire conditionem suam. Qv̄ia itaqv̄e qv̄id naturalis juris sit, homo explorando scire potest & investigare debet, ignorantia ejus in crimine est, nec qv̄am apud omnes in culpam latam vertitur, tam præsumitur aut reperta excusatur. Ex qv̄o apud JCos hæc stat sententia, qv̄od nec hujus justa excusatio est, nec ipsa excusatio. Cum qv̄æritur, an in delictis excuset vel exculpet juris ignorantia, distinctio solita est inter naturalis & civilis

lis juris ignorantiam. Huic excusationis non modicum tribuunt, quâ sublevantur impuberes, simplices, mulieres, rustici, aliique quibus non est rerum civilium peritia. Et ad alios quoque pertinet, quod in damnis amittendæ rei suæ non nocet; in pœnalibus à dolo purgat, sed isti nihil fere excusationis relinquitur. Quo spectat dictum Imp. Gordiani *in l. 2. C. de in jus vocand. Jus certissimum est, nec in ea re rusticitati venia præbetur, cum naturali ratione honor hujusmodi personis debetur.* Distinctionem eam circa incestum adhibet Imp. Papinianus *in l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adulter. Mulier tunc demum eam pœnam quam mares sustinebit, cum incestum jure gentium prohibitum admiseric: nam, si sola juris nostri observatio interveniet, mulier ab incesti crimine erit excusata.* At accipienda hæc sunt de primis principiis generalibus, omni homini perspectis, quæ est, honeste vivendum; Deum colendum, parentes amandos, neminem lædendum esse; nec non de iis, quæ his proxima sunt, & simul sic manifesta, ut omni homini ex lumine naturæ, quod est in ratione, statim obvia, penes neminem dubia esse queunt, veluti, superioribus esse obtemperandum, suum nemini eripiendum, promissa servanda. Fieri non potest, ut parum attentos hæc lateant, in corde sunt scripta, conscientiæ obvia, in omnibus etiam manifesta. Opinio aliquorum non absona est, haud posse ignorari & de iis male queri, an ignorantia excuset, quæ talium nulla esse potest, aut certè non debet. Chrysostomus homil. 54. in Genes. *Nullus, inquit, pratexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquam vitæ ducem & demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam, & fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis implantatus est scientia faciendorum, & non faciendorum*

dorum. Ad illa vero, quæ non constant, nisi per ratiocinationis dexteritatem ex primis principiis collecta, non perinde aliterve turpitudine ignorationis referenda est, quam si facilis & sine studio sit intellectus & illatio. Quidquid in his studium, artem, dexteritatem intelligendi atque colligendi non vulgarem desiderat, ejus ut in omnibus non est facilitas, in multis impossibilitas, ita non edoctum nec cogitatum sine delicto est. Ideo, ut talium ignorantia non nisi eruditis indecora, sic nec aliis inexcusabilis. Cæteris ob simplicitatem, rusticitatem, pravam educationem, negligentiam ex ignoracione ortam, non satis explorantibus, quæ rationis naturalis sunt, non tam probrosa est ignorantia, nec magis vitio vertenda, quam ex qua oritur causa. Hujus excusationibus gaudet inde orta inscitia. Quæ cum in iis, quæ civilis juris sunt, multos non prave seu malignè ignaros excuset, non minus ad excusationem proficere debet circa incognita rationis naturalis, quæ non nisi diligenti & attentâ ratiocinatione sunt investiganda. Juste sic argumentamur: Ubi ignorata ex civilibus legibus, quæ publicè ad notitiam omnium proscribuntur, tollunt aut minuunt delictum ac pœnam, non possunt non ignorata ex naturali jure, quod non præscriptum, nec ita ut menti semper obviet inditum, sed latens, dextrâ ratiocinatione tantum colligendum, eandem excusationem afferre, difficilius quippe hujus quam illarum scientia est, præsertim simplicioribus. Debitum sciendi in omni jure idem est, nec diversam potest inducere inscitie rationem. At ut debitum isti ab omnibus satisfiat, variat facultas assequendi, & inde etiam culpa & vitium.

IV. Quantò gravioris autoritatis est, quidquid natura præcipit aut verat, inde non observati crimeturpius, eo magis decet summa cum diligentia atque

sollicitudine curare, ut de naturalibus præceptis sumus certi, & veritatem tenoremque illorum ex tenebris, quibuscum post depravationem mens humana circumdata est, eruamus. Ad quod studium multi præierunt, qui moralem Philosophiam explicant. Sed non omnes pari felicitate. Cavendum est vicissim, ne temerè annumeremus à natura jussum aut vetitis ea, de quibus id satis non constat, nec confundamus, quæ revera talia sunt, & quæ videntur. In quo variè erratur. Plerique nimis faciles sunt, in referendo multa ad jus naturale, quæ longissimè distant, & non nisi per prolixum consequentiarum traducem inde colliguntur. In mores fere abiit omnes, qui plausibili aliqua ratiuncula velare possunt sensus aut desideria sua, inclamare naturalis juris auctoritatem, & conciliare, quam non merentur, fidem. In quo perperam versari, & quæ vere naturalis non sunt, ad illud referre, cum non modico præjudicio generis humani, perturbatione societatis civilis, & impedimento commodorum apud singulos conjuncta sunt. Quanto turpius minusque excusabile est leges, naturæ violare, quanto magis immotæ istæ sunt, nec ulla ratione mutari, relaxari aut imminui debent, quanto arctius socialia & civilia jura constringere decet, si cum naturalibus colligantur, quanto minus porro liberum erit civilium statutorum arbitrium atque morum particularium moderamen, ubi in istas impinget; tanto magis refert, non nimis præcipiti doctrina istas præsupponere. Quod nihil aliud est, quam libertatem hominum communem, potestatem imperantium, auctoritatem legum civilium, occasiones commoditatum, & in iis sibi consulendi arbitrium restringere.

V. Investigant multi quæ naturalis juris sunt à priori, ut loquuntur: Alii disputant, utrum sic cognosci & indagari possit. Aut non intelligo, quid sit à priori

priori nosse, aut puto vanam atque inanem esse operam, anteriorem aliquam rationem ejus juris indagare, quod est cum homine orta prima & summa ratio moralis, homini concreata à DEO ; Ignarus ille est eorum, quæ ante mundum fuerunt. Nec quid in divinis consiliis ante hominem fuit, antequam esset, sine ipso revelatum reperimus. Id scimus, quod Paulus ad Romanos c. 2. v. 15. docet, τὸ ἔργον τῶ νόμου γραπτὸν ἐν καρδίαις, esse opus legis scriptum in cordibus. Hoc non nosse gentes, sine alia noscendi causa, quam quæ in ipsis est, simul admonet, scribens, τὰ ἔθνη φύσει τὰ τῶ νόμου πιεῖν, naturâ quæ legis sunt facere, hoc est, instinctu & ductu naturali ipsis ingenito addit, νόμον μὴ ἔχοντες εἰσαυτοῖς εἶναι νόμον, cum legem non habeant, sibi ipsi esse legem, nescientes scilicet citra justæ rationem justæ facere. Ex illa consideratione apparet, merum DEI opus esse jus, quod naturâ dicitur, perinde ut ipsam naturam. Ut autem hujus à priori non alia est cognitio, quam quod DEUS pro immensa & incomprehensibili bonitate, potentia & sapientia, istam mirabiliter condidit: ita nec de jure istius proprio aliud sentire fas est. Non alia de operibus DEI potest concipi sententia. Circa quæ nihil ultra constat, quam quod per eum & ex opere ipso nobis revelatum est, ideo nec ultra aut ex anterioribus facto principiis investigandum. Curiose mentis opponendum, quod Gentium Apostolus ad Romanos exclamat, cap. 11. v. 33. seq. Ὁ βάθος πλάτους καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ, ὅσα ἀνεξερεύνητα τὰ κείμενα αὐτῶ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ; τίς γὰρ ἔγνω τῶν κειμένων ἢ τίς συνέβαλε αὐτοῖς; ἢ παρέδωκεν αὐτὰ, καὶ ἀνὴρ ποδοθησάτω αὐτῶ. *O Profunditatem divitiarum & sapientie & cognitionis DEI; quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus. : Quia enim cognovit mentem Domini? aut quis fuit illi à consiliis? Aut quis*

prior dedit illis & reddetur ei? Divinorum proprium est, quod non nisi à posteriori noscuntur. Nec enim quæ imperscrutabilis DEI sapientiæ sunt, incurrunt in rationem aut sensus. De istis verum est Simonidis dictum: *Quo magis cogito, eo minus invenio.* DEUS ipse docuit, impossibilem in terris DEI & divinorum visionem à priori. Ad posteriora, nempe opera, quæ relinquit, remittit se nosse cupidos. Sicuti ad Moysen factus Exod. 33. v. 20. & 23. *Faciem meam videre non poteris, posteriora autem videbis.* In divinis non sunt alia cognoscendi principia, quam dicta & facta DEI, orta ex imperscrutabili istius scientia. Illa ipsa dant principia noscendi, ultra quæ captus & intellectus humanus non progreditur, nisi valde dubie & periculose, quia raro sine errore. Cujus in divinis causa ea fere sola, quod ultra revelata ratio ascendere & penetrare nequit, si cupit & contendit, assequendi semper incerta. Quod si vero illud argumenti genus à priori dixeris, quod à justissimi conditoris proprietatibus & ex rei conditæ essentia sumpsit, erit aliquis nec levis juris intellectus ex iis, quæ DEI sunt & hominis. Postquam enim DEUS hominem ad suam imaginem conditum voluit, & cum illa etiam suæ justitiæ formam animis inditam, utique quæ divinæ inter homines justitiæ sunt, ejus juris quod connatum præbent indicia, ut non parum ad hoc intelligendum referat, ad revelata divinæ justitiæ præcepta & exempla retrospicere. Quod & ratio gentilibus Philosophis insinuavit, ut à Dæi natura & consuetudine frequenter ad hominum officia argumententur, & exemplar præscribant. Pythagoras, quo nemo veterum studiosius jus naturæ investigavit, hanc ejus censuram præcipuam habuit, non tantum DEUM istius autorem faciens, sed & per suas proprietates & operationes judicem

judicem atqve magistrum. Ita è Pythagoricis hæc exponit Jamblichus: *Enim vero, ait, cuncta quæ de eo, quid vel faciendum vel non faciendum sit, discernunt, ad cæleste lumen collinearunt, atq; hoc initium est, ut universa vita ratio composita & instituta sit, ad DEUM sequendum. Atqvi hic sermo est. Hac Philosophia sunt. Ridiculè enim homines faciunt, qui aliunde, quod honestum est, quodq; rectè sit, quarunt, quam ab ipso DEO. Et post pauca: quia DEUS est & ipse omnium Dominus, in confesso est, quicquid bonum & honestum est, ab ipso Domino petendum esse. Hierocles similiter ex istius mente sic scripsit: Socratis illud imitemur, qui se dicebat nulli suorum posse assentiri nisi rationi, quæ recta monere visa esset. Sunt verò nostra, non autem nos, omnia illa, quæ ad rationis ministerium data sunt, ira, cupiditas, sensus, corpus ipsum, quod instrumenti vice Facultatibus istis in usum conceditur, quarum nulli decet credere, ut ait, nisi recta rationi, id est, parti illi ratione prædita, quæ secundum naturam se habeat, potest enim & illa perspicere, quæ dicere & facere conveniat. Est vero idem, rationi parere atq; DEO. Natura enim quæ rationis est particeps, eum splendorem suum suamq; lucem sortita est, ex ipsa amplectitur, quæ divina lex statuit, nec discrepat à DEI sententia animus, qui secundum DEUM se habeat, sed divinitati atq; splendori intentus ea facit, quæ facit. Alterum ex hominis essentia & naturalibus qualitatibus argumentum haud minus congruum. Ut enim quidquid illis convenientius, ita non potest non esse naturaliter justum. Hæc norma scrutini non modo in naturalibus sed etiam in moralibus Philosophis placuit, ideo horum ex istis collectiones in præcepta sua redegerunt. Quam eo de naturali jure differendi, argumentandi, concludendique medium non sit præstantius, quamque inde istius*

præcepta compendiose atqve solidè juxta hauriri queant, infra *Inspectione sequenti* ob oculos ponemus. A posteriori argumentum juris naturalis est ex iis, quæ secundum naturam inter homines existunt vel fiunt tanquam naturalia. Ex quibus sic colligitur, pro istis necessaria, veluti non habenda nec servanda sine iis, naturaliter præcepta, contraria injusta, non dissentanea non injusta esse, ut hoc argumentandi genus apud scriptores sacros & profanos reperitur frequens; & præcipuum ferè, cui communis gentium jurisprudentia studet.

VI. Multa apud scriptores in argumentum ejus, quod juris naturalis putatur, assumuntur. Non omnia tamen pari ad concludendum vi; Pleraque nullà. Inde tamen non parum erroris in Jurisprudentiam introduci atqve irreperere sentimus. Operæ precium est, anteqvam ad primam, rectam, solidamqve ejus regulam pervenimus, præcipua, per quæ exacte non discitur, sed multi in gravissimos errores inducuntur, examinare. Primo non paucis, præsertim his, qui juri Romano operam addixerunt, ea opinio est, ut naturale jus omnium gentium commune est, sic pro eo habendū, cujus apud omnes gentes æquus est usus. Ducem hujus opinionis habent *Ulpianum in l. 9. ff. de Inst. & Jur. Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peragitur, custoditur: Vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur.* Hanc velut definitionē sequitur Imp. Justinianus in §. 1. *Instit. de jur. Nat. gentium & civ.* Aliis similis fuit opinio. Aristoteles Rhetoric. lib. 1. c. 13. & 15. ubi jus distribuit in ἴδιον & κοινόν, hoc ait esse κατὰ Φύσιν secundum naturam: Ἐστὶ γὰρ ὁ ματαύοντα, ἡ πάντες φύσει κοινόν δίκαιον καὶ ἀδίκον καὶ ἄν μηδεμία κοινωμία πρὸς ἀλλήλους ἢ μηδὲ συνθήκη. Est enim aliquod, quod opinantur universi, naturâ commune jus & injuria,

tametsi

*nametsi nullam habeant illi invicem communionem, nul-
 lave pactio intercedit. Cicero L. Tuscul. Qvæst. In re
 consensio omnium gentium jus natura putanda est. Ter-
 tullianus. Quod apud multos unum invenitur, non est
 erratum sed traditum. Ex legum morumque conformi-
 tate olim ita per sapientes indagata est naturalis genti-
 um juris indicina. Ille finis existimatur scripti Ari-
 stotelis, qvod sub titulo Νόμιμα Βαρβαρικά, Mores seu
 instituta Barbarica, seu populorum extra Græciam ha-
 bitantium congestisse dicitur, ut ejus meminit Apol-
 lonius Histor. mirab. 2. & Varro de Ling. Latin. lib. 6.
 diu perditii. Et alia ab eo confecta refert Laertius
 nempe δικαιώματα πόλεων, civitatum forensia, & πολι-
 τείας πόλεων, alii vocant συνηγμένας πολιτείας, Republ.
 congestas, quarum numero centum qvinqvagina alius,
 ducentas fuisse idem scribit. Idem intendit studium
 Theophrastus, cum, ut ait Laertius, πολιτικῶν ἠθῶν, mo-
 rum civilium qvatuor libros composuit. De utroque
 Cicero lib. 5. de Finib. Omnium fere civitatum non tan-
 tum Græciæ, sed etiam Barbariæ ab Aristotele mores insti-
 tuta & disciplinas, à Theophrasto etiam leges cognovimus.
 Recensentur similia scripta de gentium moribus, etiam
 Barbarorum, Dionysii Metathomeni, Nymphidori Am-
 phibolitis, Anacharsis Scytæ, Hecatæi, Heraclidis
 Pontici, de qvibus nihil fere superest, qvam ut fuisse
 sciatur. Non nego, rectè in his, qvæ omni genti sunt
 juris loco, naturæ seu rationis dictamen bene statui,
 cum talis consensio universalis fieri non qveat, nisi ex
 communi qvodam instinctu atqve syllogismo. Alexan-
 der Aphrodisiensis lib. 2. de Anima cap. 42. Certe id
 naturâ dicunt esse, qvod apud omnes idem est. Seneca Epist.
 117. Argumentum veritatis est aliquid omnibus videri.
 At quis dicet, eadem in orbe ubiqve eodem modo ser-
 vata & exercita, qvæ reperientur omnibus populis*

peræque placuisse? Quis unquam novit omnes gentes? Multas detexit recentior ætas, quas prisca ignoravit. Nec sine ratione credimus, esse adhuc ignotas aliquas: cognitarum quis leges aut mores novit, ut consensum docere possibile sit? Sed etiam in iis, quas quarumque leges & mores novimus, quæ est harum discrepantia, & sæpius à naturalibus aberratio. Si omnia, quæ Jctorum consensus ad prima juris naturalis præcepta refert, inter gentes perquisiveris, quam parum eorum reperies apud omnes idem. Historia & præfens usus ævi te abunde docebit, quæ apud plerasque gentes naturaliter justa habentur, aliquas non modo non observasse, sed contraria recepisse. Aristoteles 7. Nicom. 6. ait: *nationes quasdam Barbarorum procul distorem ex natura recto rationis usu carere, & sensu tantum viventes instar ferarum esse.* Similia idem habet 8. Polit. 4. *Multa sunt gentes, quibus usitatum est, hominum cædes facere, atque ex eorum carnibus cibos capessere, quales sunt in Ponticis gentibus Achai & Heniochi, deque mediterraneis alia sunt, partim quidem his similes, partim etiam immaniores.* Inter gentes quam multa ab eo, quod naturæ jus dicimus, aliena alii referunt. Prolixum nimis foret per exempla ire; cuiusvis obvia sunt. Quot fuerunt & sunt populi, qui non abhorruerunt à furtis, parricidiis, incestu, adulteriis, latrociniiis, promiscua hominum suique nece, liberorum immolatione, & aliis naturaliter turpibus? Quæ multi non puniunt: Aliqui honestant. Aut non erunt talia contra jus naturæ, quod nemo rectæ mentis sentiet, aut vero istius censura non est sumenda tantum ex omnium gentium consensu. Si hunc saltem inspicere & sequi velis, nullum erit naturæ jus, quia ullum, à quo nullus populus abeat, vix reperies. Multum interest inter legem, ejusque observantiam: Habenda sunt

sunt pro jure multa, quæ erroribus subditorum non habentur, & vicissim pro jure coluntur, aliquando minus justa. Haud magis judicium de jure sumi potest, ex hominum factis, quam id idipsum dependere ex eorundem placito. Debet naturale jus ex æquo coli ab omnibus, at quia non colitur, haud desinit esse aut negandum est tale. Hoc fieret, si præfatam sequimur definitionem, ex qua unius gentis dissoni mores efficerent non tribui quidquam, contra quod factum est, juri naturali. Quod foret absurdissimum. Spectare in talibus oportet, non quod fit, sed quid fieri debet: hoc ad jus refertur, illud ex vitiis hominum oritur. Quæ ex variis causis, simplicitate nempe, errore, prava educatione, atque assuetudine à recta via non singulos modo, sed etiam totas gentes abducunt. Haud minus absurdum erit cum aliis, inde plane negare jus aliquod naturale, aut id non esse omnium populorum commune. In quo non factum sed jus & observandi vinculum spectare convenit. Quando itaque illud jus omnibus datum, omnes ad id servandum apti & obstricti sunt, omnium etiam communis ad naturalia præcepta existit obligatio, ex eo quod omnes id non observant, sequi haud potest, eo minus naturale esse, sunt enim ex populis, ut Justinus in colloquio cum Tryphone loquitur: ὅσοι ὑπὸ ἀκαθάρτη πνεύματι ἔμπεφορημένοι, καὶ ὑπὸ Φαύλης ἀνατροφῆς καὶ ἑθῶν Φαυλῶν, καὶ νόμων πονηρῶν διαφθειρέντες τὰς Φυσικὰς ἐννοίας ἀπώλησαν. Qui ab impuris spiritibus abrepti, & per malam educationem instituta prava & leges iniquas corrupti naturales notiones perdidērunt. De quibus Apostolus ad Rom. I. v. 18. scribit, quod sint ἄνθρωποι τὴν ἀληθείαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχουσιν, qui veritatem in injustitia detinent. Quomodo verò non eo minus homo animal rationale dicens

us est, quod multi integro rationis usu destituuntur, aut se sponte per pravitatem suam destituunt, plures ea sicut debent non utuntur; sic nihil decedit juri naturali, quod quæ ex isto oriuntur, non apud omnes deprehenduntur. Horum perversitas illud non magis tollit, quam aliquorum insaniam in cæteris rationem, uti in capite præcedente idem exposuimus.

VII. Qui agnoscunt in omnibus populis nihil ex æquo reperiri consonum, majori eorum numero tribuunt naturalis juris argumentum. Nec levis est ex isto probitatis præsumptio, nec ad comprobandum male adducitur. Quintilianus: *Pro certis habemus, in quæ communi opinione consensum est.* Hæliodorus:

Φήμη δ' ἔστι πάντων ἀπόδηται, ἤνιστα πολλοὶ
λαοὶ Φημίζουσι.

*Non etenim penitus vana est sententia, multi
Quam populi celebrant.*

At solum non sufficit; Potest fieri, ut quæ multi receperunt, non sint præstantiora, aut ut non ex naturæ lege, sed utilitatis dulcedine, vel civitatum commoditate, vel antiqva consuetudine idem multis placeat. Imo & sæpius communi errore quot sunt, quæ transeunt ad alios, per exempli præjudicium, quæ non sunt iusta per naturæ præceptum? Nec multi semper boni. Hieronymus: *Nibil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus.* Valde pulchra sunt, quæ hanc in rem habet Seneca *de vita beata cap. 1.* Nihil ergo, inquit, magis præstandum est, quam ne, pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem; pergentes non quæ eundem est, sed quæ itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: *Optima ratio, quæ magno assensu recepta sunt, quorumve exempla nobis multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus.* Inde ista tanta coacer-

vatio

vatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet: nemo sibi tantum errat, sed alii erroris causa & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum unusquisq; mavult credere, quam judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur: Versatq; nos & precipitat traditus per manus error, alienisq; perimus exemplis. Etiam quæ gentium juris secundarii sunt, plerisque gentium consveta sunt, inde non dicenda naturalia. Deest præterea multorum exemplis vinculum quæ sequentem, nec alius ille, nisi sponte, aliorum mores imitatur. Hi si nolint, legem non habent. Nemo ex eo solo se juris aut injuriæ convinci patietur, quod plerique sic faciunt vel censent. Inter illos, qui alio invicem non tenentur jure, multitudini non inest vis aut jus ad cogendum in suos sensus pauciores. Libertas judicii & voluntatis naturalis singulis manet, ubi non est lege aut pacto singulorum voluntas pluribus reddita obnoxia; sicut fit in collegiis & societatibus, ubi consensus majori parti facit prærogativam, ideo aliis sequendi necessitatem. Eo deficiente ex præstantia bonitatis, cui omnes & quidem plures cedere debeant, non est in alios necessitas, nisi necessario alio jure accedente, per quod approbetur. Alias singuli libertate sui judicii utentes sua ut bona præferent, imo etiam movebunt controversiam, cum sua improbantur, melioris juris; Pro quo ad alia argumenta maxime ad rationem omnibus communem recurrendum est. Quæ sine cuique sua placebunt, & pro jure naturæ erunt, lib. 2. advers. Jovinianum, *Unaquæq; gens hoc legem Naturæ putat, quod didicit.*

VIII. Alii porrò ex moribus gentium, quæ cæteris moratioribus fuerunt, argumenta juris naturalis petunt, quasi gentium nomen ad illas saltem referendum sit, juxta illud Michaelis Pselli in Synopsi Legum:

Νόμιμον ἔθνικόν ἔστιν ἔχι τὸ βαρβαροδὲς
 Τὸ γὰρ τῶ ἔθνους ὄνομα νομικῶς εἰρημένον
 Γένων συλλαπητικόν ὅτι νόμοις ὑποκείμενον.

*Jus gentium est, non illud quod est barbaricum,
 Scilicet gentis nomen legitime heic acceptum eas
 Nationes complectitur, quæ legibus subsunt.*

Aristoteles 1. Politic. 5. δὲ δὲ σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει καὶ μὴ ἐν τοῖς διαφθαμενοῖς. *Quod naturale spectandum in his, qui bene secundum naturam se habent, non in depravatis.* Michael Ephesius ad Nicomachia: Φυσικὸν τὸ ἄφρα τοῖς πλειστοῖς καὶ ἀδιασφόφοις καὶ κατὰ φύσιν ἔχουσιν, *quod apud plerosq; non corruptos sed natura convenienter se habentes obtinetur.* At quæ censura erit de præstantia gentium circa mores? Quisq; se cæteris moratioribus contendet. Græci Latinis, hi Græcis, utrisq; Ægyptii palmam præripere nitentur. Ad hos parandæ veræ sapientiæ ergo ibant olim Philosophorum præstantissimi, Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus, aliiq; à Græcis, ut Diod. Siculus lib. 2. refert. Persæ, Chaldæi, Æthiopes, Celtæ, Schytæ, omnes Judæis barbari visi & auditi sunt. Sua adeo cuiq; placent. Aliena quisq; credit mala; etsi meliora, ut videre licet ex Taciti lib. 2. Annal. verbis de Vonone Phrahatis filio, Româ à Tiberio in regnum Parthorum misso: *Prompti aditus, obvia comitas, ignota Parthi virtutes, nova vitia, & quia ipsorum moribus aliena perinde odium prævis & honestis.* Egregio exemplo Herodotus in Thalia illustrat: Cum Darius accitos Græcos, qui in ditione sua, per-

percontabatur, quanta pecunia vellent defunctis parentibus juxta Indorum morem vesci, & negabant, se ulla pecunia in hoc posse induci; rogavit pariter Indos illos, quantum acciperent, ut patres defunctos igne juxta Græcorum morem comburerent, nec postea comederent, isti vehementer reclamantes, meliora illum ominari jubebant. Licet aliqui in aliquibus sint scitissimi, relinquunt tamen in iisdem non exacte proba- & vituperanda. Præsertim & moratiores sæpe utilitatis seu veræ seu apparentis rationem magis, quam honestatis habuerunt, aut utramque in legibus moribusque sic miscuerunt, ut discernere non promptum, aut cum fiet, illa in iis potior, ferè hæc inane illius velamentum existat. Et in universum aliquos statuere naturalis juris indices, difficilimum nec securum erit. Nullum præterea est in aliorum moribus vinculum, ut alii de iis sic judicent, ex naturæ Jure proficisci. Suos quisque meliores credit & statuit, ideo nulla futura ab exemplo aliorum juris, ex quo omnia certa esse decet, certitudo. Obtinentibus in sua causa non competit judicium, negantes suam non submittent opinionem, suos præferre contendunt. Aliis si relinquendum judicium, non ex moribus veluti objecto controversiæ, sumi poterit, sed superesse necesse erit, ex quo de præstantia morum judicetur. Deficit etiam imitandi necessitas, si nõ est naturæ alia lex. Inde ex suis moribus, tanquã ex jure naturali populos non ita morales invadere improbum visum. Ad quæ Plutarchi illud spectat: *πρόφασιν πλεονεξίας ημερώσαι το βαρβαρικόν*. *Barbaras gentes ad mores cultiores reducere velle obtentum esse, quo veletur alieni cupiditas.* In his & cæteris, quæ in argumentum juris naturalis sumuntur, considerata præprimis auctoritas & obligandi cæteros vis. Multum tamen istorum populorum mores conferunt ad confirmationem

tionem judicii, de naturalis rationis dictamine. Præstantia quippe populorum fidem facit actionum. Non ut solis exemplis jus constituendum sit, quod fallax nimis, dum nulla non gens peccaverit aut erraverit, sed ut ea ex ratione censeantur, & hac dubiâ credatur minus errasse, aut propius constantiusque judicasse prudentiæ justitiæque laude celebres. Quintilianus. *Consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum, sicut vivendi consensum bonorum.* Aristoteles in Topic. Princ. *Probabile est probatis, quod probatum est viris.* Securius argumentum est in iis, quæ sunt de genere permissorum aut naturaliter licitorum, ad comprobendam æquitatem recepti ex eo quod placuit moratioribus.

IX. Tribus populis multum tribuit circa iudicium de moribus recentior ætas, Hebræis, Græcis, Romanis, è quorum legibus aut scriptoribus testimonia pro confirmando jure naturali petere solenne est. Intellige, non qui nunc sunt, sed sub initiis, per quæ creverunt, & ut sub vigore fortunæ ante illum per vitia deperditum vixerunt. De Hebræis Sacer Codex testis est, quantum legibus moribusque præ omnibus gentibus præcelluerint, quamque ab his istarum felicitas ea de causa deprædicata fuerit. Nec cum ratione negabit quisquam, ut primitus Deus ex jure antea cordibus inscripto, sed per naturæ depravationem corrupto, deperdita per leges suas inter Hebræos reparare voluit, sic ab iis naturalis juris non posse non existere optimum argumentum. Rempubl. Hebraicam DEUS ipsemet fecit, tum officinam divinarum patefactionum, tum Academiam & scholam, ex qua informatio de divina voluntate ad omnes prodiret. Paulus ad illud respicit *ad Roman. 3.* quando scribit Israelitis *La Laguna* *78* *82* concredita fuisse. Apud quos Bibliotheca divina veluti deposita & asservata fuit, qua omnes

mnes populi uterentur, sicut Augustinus scribit: *Quid est Gens Judæa, nisi quædam scriniaria Christianorum, bajulans Legem & Prophetas, ad testimonium assertionis Ecclesie: sedem ejus Deus collocavit in Hierosolymis, sicut David de eo prædicat Psalm. 122. v. 3. Jerusalem edificata est, ut civitas, in hunc finem, ut ibi conveniatur simul, illuc ascenderunt tribus, tribus Domini, ut ibi predicaretur testimonium sive verbum Domini Israeli.* Vaticinatus de eo per Prophetam Esaiam, quod lex exibat in orbem terrarum è Zion, hoc est ex Republ. Hebræorum, cujus Regia fuit in monte isto. Observant & applicant huc aliqui, quod Jerusalem in medio Ἰησ οὐρανίου sita fuerit, ut ex centro in totum orbem commode propalaretur. Haud frustra Deus non modo suum populum, sed alias quoque gentes ad discendum custodiendumque legem suam vocat, incitat, hortatur. Et apud hos talium veneratio fuit. Cujus plurima existunt argumenta. Testatur Josephus, inter Syros, Chaldeos, Phœnices, sacras Literas noscendi studium, Testimonium amplissimum est Ptolomæi circa versionem per LXX. interpretes faciendam studium & propositum. Admirati & æmulati sunt illorum politiam alii populi. Divina quippe penes illos omnia erant. Joseph. antiq. Histor. lib. 16. *Moribus gens nulla est, quæ iidem tota utatur, sæpe oppidatim discrepatur plurimum. At jus ipsum omnibus æqualiter hominibus expedit tam barbaris utile quam Græcis, cujus quidem rationem habentes maximam, quæ apud nos sunt leges faciunt nos, eas pure modo observemus cunctis hominibus benevolus & amicus. Talia sunt quæ exigi à legibus par est, neque illas aversari & à se alienas arbitrari debent alii, in eo quod institutis differunt, sed id potius spectandum, an ad virtutum ac probitatem sint accommodata.* Hoc enim ad omnes communiter pertinet, solumque per se sufficit ad tutandam

dam hominum vitam. Græciam humanitatis ac bonarum artium Gymnasium vocat Lactantius. De Roma & Italia Plinius lib. 2. cap. 5. *Nomine Dæum electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, rituumq; molliret, & tot populorum discordes ferarq; linguas sermonis commercio contraheret, ad colloquia & humanitatem homini daret; breviterq; una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Zonaras ad Canon. & constitut. Apostol. lib. 7. c. 27. ait; *DEum elegisse Romanos, ut per eos justitia sua orbi terrarum luceret & splenderet.* Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 21. *Per populum Romanum placuit DEO terrarum orbem debellare, ut in unam societatem reipubl. Legumq; perductum longe lateq; pacaret.* Inde ab Imp. Justiniano, *Novell. 9. pr. Roma legum patria, in Capitularibus Imp. Ludovici, legum omnium mater vocatur.* Claudianus de laudib. Stilicon. lib. 3. *Armorum, legumq; parens, quæ fundit in omnes Imperium, primiq; dedit cunabula juris.* Magnum de probitate morum & legum inter illas gentes argumentum est, ex consono judicio. Pleraque ab Hebræis Ægyptii, ab his Græci assumpsere, ab his Romani petiere. Quod si in singulorum examen cogitationes demiseris, concordem in jus idem conspersionem deprehendes. Pro istarum gentium gloria & juris inter illos concordia, adeoque juris communis testimonio, multum faciet collatio legum in diversis licet regendi & obsequendi formis communium. Inspicito L.L. Duodecim Tabularum, à Græcis petitas esse constat, at cum divinis consonare, aut non multum differre, cum expendis, reperies. Est & alia istorum populorum prærogativa, quod ab iis non artes modo & disciplinas, sed cultum humaniorum consuetudinum, ad cæteras gentes devenisse; progressum rerum investiganti appareat.

In-

Inde illarum gentium instituta maximi apud omnes æstimantur, apud plerosque imitatione perennant. Egregium etiam de istis judicii documentum est, ex usu Hebrææ, Græcæ & Latinæ lingvæ. Quæ non modo scripta sapientum putantur utiliora, sed & communicandi inter diversarum lingvarum populos subsistit, viget & exercetur intermediatio.

X. Præsertim ad testimonia de gentium jure naturali advocantur Romanorum leges, in corpore Juris, Imp. Justiniani jussu, studio & autoritate consarcinatæ. Et ipsæ frequentissimam ejus mentionem faciunt, in eodem sua fundant, ad rationem naturalem deducunt. Idcirco Christophorus Thuanus, Senatus Parisiensis Præses, in consuetud. Melodun. tit. des successions, *jus Romanorum rationem scriptam* vocat. Jason & Baldus præclari Jcti, in suis scriptis sæpius monent, *Leges Romanas ut rationem naturalem omnibus imperare*. Magnam juri Justiniano fidem atque autoritatem, præterea & argumenti pro jure gentium naturali robur, conciliavit, consensus isto utentium populorum. Non quod Imperii jure leges præscribit, sed quod æquitatis commendatione receptionem meruit, Omnes fere Europæ gentes, quod suis deest legibus, ex Romanarum ratione suppleant, quod dubium inde resolvunt, obscura interpretantur, ut Carolus Molinæus, Galliæ insignis Jctus ad Consuetud. Parisiens. tit. des fiefs. n. 110. scripserit: *Jus Romanum tam æquum esse & rationi consentaneum, ut omnium fere Christianarum gentium usu & approbatione commune sit effectum*. Simile dictum legitur Vigilii Qvichemi: *Nunquam magis floruit jurisprudentiæ studium, quam apud Romanos, unde ad alias gentes & provincias magno omnium mortalium consensu & applausu dimanavit*. Nolo jam omnium Europæ populorum de illis legibus opinio-

L

nem.

nem, inde receptum usum & auctoritatem congerere. Prolixius id fecit nuper edito scripto Arthurus Dück, Angliæ Jctus, quo luculenter expressit verum esse, quod Damhouderius in prax. rer. Civil. cap. 12. habet: *Jus Romanum, licet primo Romanis eorumq; subditis scriptum fuerit, tamen ob ipsius excellentiam, aequitatem & utilitatem alia nationes illud amplexa sunt, unde commune jus & universale merito dicitur.* Refert Belluga, Jctus Hispanus in spec. Principum, Rubr. II. §. his igitur, num. 3. *Cum in foro Regni Valentia permissum non esset, Advocatis alias allegare leges, quam consuetudines Regni, & his deficientibus jus naturale, ex illa ratione, quod, alia gentes sic censerent, & illud nullibi magis reperiretur, quam in Romanis legibus, licuisse allegare textus Pandectarum & constitutiones Imperatorum.* Turcas quoque magni facere Codicem Justinianum, & in causis decidendis adhibere, refert Joh. Leunclavius in *Paratitl. jur. antiq. in Prolegom.* Judæis, etsi omnia Christianorum sunt execranda, tamen sic placent Romanæ leges, ut deficiente lege Mosaica, pro controversiarum decisione, ad eas recurrant, uti *Antonius de Butrio ad cap. 1. de Sponsalib. memorat.* Per istas observamus reliquias & umbram aliquam Romani Imperii, velut ultimæ Monarchiæ, ex qua, post divisa mundi regna, istius olim partes, hoc saltem superest, quod cæteræ nationes jus ejus venerantur. De quo Ludovicus Servin. in caus. Testam. de Lavall. scribit: *Per leges suas Romani facti sunt Domini, non Gallia tantum, sed & orbis terrarum, qua per mille quingentos annos observata fuerunt, cum ea veneratione, ut horridum videatur eas violare, & licet multa gentes excusserunt jugum Romane servitutis, leges tamen earum ita justas & sanctas existimant, ut eas adhuc observent.* Inest his ipsis non leve argumentum pietatis, pro istis legibus.

præ-

præsertim DEO placere illarum cultum, cui non modo tam multa præclara ingenia vocante DEO devota per aliquot secula omnem operam dicarunt, sed etiam humanitatis, justitiæ, æqvitatís studiosi populi Christiani assensu & studio tantum tribuunt; ut tam sanctè custoditi, & adhuc apud omnes, qui rationem colunt venerabilis depositi, aliquam divinam gratiam esse non immerito putemus. Abusum quidem varium reperimus. At quid mirum, cum idem contingat Divino verbo? Ex hominum erroribus & vitiis id nascitur, quia apud æquos censes non sufficiunt, ad rem ipsam improbandam. Erratur etiam non infrequenter in eo, quod ex Romanis legibus ad probandum vel confirmandum jus naturale adhibetur. Non omnis harum tenor ad jus naturale spectat. Multa habet ex civilibus inventis atque moribus, olim Romanæ urbi propriis, postea ex mutatione cum reliquo jure ad alios populos atque civitates translatis: Quæ primo diligenter dignoscenda atque distingvenda sunt, ut parum considerate sit à multis, qui sine discrimine omnia aut naturali juri tribuunt, aut in ejus argumentum assumunt. Incongruè, quia civilia instituta ab istius simplicitate plerumque discedunt, addendo vel demendo. Deinde etsi in Romanis legibus frequens sit, etiam his quæ civitas invenit & recepit, applicare juris naturalis præcepta ac rationis communis dictamen, est tamen sæpius & civilis ratio, quæ persuasit inventum & ex se coli exigit. Unde in istis legibus utriusque frequens est mentio, quam confundere non oportet. Quod fiet, si non exactè discernitur, quid pro mero civitatis usu seu commodo, & quid ex dictamine naturalis rationis justum redditum est. Tertio, quæ hujus ad civilia instituta est applicatio, seducit non raro ad tribuendum naturale jus.

quæ ejus minimè sunt. Ad quem errorem devitandum necesse est, materiam, de qua jus statuitur, & jus ipsum, deinde in hoc, quod ex materiæ natura sumitur, & quod ex communi ratione hominum subest vel additur, discernere Quod quomodo attendendum, prolixius deinde in specialibus plenius apparebit.

XI. Non parum populorum judiciis atque moribus in censura de jure naturali tribuendum est Ex studio virtutis atque laudis, quo boni & laudabiles videri voluerunt, eminet demonstratio justit. Ut vero sunt illi antiquiores, sic fidem merebuntur ampliorem. Primi hominum, ut, quemadmodum Seneca loquitur, à Diis recentes fuere, certius indicant rationis usum rectiorem. Ideoque naturalis juris ex istis argumentum verosimilius. Nemo dubitat saniora esse exempla mundi nondum effecti. Secula primæva integritati propiora minus ab illa discessere, quam sub incremente cum ævo malitia. Seneca Epist. 90. *Primi mortalium, quidq; ex his geniti, naturam incorrupti sequebantur, eandem habebant & ducem & legem commissis melioris arbitrio.* Post antiquiores mortalium, leviori errore Europæorum mores naturali juri convenientiores censemus, velut cæteris hodiè humaniores magisque bonis literis deditos studiisque cultos. Occupavit ferè reliquam mundi partem barbaries, & quæ olim, doctrinam & exempla virtutum præbuit, conjecta velut in profundum inscitæ parum humani ostendit.

XII. Assumitur porro ad confirmationem probationemque hujus juris veterum Philosophorum & scriptorum autoritas. Intellexere etiam hi per rationis ductum, quantum rectitudinis per naturam homo acceperit, quomodo sua pravitate corrumpatur, quamque nihil præstantius ipsi ad innocentiam & salutem contingere possit, quam ad naturæ integritatem redire

redire atq; vivere. Hoc scriptis suis commendant & informant. Ideo dum præcipuū illorum studium contēdit ad vitam naturæ conformandam, non potuerunt non hujus principia investigare diligentius, & quæ iis consecraria, explicare accuratius, ducem eandem sequentes, quam sequenda ubiq; monent. Justinus in Apologetico priore : *Non plane aliena sunt Platonis dogmata à Christi dogmatibus, nec planè conveniunt, ut nec aliorum dogmata, puta Stoicorum, Poetarum & Historiarum scriptorum. Eorum enim quisq; ab insita ratione id, quod ei consensuum est, ex parte videns, eatenus recte dixit.* Augustinus Epist. 202. *Mores illi, quos Cicero Philosophiq; alii commendant, in Ecclesiis toto orbe crescentibus docentur atq; discuntur.* Lactantius lib. 7. cap. 7. ait: *nullam sectam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quæ impiam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero, & totam veritatem, & omne divina religionis arcanum Philosophos attigisse, sed aliis refellentibus defendere id, quod invenerunt, nequivisse, quia singulis ratio non quadravit.* Excellent inter illos aliqui, ut cæteris majorem de naturæ dictatu mereantur fidem. Inter Græcos Socrates, Plato & Aristoteles, ut justitiæ communi exponendæ intentiores, sic auctoritatem insignem præstant. Inter Latinos Cicerone nemo potior. Ex Italicis Philosophis Pythagoras chorum ducit, in cujus schola naturæ leges indagasse è præcipuis studiis fuit. Unde ex illâ optimi Legislatorum veterum prodierunt, ut Charondas, Zaleucus, Timaratus, Aristocrates, Thextetus, Phytius, & qui Pythagorei fuerunt. Omnibus vero è Philosophis naturalium in moralibus scrutatores præcipui habentur Stoici, quos proximè ad Pharisæicam doctrinam, quæ legi morali divinitus traditæ astricta erat, accessisse scribit Josephus in vit. sua. Laudat eorum sectam Lipsius in *manud. ad Stoic.*

Philos. dissert. 17. quod proxime ad Christianam doctrinam & pietatem adducit. Inde Justinus *Apolog.* 1. scribit. *Stoicos in morali parte fuisse egregios; Et Hieronymus ad cap. 10. Esaia testatur, illos sua dignitati in plerisque concordare.* At non sine iudicio iis scriptoribus, qui solam rationem ducem habuerunt, fides haberi potest. Nullus unquam tanta perfectione felicitateque potitus, ut non experiretur rationis tenebras, & virium naturalium imbecillitatem, quin sapius illos in eo scrutinio titubare, aliquando & errare contigerit. Quare quisquam illorum non scripsit, qui non in aliquo à naturalibus præceptis aberrasseprehenditur. Exinde inter illos non eadem sententiæ. In quot sectas abierunt veteres Philosophi? quomodo per istas distracta est Philosophia? Quævis secta quot opinionum disidiis & disputationum ambiguis turbatur? Inter hæc multa incerta, & contrariis sententiis tradita, nisi aliunde ex certioribus principiis atque regulis examinata, non possunt facere ad juris certitudinem. Rectè Tertullianus *in lib. de Anima cap. 2. fietiam ad ipsos prophetas*, inquit, *adisse credibile est, indagatorem quemque sapientia ex negotio curiositatis, tamen plus diversitatis invenias inter Philosophos, quam societatis, cum & in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur. Siquidem vera quaque & consonantia Prophetis, aut aliunde commendant, aut aliorum subornant, cum maxima injuria veritatis, quam efficiunt, aut adjuvari falsis, aut patrocinari. Vel ex hoc solo constat, & quam ex istis per se juris naturalis non sit sufficiens argumentum, sed aliunde ejus censuram esse petendam, & ipsorummet scripta aliunde, & quidem ex natura ejusque ducere ratione, esse censenda. Senecam præceptorem in his sequimur de vit. beat. cap. 3. Non alligome ad unum aliquem ex Stoicis proceribus: Est & mihi cen-*
sen-

sendi jus, itaq; aliquem sequar, aliquem jubebo sententiam dividere. Fortasse & post omnes citatus, nihil improbabo, ex his quæ priores decreverint, & dicam, hoc amplius censeo. Idem monet Clemens Alexandrin. Strom. 1. nihil magis cavendum dicens, quàm ut veterum Philosophorum sectæ uni semet quisquam addicat. Simile pulchrum habet scribens, καθάπερ καὶ τῶν κερῶν ἢ πᾶν ἐδώδιμον, nec nucum totum comedendum est. Ex singulis legenda & tenenda, quæ maxime conveniunt. Optima est ea Philosophia, quæ dicitur ἐκλεκτικὴ, eligens & congerens ex sectarum cæterarum sententiis rationi convenientiora. Qui illam sequebantur, olim sectæ nomen peculiare acceperunt, à Festo Pompejo *Miscelliones* dicti, quod non ut cæteri certæ sententiæ, sed variorum mixtorumque judiciorum essent. Eam primo professus est, Potamo Alexandrinus, qui Augusti & Tiberii temporibus vixit, de quo Diog. Laertius in præfat. quod selegit, quæ sibi placere de singulis Philosophorum sectis. Multos habuit sectatores, & antea eam electionem sapientes prætulere. Plato, etsi Academiæ suæ leges astrictè vellet coli, non tamen quæmquam astrictum certi auctoris sententiæ, in *Charmide*: Omnino non quis dixerit, sed quam rectè dicatur, considerandum. Cicero lib. 1. de *Natur. Deor.* Æquum libero judicio nulla ejusmodi astrictum necessitate, ut velit nolit sit certæ quadam tuenda sententia: & in eod. libr. Non tam auctores in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt: Quin etiam obest plerumq; iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere. Id habent natum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, se quid affirmarent in disputando, cum ex eis quæretur:

Quare ita esset, respondere solitas, Ipse dixit: Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio prejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. Est similis suscitatio proprii judicii, cum adhortatione, conjuncta, apud Lactantium lib. 11. Institut. Divinar. Quare oportet in eare maximè, in qua vita ratio versatur, sibi quemq; confidere, suq; judicio, ac propriis sensibus niti, ad investigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus DEUS pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quosq; antecesserunt: quia si omnib; aequaliter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est, tanquam lux, & claritas solis. Quia ut sol ocularum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est veritatè querere, omnib; sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui, sine ullo judicio, inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur; aut illi despiciant, quia majores nominantur. Sed quanto præstantius omni secta est, hoc philosophandi genus, & ad deprehendendos naturæ recessus, circa quos nemo non philosophantium in aliquo falsus fuit aptius; tanto difficilius & accuratioris judicii, simplicissimæque à mundi perversitatibus abstractæ mentis magis indigens. Ingenii aciem judicii que excellentiam is labor exigit. Qua destituti dum suscipere voluerunt, multos in sanam philosophiam, etiam moralem, errores absurditatesque invexerunt, quam suæ inertæ proditores, tam alienæ sæpius seductores. Tutius inter tot sectas atque in electione ex iis saniorum versabimur, si quod juris naturalis esse credendum; cum natura, & quid exa-

rationi

rationi semet solidius insinuat, conferimus, & qvo unum quodque isti propius, tanto justius veriusque esse colligimus. Id Senecæ supra allegato cap. 3. de vita beata consilium est, hæc verba adjiciens: *Interim quod inter omnes Stoicos convenit, rerum Natura assentior, ab illa non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari, sapientia est.*

XIII. Decurrunt plurimi, pro explorandis juris naturalis præceptis, ad societatis humanæ propria aut necessaria. Sic quidem res se habet, ut *cap. seq.* videbimus, hominem natura esse animal societatis amans, ejusque curæ & custodiæ deditum, ideoque pertinere ad naturalia dictamina, quod isti conciliandæ, sustinendæ atque conservandæ necessarium; sed ut ea sola sint istius juris, nec istud aliud, quam ut ad societatem refertur, nec alia præter hanc istius nota, vero non convenit. Societate quippe illa istud antiquius est, nec huic saltem conditum, sed morum ubiq; & extra illam servandæ honestati atque innocentiz: Ideo & multo latius. Plures virtutes exigit, quam quibus eget societas. Quas inanes faciet, qui dicet, non aliud istius juris, quam quod sociali vitæ convenit. Ad hanc quidem ducunt naturæ principia, & cum duxerunt informant, at minime isti unice addita media sunt, ideo ut societatem formandi, sic illi applicandi arbitrio relicta. Unde si societatis saltem esset jus naturale, fieret mere voluntarium, arbitrarium atque mutabile. Quod naturæ præceptis contrarium. Societas incitamentum & regulam ex his habet, non hæc causam aut principia ex societate, sicut etiam superius, de fine naturalis juris, *in cap. præcedente* expositum reperies. Ex quibus respice, quam stricta nimis juris naturalis consideratio erit, quæ tantum ex societatis proprietatibus ac conditione sumi-

tur. Sic quidem concludere licet: pro societate hominum naturali necessaria esse justa; Ei contraria injusta: At ea sola esse justa aut injusta, ultra hæc non alia, absurde dicitur, ideo nec congrue, pro societatis cultu solo jus datum. Citra quem multa fiunt contra naturam, erga DEUM impiè, in se turpiter, & cum aliis illicitè judicia juris istius, sed non societatis. Expende ex his juxta, an juris istius fundamentum in socialitate (ut aliqui loqui amant) ponendum sit? Hoc querendum non in eo, quod jure regitur, sed quod regulam facit, cui cum socialia sint applicanda, aliud esse oportet præter ea, in quo juris ratio consistat. Nam & ipsa socialitas secundum jus divinitus formata est, legesque naturales accepit, non ipsa facta jus aut juris regula. Etsi ut pleraque ejus à posteriori noscimus per ista, quæ natura juxta sibi inditam inclinationem edidit opera, & inter hæc est societatis amor & studium, atque inde argumentum juris naturalis, ab eo frequens & necessarium: Non magis tamen in eâ ipsum jus collocare possumus, quam in cæteris, quæ juxta naturam insunt vel fiunt, orta illa ex & pro jure, seu secundum jus, fontemque suum ut rivuli indicant, non fons ipse sunt. Discernenda sunt, unde cognoscitur, & unde existit.

XIV. Non minus aberrant, qui ex utilitate generis humani vel singulorum notas juris naturalis sumunt. Hoc est utilitati submittere jus. Quod quam à naturâ & ratione alienum sit, etiam *priori capite* vidimus. Haud valet ea consequentia, naturâ sic injustum, quia ad societatem vitamque utile est. Nam non modo hoc, sed & honestum & turpe natura discernit & constituit. Ut autem in civitate utile sequamur, id gentium alio jure effectum est. Quo primævum jus naturæ ita superius, ut nihil utile haberi debeat,

debeat, nisi quod etiam honestum sit. Honestas ante utilitatem non tantum ordine, sed & tempore. Postquam illam natura mentibus indidit, demum hanc gentes pro justitia & quiete scrutari & procurare coeperunt.

XV. Multi de eo jure judicii regulam velut unicam locant in legibus, & præceptis genti Hebrææ olim publicatis, postea ad omnes populos prædicatione Evangelica translatis. Exinde & veteres Philosophos hausisse sapientiæ meliora principia, creditum à pluribus. Tertullianus Apologet. cap. 47. *Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde Philosophi sitim ingenii sui irrigarunt.* Alexandrinus inde in Strom. 1. 5. & 6. *Græcorum Philosophos fures dicit, quod à Mose & Prophetis præcipua sua dogmata satis ingrati & beneficii immemores acceperant.* Ex eo observata est convenientia Hebræorum doctrinæ & Naturæ. Sicut Megasthenes, Scriptor vetustissimus apud Eusebium, *Præparat. Evangel. lib. 9. cap. 6.* dixisse refertur: *Quidquid ab antiquis de Natura dictum est, etiam docetur ab eis, qui extra Graciam philosophantur, velut apud Indos à Brachmanis, atq; in Syria à Judæis.* Quia autem Judæis primum revelata DEI lex, inde in ejus velut proprietatis possessionem pervenerunt, ipsis ut propriam & inde simul præceteris Philosophia gloriam tribuerunt veteres, sicut eos faciunt philosophorum primos, & velut peculiarem eorum sectam, ut ex pluribus locis observare liquet. Ex quæis hac vice memoro Aristotelis dictum, quod retulit Clearchus apud Josephum lib. 1. contr. Appion. *Sunt hi, de Judæis loquens, philosophorum, qui apud Indos claruere propago. Nuncupantur autem, ut fama est, Philosophi apud Indos Callani, sed apud Syros Judæi, à loco nomen sortiti.* Recenset etiam Eusebius, dicto loco

co aliquod oraculum Apollinis, in quo habetur: *Solos Chaldaos atq; Ebraos sapientiam sortitos esse, aeternum numen venerantes.* Ex quo etiam ἀριζήτης vocat, tanquam sapientiae fama celebres. Reperimus porro in veterum scriptis non pauca vestigia, haustae per praestantissimos Philosophorum ab Hebraeis sapientiae. De Pythagora Flavius Josephus contra Appion. lib. 1. scribit: *Plane non solum novit disciplinam nostram, sed & ejusdem cupide multa est amplexus, multa eorum, quae Judaeis recepta sunt, in suam transtulit Philosophiam.* Simile legitur dictum Aristobuli, Judaei Aegyptiensis, qui Ptolomaei Philometoris fuit magister, apud Clementem Alexandrinum Strom. 1. *Multa quae in nostra sunt disciplina, in secta sua dogmata transtulit.* A Judaeis Pythagoram suam Philosophiam ad Graecos pertulisse, diligens vitae Pythagoricae Praeceptor Hermippus scripsit, uti refert Origenes advers. Celsum lib. 1. *Platonica sapientia precipua ad eundem fontem referunt.* Aristobulus jam allegatus apud Clementem Alexandrinum dicit. Strom 1. de Platone dicit: *Leges & statuta nostra sectatus est, a quo etiam partes eorum singulas curiose & diligenter inspectas & excussas esse constat.* Numenius Pythagoricus, ut refert Hesychius illustr. in Numen. perstrinxit Platonem, quod ea quae de DEO & mundo tradidit, ex Mosis libris velut plagio surriperit, cui adjicit, ἢ γὰρ ὅτι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀτήμιζον, *quid aliud est Plato, quam Moses, Attica lingua loquens?* D. Ambrosius ad Psalm 118. scribit: *Platonem eruditionis gratia in Aegyptum esse profectum, ut Mosis gesta, legis oracula & Prophetarum dicta cognosceret.* Theodoretus lib. 2. & 6. *Platonem ex Ebraicis fluentis plura hausisse, quacumq; pie de DEO ejusq; cultu dixit, ex Ebraica Theologia surripuisse asserit.* Similia de Aristotele Peripateticae Philosophiae autore legimus. Praenomina-

tus

tus Aristobulus ejusdem sectator, *apud Clement. Alexandrin. Strom. 5.* de ista testatur, ex lege Mosaica & aliis pendere Prophetas. Scribunt veteres, Aristotelem assidue cum Judæo quodam versatum ab eo multa ex divinis legibus hausisse, plura didicisse, quam communicasse. Traditur etiam, ipsum à Simeone Justo Pontifice monitum, plures à divino verbo alienas sententias mutasse, & sub extremis in alium plane hominem migrasse, inde moribundum de pœnis & præmiis, tum de immortalitate animæ discipulos multa docuisse. Senecæ cum D. Apostolo Paulo conversatio, & ex hac multa è divinis isti revelata inde inter sententias relata esse refertur. Johannes Salisberiensis lib. 8. Polycrat. cap. 13. *Decipere videntur, qui non venerantur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat.* Literis inter eos quædam acta narrantur, & ostenduntur hodie in Bibliothecis Epistolæ Senecæ, ad Paulum scriptæ, ut & hujus ad illum; sed quas fictas esse stylus prodit, nec antiquitas, si aliquos Patrum exceperis, credidit. Fuisse tamen quasdam, sed alias putant. Eo majoris tamen scripta illius facienda sunt, quod à Christiana disciplina proximè abeunt. Otto Frisingensis dixit: *L. Senecam non tam Philosophum, quam Christianum fuisse.* Alios Philosophos, utut à Christiana religione alienos; tamen ex doctrina Christianorum scriptorum multum hausisse, per ea quæ traderunt isti consona, constat. Sicut de legibus scribitur, eas ad Ægyptios, Græcos & Romanos, velut per traducem ab Hebræis pervenisse, ita & de Philosophia præsertim morali non absone idem creditur. Superfunt reliquæ veterum scriptorum, etiam paganorum, qui Hebræis seu Judæis Philosophici studii & culturæ sapienter philosophiæ magnam laudem tribuunt, uti pluribus refert & docet *Seldenus de Jur. Nat. & gent.*

juxta

juxta Disciplin. Ebraeor. lib. 1. cap. 2. Dubium haud est, si extarent vel scripta ab Ebraeis edita, vel per antiquos Philosophos de illorum doctrina tradita, ut alia multa, sic & doctrinae moralis ex naturalibus fontibus disciplinam inde totam hauriendam esse, tanto melius solidiusque, quam praeter aliis in meliore luce versati, divinae manuductionis gratia feliciter didicerunt. Ita etiam de iis alios censuisse, argumento est sapientiae eorum admiratio, & ab ipsis docta hauriendi cupido. Nominantur apud scriptores, qui totam Philosophiam Ebraicam, ut & jus universale scrutati & commentati Graecis codicibus composuerunt, Eupolenius, Artapanus, Alexander Cornelius Polihystor, Heculæus Abderita, Demetrius, Aristobulus, Justus Tiberiensis & alii. Verum temporum injuria scripta deleuit, sola nomina nobis reliquit. Non sunt ex Judæis scriptoribus ingenii monumentorum reliquiae, quam ex libris Josephi, qui Hierosolymitanus, & Philo, qui Alexandrinus Judæus fuit. Paucæ horum ad moralia, pauciora ad naturalis juris regulas pertinent. Aliqua tamen præbent non contemnenda, uti docebit sequens allegatio. Proficiunt vero in illud argumentum, Philosophiam etiam Ebraeis cordi fuisse. Duo sunt reliqua, ex quibus ducenda juris, si inde haberi possit, notitia, sacer Codex & libri Thalmudici. Horum plerique tradunt, quæ ad istud pertinent & moralem doctrinam non parum instruunt. Nec aberrabit, qui aliquid iis in talibus à Sacro dogmate non alienis tribuerit. Habent, quæ alibi non ita traduntur, & quæ ad sacrorum intellectum valde faciunt, quod in supra allegato tractatu doctissimus & istorum scientissimus Seldenus docet. At, nec quæ suggerunt absolutam doctrinam præbent, nec quæ exprimunt omnia pariter vera, accurata & rationi aut Christianismo congrua sunt, magnus

gnus eorum defectus, multiplex error, nec omnium de iis dexterum iudicium, quæ non sinunt eam auctoritatem, naturaliter moralia ex iis statuendi. Cardinales Inquisitores Reipubl. Christianæ generales, sub Julio Pontifice Maximo, declararunt in corpore Thalmudico, adversus naturæ & honestatis leges, ea concedi, quæ humanæ aures audire perhorrescunt. Hic & alii Pontifices ideo plane libros ad flammam damnarunt. Alii vero tolerarunt: sed si ex vitio scribentis vel erroribus damnandus liber, quam pauci consistent. Sufficiet, aliqua ex iis ad doctrinam proficua hauriri posse. Qveis uti fas erit, dummodo cæteris non abutamur. Hoc autem addo, ad moralem disciplinam tantum aliqua conferre, solos haud sufficere, nec etiam auctoritatem plenam ultra rationis manifesta obtinere. Quæ longe major est sacri Codicis. Accedens sacris eloquiis sapientum, etiam gentilium consensus, non parum corroborat opinionem, nihil naturali jure istis esse convenientius, idcirco propius ejus intellectum nullibi peti posse. Quod qui principia naturalia sollicitè scrutati sunt, tam facilem assensum iis præbuerunt, sectati & admirati, inde sapientiam ejusque præcepta construxerunt, ut exemplo sic argumento est non levi, quam ad fontes istos recurrendum sit, è natura meram rectitudinem requiruntibus. Etsi vero recte infertur, nihil ex præceptis divinis juri naturali, quod Deus cordibus humanis inscriptum perpetuum & immutabile esse voluit, repugnare, cum qui nunquã injustus esse potest, in quo justitia substantiam, quã hominem collocavit, mutationem voluisse non præsumatur; contra tamen, quidquid sacro verbo præcipitur vel vetatur, juris esse naturalis non recte assertitur. Inde syllogismus ille de tenore sacrorum eloquiorum ad jus naturale plane universalis atque necessarius non

non est. Multa enim juris divini sunt, quæ non ex natura semel conditæ necessitate, quæ naturale jus proprie ita dictum efficit, sed ex DEI libera voluntate profecta sunt. Præcepit plurima, quæ naturaliter non debita. Ipse velut auctor naturæ, qui supra naturam agit libere, legesque præscribendi liberrima potestate excelsit, etiam de rebus, quæ naturâ sua liberæ indefinitæque sunt, non pauca genti suæ injunxit. Aliqua ex his, quæ natura decora sunt, sed non præcepta, debita fecit. Quæ tamen non ex naturali sed voluntario jure divino oriuntur, soloque voluntatis divinæ judicio, non ex naturæ principiis, à quibus aliquando deviant, censentur. Sunt præterea in sacris libris non in universum homini, sed uni populo Hebræo præscripta, vel ad reipubl. statum & regimen politicum, vel ad formandas sacrorum ceremonias, vel ad forensium negotiorum ordinem, quæ leges gentis civiles dicimus. Non adeo in proclivi est justa discernere & definire, quid, in jure isto sacro divinitus condito, sit legis naturalis, quid voluntariæ post conditam naturam divinæ constitutionis: Quid porro ex hac ad moralia, quæ probe formandis multa in leges à DEO redacta & utut congenita in tabulis & chartis repetita sunt, quid ad ritualia & politica seu civilia pertinet? Ut non frustra fuerit vetus monitum, quod inter constituta Apostolica *lib. 1. cap. 6.* refertur de veteris fœderis lectione: *Sit tibi ante oculos propositum, ut cognoscas, quid sit lex naturalis & quid Denterosis.* Quo vocabulo significantur, quæ Hebræis fuerunt in choro & foro singularia, aliis populis non communia. At cum nullibi facer codex indicet, quid cujusque sit, nec an à naturæ divina structura, an ex meris placitis voluntatis divinæ constituentur, nec ostendat illorum manifestum aliquod discrimen, aut hujus regulas quasdam tradat, difficult-

limum repertum est, invenire in singulis eam distinctio-
 nem. Remittunt nos multi ad tempora antidiluvia-
 na, & in iis homini imperata aut interdicta naturalis
 juris habent. Sed de alia sub iis lege nobis certo non
 constat, quam quæ in Paradiso primo homini fuit pu-
 blicata, de non comedendo ex arbore scientiæ boni &
 mali, quam naturalem nemo dixerit, etsi sub ea mul-
 ta naturalia monita fuerint, ad quæ restaratione homo
 ire debuit. Quæ præterea DEUS ex justo revelavit,
 admonita magis, quam constituta sunt. Arguunt ta-
 men, quid ad integritatem naturæ DEUS requirat. Plu-
 ra de justo videntur sumi posse, ex sanctorum virorum
 exemplis. At nec ex his doctrina manifesta & satis
 certa: ipsa facta in disquisitiones de eorum ratione at-
 que jure incidunt. Ex traditionibus veterum exponi-
 tur, sex ante diluvium leges à DEO datas, quas Tertul-
 lianus advers. Judæos *cap. 2.* vocat *legem primordia-*
lem, & matricem omnium legum, istis additam deinde se-
ptimam. Et quia præscriptæ sunt Noacho ejusque po-
 steris, ut inde omne genus humanum progenitum, sic
 ei communes, adeoque illas ipsas esse putatur, quæ na-
 turalia & universalia hominum jura dicantur. Vo-
 cantur in priscis scriptis jus Noachidarum. Illa
 præcepta per Mosis leges, quantum illarum morale
 est, explicata & injuncta per Prophetas aliosque sacros
 scriptores declarata esse, Hebræi Doctores asserunt.
 In quo exponendo alii operam impenderunt, nostrum
 autem non versatur institutum. Hoc certius, quod DEUS
 rempubl. Hebream legibus formare & fundare medi-
 tatus, ante civiles ejus leges naturalis juris cultum se-
 vere mandavit, & ne ignorarent, Decalogo compre-
 hendit. Hunc istius compendium agnoscat, qui consi-
 derabit. Ex hoc præ cæteris certior istius regula est.
 Nihil habet, quod non istius est, & omnia istius ad ali-

M

quam

quam ejus legem referri queunt, sicut inde derivantur. Hujus demonstrationis studiosus reperitur Philippus Melanthon, in Philosophia morali.

XVI. Quando autem nihil non eorum, quæ ad demonstrationem Juris naturalis hæctenus adducta sunt; incidit in petitionem principii, nec aliam nisi ab autoritate fidem facit, eaque tamen fida non est, nisi ex ratione, sequitur in alio adhuc fonte indagandum esse jus naturale, & quidem tali, ex quo liquidum fiat, naturaliter unumquodque justum esse, & velut ex naturæ lege. Non potest autem aliud esse firmum atque ultimum ejus rei argumentum, quam quod ex natura ipsa desumitur, quæ legem sui facit. Qui itaque hanc nosse cupit, necesse habet ipsam naturam respicere & excutere. Hæc prima juris magistra est. Cicero lib. 1. de legib. *Nos legem bonam à mala, nulla alia nisi naturali normâ, dividere possumus. Nec solum jus & injuria à Natura dijudicantur, sed omnino omnia honesta & turpia. Nam & communis intelligentia nobis res notas efficit ea, quæ in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opinione existimare, non in natura posita, dementis est.* Pro indagine juris etiam usurpandum est, quod Musonius apud Stobæum Sermon. 114. de naturalibus plenius probat: *Unicujusque naturam unumquodque ad suam virtutem ducere.* Albertus Bolognetus de jur. & æquitat. cap. 18. §. 6. scribit. *Generatim concludimus, Naturam ut aliis omnibus semper in rebus, ita in hoc maxime providam plenissimè illa omnia nobis suggestisse, quibus ad vitam justè, piè, & honestè degendam optimè instrui possimus. Quæ ut perfectè ac distinctè à nobis cognoscantur, sciendum est, bipartitam eorum rationem esse. Quædam enim sunt, quæ naturâ neque prohibentur, neque impediuntur, sed libero hominum arbitrio permittuntur, ita*

ut

ut possint homines libere decernere, quæ pro locis & temporibus sibi magis expedire judicaverint. Quædam vero sunt, quæ determinate, ut ita dicam, natura imperantur vel prohibentur, ita ut ejus imperii vel prohibitionis mutanda nulla hominibus facultas concessa sit. In illis quidem primis maximè inspicitur Utilitas, in his verò Honestas ac Justitia sola attenditur, solaq; hæc postrema sunt, quæ ipsi naturæ, præcipuo quodam jure tribui possunt. Eadem fuit veterum sapientum sententia, cum naturam præstantissimam vitæ ducem & sapientiæ lucem putarunt, ex qua profectum, ut nihil magis ad hanc commendarent, quam naturam sciscitare & sequi. Seneca de vit. beat. cap. 3. *Quod inter omnes Stoicos convenit rerum naturæ, assentior. Ab illa non decernere, & ad illius legem exemplumq; formari, sapientia est.* Adjungit definitionem beatæ vitæ, quod sit conveniens naturæ suæ. Idem Epistol. 5. *Propositum nostrum est, secundum naturam vivere.* Philo Judæus Libr. Περὶ Φυσεως, ex Stoicorum secta, in *Convenienti naturæ vitæ, finem omnium collocat: τὸ μὲν ἀκολούθῃ φύσεως ἦν εὐδαιμονίας, τέλος, εἶπον οἱ πρότεροι.* Consequenter naturæ vivere, *Felicitatis finem dixerunt prisca.* Cicero I. Academ. *Plato & omnis Academia nulla in re alia, nisi natura quærendum esse illud summum bonum, quo omnia referantur, dicebant.* Idem lib. I. de Legib. *Natura dæce errari nullo pacto potest.* Lib. de Senect. *hortatur naturam optimam ducem, tanquam DEum sequi eiq; parere.* Lucanus Lib. I.

- - - - hæc dari immortæ Catonis

Secta fuit, servare modum finemq; tenere

Naturamq; sequi.

Natura prima & summa lex est; Ad eam recurrere, sectura statio, secundum eam agere, optima ratio est. Chrysippus apud Laertium in Zenone: *Naturam sequi oportet, ni-*

hil eorum faciendo, quæ petat atq; abdicat. Communia illa lex, id est, reſtaratio, per omnia permeans: quæ ipsa est in Jove hoc, principe & reſtore omnium, quæ sunt. A sanctis viris ea juris regula approbata est. Hieronymus ad Demetriad. de Virginib. Nec illud parvum argumentum est, ad comprobandum natura bonum, quod primi illi homines per tot annorum spatia absq; ulla admonitione Legis fuerunt, non quia DEO creatura sua aliquando cura non fuerit, sed quia se talem sciebat fecisse, Natura ut eis pro lege, ad exercendam justitiam, sufficeret.

XVII. Receptâ verò licet ex consensu veterum & recentiorum Philosophorum ad magisterium juris Naturâ, concors tamen non est sententia, quid sit naturam sequi, & quomodo sequi deceat. Sicuti sententiarum diversitatem refert Stobæus in Eclogis: *Finem Zeno ita edidit, convenienter vivere, quod est secundum unam rationem concordem sibi vivere: quasi animalia variantia aut pugnantia infeliciter agant. At qui post secuti, expresse & distinctè magis extulerunt; Convenienter natura vivere: cum censerent minus quam pro re Zenonium illud dictum esse. Sane Cleanthes primus, cum ejus sectam locumq; suscepisset, adjecit, Natura. Chrysippus deinde hoc ipsum clarius volens reddere, ita extulit: Vivere secundum peritiam eorum, quæ natura eveniunt. Diogenes porrò reſtam rationem & judicium in eorum, quæ secundum Naturam sunt, electione aut rejectione. Archidemus deniq; Vivere omnia officia curantem.* Simpliciori via obtinetur, ductum naturæ sequendo, ac diligenter considerando, ad quod ex se in moralibus ducat, unde nos cohibeat. Quocirca jus naturale quærendū in convenientia vel inconvenientia cum natura, quam optimâ & quidē solam ejus indicē ponimus. Cætera quæ superius dicta, & si quæ alia sunt, hujus adjumenta & velut indicia habemus, ad istam primâ nos ducentia aut

aut judicium, quod ex principiis naturæ derivamus, conformantia. Theologi, qui intentius ista scrutantur, quando inquirunt, quæ legum, quas Sacer Codex Hebræo populo datas memorat, ad naturale jus referenda sint, optima ratione duo *κενόμενα* moralium legum ponunt, ex quibus statuendum sit, quæ constituit; an mere forensia & ceremonialia, an & moralia sint. Primum in convenientia cum notitiis naturalibus concreatis & cordi inditis: Alterum ex communicatione cum aliis gentibus; quæ colligitur tum ex dictis scripturæ, quæ de iis ad alios quoque populos porriguntur, ut nonnulla illarum Prophetæ aliis etiam gentibus injungunt, aut ob non servata divinam humanamque vindictam interminantur: tum ex repetitione vel explicatione in Novo Testamento, omnibus gentibus communi. Ex quo stat sententia, in eo scripta ad omnes gentes, quibus prædicari debuerunt, pertinere. Utcunque autem hæc, ita præ rectaque ratione traduntur, sicque se verè habent, tamen inde apparet, quæ præter Decalogum, & alia manifestè moralia in sacris literis habentur, cum quæritur de juris naturalis argumento, aliis argumentis indigere, nec adeo certa nec propinqua ejusdem *ἀμδία* existere, per ratiocinationem apprehendendæ *ἔσσε*.

XVIII. Naturam authentic accipe, non ut per corruptam progeniem & improbos mores nunc depravata est, sed quæ primitus concreata est integra ac incorrupta. Intellexere & gentiles, istam multum descivisse à primævo statu, Cicero lib. i. de Legib. *Iustos quidem natura nos esse factos, tantam autem esse corruptelam male consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à Natura dati, exorianturque & confirmantur vitia contraria.* Simul & deprehenderunt, quam nullus sit ad naturæ integritatem homini reditus. Fabius

lib. 12. *Querentibus, an talis orator fuerit? respondebo, quomodo Stoici sic interrogentur: An sapiens Zeno, an Cleanthes, an Chrysippus? ipsi respondeant, magnos quidem illos ac venerabiles, non tamen id, quod Natura hominis summum habet, consecutos. Exinde & creditum, Philosophiam veram ac perfectam non licere assequi, ideo nec quem fieri exacte sapientem. Cicero in Lat. Stoici eam sapientiam interpretantur, quam adhuc nemo mortalis est consecutus. Plutarchus de Pugn. Stoie. sic loquitur de sapiente: Ἔτι δε ἔστ' ὁ ἰδαμὸς γῆς, ἰδὲ γέροντων. Est vero nusquam terrarum, neque fuit. Plato in Phæd. scribit: Eum qui vere philosophatur, censere nusquam aut nunquam puram sapientiam, quam apud inferos consecuturum. Haud tamen eo minus decet scrutari naturæ incorruptæ leges. Multum refert nosse, unde descivimus. Decet etiam contendere vicissim, unde dilapsi sumus. Etsi vero illuc redire non datur, optimus tamen mortalium est, qui eo eniti semper studet, præstantissimus, qui proxime abest, & quo quisque propius accedit ad naturæ bonitatem, eo magis bonus, sapiens & admirandus erit. Seneca de vit. beat. cap. 20. *Quid mirum, si non ascendunt in altum ardua aggressi? Viros suspice, etiam si quædam magna conantes. Generosa res est, respicientem matrem suos, sed ad natura vires conari, alia tentare & mente majora concipere, quam quæ etiam ingenti animo adornatis effici possint. Proficit cognita, quæ olim fuit animi perfectio, ut in illa ad quam devenimus imperfectione recte versemur, juxta Platonium illud in Philebo: Ut neque interna dignitatis amplitudinem ignoremus, divina in nobis parte neglecta, neque exteriorem humilitatem natura additam ignorantes vano in id extollamur. Præsertim vero, ubi actionum quærimus regulam, proficit quod optimum, etsi in actum non veniat: pro illa non quod fieri**

eri potest, sed quod debet, ideo quod in illa rectum, non quod in nobis corruptum, scrutari atque inspicere oportet. Sic omnium artium præcepta proponuntur, ut habeant id quod perfectum, etsi nihil eorum, quæ juxta illa sunt formanda, per mundanarum rerum conditionem perfici possit. Quisque opificum & architectorum canonem rectum operæ adhibet, etsi opus per circumstantias ita consummari non potest. Nam laborat, ut hoc ad regulam porrigat; si nequit, ut videat, quousque protrudetur, quantumque absit, intelligens consulat imperfectioni. Versatur deinde in hoc ars juris, ut non modo ex jure, ut vere tale est, cuncta æstimentur, sed & ut illud in societate coli atque exerceri plenius poterit, expendamus, quod comparatione ejus, quod primitus ex natura justum & quod ex ea immutata possibile est, discitur. *Supersunt, ut Cicero lib. 1. de Legibus ait, in animis quasi virtutum igniculi & semina, quæ adulescere si liceret, nec à pravis opinionibus seu spinis succrescentibus suffocarentur, ipsa nos ad beatam vitam perducerent.* Hieronymus ad Demetriad. *Est tamen in animis nostris naturalis quedam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens exercet boni maliq; judicium.* Augustinus lib. 22. de Civit. DEI cap. 24. *Non est in homine penitus extincta scintilla rationis, in qua factus est ad imaginem DEI.* Nec quia nullibi integra est post corruptionem natura, quid integre sit, ignoratur. Ex amisso damnis, quæ sentimus, id quod fuit, intelligere licet. Habemus exemplum DEI, quod intuentes videmus, quod ex imagine defecit, in quid hæc restaurari debet. Propositum nobis verbum sacrum, quod expendentibus discimus, quanto in natura integra omnia fuerint perfectiora, & qualia esse debeant, licet non sint. Additum exemplar in persona Salvatoris, non doctrinâ modo, sed vitâ

sua naturæ integritatem monstrantis. Intus ex nostris deprehendi poterit, à quo defecimus, ad quod redire oporteat, si justii esse velimus. Nulla ex deperdito ignorantia excusatio est, dum ex eodem, licet non amissi recuperatio, tamen cognitio habebitur, simul etiam regula studii juris.

XIX. Natura continet & implet omnia. Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 7. *Quid aliud est natura, quam DEUS. & divinaratio, toti mundo & omnibus partibus ejus inserta.* Cicero lib. 2. de Natur. Deor. *Natura est igitur, quæ continet mundum omnem, eumq; tuetur, atq; ea non sine sensu atq; ratione.* Mirandum tamen, quod paucis nota, cognitu difficilis. Cicero 5. de Finib. *Mirabiliter occulta est natura, neq; perspicui aut cognosci statim potest.* Epictetus 1. dissert. 18. *τί ἐν θείῳ μασόν ἐστιν, νοήσαι τὸ βέλημα τῆς φύσεως.* *Quid admirabile igitur? posse voluntatem nature.* Cum ipsa tamen lumen DEUS accendit in mentibus, cujus auxilio reperiretur in nobis & cognosceretur, quod est Ratio. Quid autem est ratio? scribit Seneca Epist. 66. *Nature imitatio. Quid est summum bonum? Ex natura voluntate se gerere.* Alibi Epist. 41. Idem: *Quid ratio hæc exigit? rem facilem, secundum naturam suam vivere.* Quando autem ipsa ex natura eruit, & docet naturaliter congrua ac incongrua, ipsam scriptores pro jure naturali habent, doctori opus divinum, duci viam quam monstrat, tribuentes. Cicero lib. 1. de Legib. *Est unum jus, quod deivincta est hominum societas, & quod Lex constituit una. Que lex est recta ratio imperandi atq; prohibendi, quam qui ignorat, ille est injustus, sive illa scripta usquam sive nunquam.* Sic apud JCtos & Philosophos naturalis juris & rectæ rationis nomina sæpe legimus pro iisdem haberi.

XX. Magistra Juris ratio est velut index simul ejus

ejus, quod continet. Mentibus divinitus concreata est lux & dux ad ea, quæ sunt naturæ. Scientia & usus hujus ex ista constat, quæ est rectitudinis doctor & actionum rector. Scrutatur illa, colligit, suggerit homini ex se ipso, seu ex mente sua, quæ sunt naturæ non vitiosæ, & hinc justa vel injusta. Cicero, 1. de Offic. *Est animus in partes distributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expert.* Cum igitur precipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hac precipitur, ut ratio coerceat temeritatem. Est in animis omnium a fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodammodo, & languidum. Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius; sed præsto est domina omnium, & regina Ratio, quæ connixa per se & progressa longius fit perfecta virtus hæc, ut imperet illi parti anima, quæ obedire debet. Id videndum est viro. Paschasius in lib. de virtutibus & vit. cap. 4. *Mens progignit rationem. Ratio ministræ menti. Ut sine mente nulla ratio, ita sine ratione nulla mens est. Ratio virtutem ex sese gignit. Ergo fatiari necesse est, virtutem esse homini ingenitum & congenitum bonum, propriam, inquam, naturæ humanæ dorem; hoc est, hominem statim à virtute occupari. Neque aliter hominis potissima pars perficeretur, nempe rationalis, illa quæ cæteris hominibus est auriga, illa ipsa quæ hominem constituit dominum eorum omnium, quæ sunt sub globo luna. Rationis ut mentis domicilium est in capite, sicut in summo loco, ut sc. cupiditatem, quæ est in pectore, & voluptatem, quæ est in gula & abdomine, habeat in potestate. Hac tanta nobilitate genus humanum splendet, hac una facultate censeatur, quæ nulla vi expugnari, nulla senectute contristari, nullo modo corrumpi potest. Enim vero hac dempta eadem sit hominis ratio, quæ brutorum. Ea propter quisquis virtutem vim & effectum rationis secum circumfert, is*

Et certo Et suo bono nititur. De intrinseco rationis regimine ita Persius lib 5. canit:

Stat contra ratio, Et secretam gannit in aurem:

Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.

Infalibilis ea est praeceptor justii Manilius l. 2.

Nam neq; decipitur ratio, nec decipit unquam.

Cicero 2. de Legib. *Lex vera atq; princeps apta ad jubendum Et vetandum est recta ratio.* Secure justum vel injustum creditur, ut rectae rationi convenit aut adversatur. Quod secus surrepit, & opinionem boni vel mali accipit, non ex ratione sed errore hominum proficiscitur, quem parit neglectus aut rationis, aut dextre ista utendi imperitia, aut hominum rationem ad fraudes atqve libidines convertentium malitia. Cicero lib. 4. Tuscul. *Bene adbibita ratio cernit, quid optimum sit: neglecta multis implicatur erroribus. Est quoque ipsa ad justii dictamen sufficiens mater omnis juris.* Omne enim ex ratione naturali constituitur & dignoscitur. Ampla ejus potestas est, per congenitas facultates, principia rectitudinis, ad omnia humana & quae orbis habet derivandi & dirigendi. Plinius lib. 17. Natur. Histor. cap. 10. *Quomodo cupressi semina adeo minuta sunt, ut quaedam oculis cerni non possint, Et tamen in eo arbor tanta est Et tam procera: Ita ratio minima quiddam est occultum, sed eadem maxima est, si prodeat Et vim suam explicet.* Est ex eadem ad obsequium, communis hominum obligatio, quam in part. 2. de Gentium Jurisprudencia scripti latius exponemus.

XXI. Miserandum vero est, quod quam DEUS lucem ad cognitionem veritatis atqve rectitudinis animis dedit, & ipsa corrupta atqve tenebris immixta est. Ostendit eam corruptelam difficultas reperendi vera & justa, atqve multiplex error circa ista, non vulgi modo, sed eorum, qui studiis assiduis sapientiam & probitatem sectati sunt, delapsi ad sententias,

queis naturaliter honesta vituperarent, turpia probarent : tum & diversa eorum, qui ad idem contendunt, jus, & verum assequi satagunt, mens, & raro una de eo opinio; quod docent innumerabiles pene philosophantium sectæ & Jurisperitorum dissertationes. De illis Varronem scripsisse refert Augustinus lib. 19. de Civit. DEI cap. 1. *suo tempore jam ducentas octoginta octo numeratas esse.* De his integros tractatus scriptos habemus, nec est liber, qui non multiplices de jure sententias ob oculos ponat. Illæ ipsæ controversiæ de jure, quibus jurisprudentiæ studium fatigatur, sunt testimonia difficultatis utendi recta ratione, & perveniendi ad punctum, in quo consistat justitia. Quibus, si ratio in omnibus dextra & certa foret, locus non superesset. Hanc etiam valde corruptam & in lubrico nec semper in luce positam ostendunt. Accedit aliud argumentum, obscuratæ valde istius lucis, in dubitatione ac mutatione sententiæ inter homines frequentis. Seneca Epistol. 120. *Maximum indicium est malæ mentis fluctuatio, & inter simulationem virtutum amoremq; vitiorum assidua jactatio.* Ex his tenebris proficiscuntur de jure variæ disputationes, inde diversæ sententiæ, quæ pariunt in civitatibus jura diversa, aliqua juri, ut ex recta ratione censendum, adversa aut parum consona. Plato in Phæd. *Cum quis argenti aut ferri nomen protulerit, nonne universi idem intelligimus? Quid vero cum justus aut bonus nomen usurpamus, nonne alius aliò fertur? Et tum inter se ipsi & à nobis ipsis dissentimus.* Maximus Tyrius Dissert. 1. *Leges & Jura pro cuiusq; placito in partes ita distrahuntur dilaceranturq;, ut non modo Gens cum Gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat.*

XXII. Non desperandum tamen de multa honesti

ft i

ſti ac turpis , liciti & illiciti , juſti & injuſti notitia , ex natura per rationem , ſi quod ex hac in homine eſt , rectè , ſollicitè , aſſiduè , dextrè adhibetur . Totum hoc ſitum eſt in rationis uſu & exercitio . Quomodo per iſtam haberi poſſit , Plutarchus exponit uno verbo , dicens , *εὐλογισίαι* *medium eſſe explorandæ naturæ* , addit Stoicorum ſententiam , *ἔσσαν τῆ ἀγαθῆ εὐλόγησον ἐκλογὴν κατὰ Φυσιν* , *Essentiam boni eſſe dictionem rationabilem iuxta naturam* . Electio iſta eſt ex ratiocinatione . Inde Diogenis Babylonii dictum , *εὐλογισίαι ἐν τῇ ἴσῳ κατὰ Φύσιν ἐκλογῆ καὶ ἀπεκλογῆ* , *Rectam ratiocinationem in electione aut rejectione eorum , quæ ex natura conſiſtere* . Studium itaque recte ratiocinandi ducit ad illa , quæ naturæ conveniunt , Ipſa ratio ratiocinandi ſui informatrix & ſimul naturæ doctrix eſt . Ipſa producit & juvat ratiocinationem , ratiocinatio ducit ad ſui regulam . Eget ſaltem excitatore , quo attentione ac meditatione melior non eſt . Ad quam pertinent illa Senecæ Epistol. 94. *Omniū bonoſtorum ſemina animi gerunt , quæ admonitione excitantur , non aliter quam ſcintilla levi flatu adjecta ignem ſuum explicat* . Idem Epist. 95. *Omnibus naturam dedit fundamenta ſemendꝫ virtutum : Omnes ad omnia iſta nati ſumus : cum irritator acceſſit , tunc illa animi bona velut ſopita excitantur* . Oſtendunt autem hæc , quam non ſola ſeu nuda ratio , quæ omni homini communis , ad jus naturale , eruendum ſufficiat , ſed & ipſa ad rectitudinem prius reducenda ſit .

XXIII. Quando autem nuda id præſtare non poteſt Ratio , ſed recta , utique ut iſta ſit in nobis , ante omnia curandum : At nec hoc ſine difficultate , ut rectificetur , ſeu ut recta ſit . Non ut ipſa & in ea facultas ratiocinandi eſt à natura , ſic & rectitudo ejus . A virtute eam conſequitur , quæ in quo natura defecit , reficit ,

reficit, & ut vires humanæ patiuntur, perficit. Non cum ratione connascitur illa ὀρθότης, cui Aristoteles tribuit τὸ ἀληθεύειν, verum in rebus factisque colligere & deprehendere. Ipse inter moralia instruit rationem, & demonstrata via assequendi ad illam adducit. Quinqve ante virtutes, quas intellectuales vocat, *lib. 6. Nicomach. cap. 3.* tradit, tanquam eo ducentes; Intelligentiam, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, Artem. Alii gradus putant & dicunt, quæ ad perfectam rectitudinem ducunt. Nec aliter se res habet. Removendus error eorum, qui has virtutes ita discernunt, ut tres priores Theoreticis disciplinis, duas posteriores Practicis addicant. Commune omnibus est, quæ tandem in perfectius opus assurgere & crescere debent, ut per istas omnes illuc evadant. Primum est in principiorum notitia, quam suggerit Intelligentia, ἕξις ἢ τὰς ἀρχὰς γνωρίζομεν: Ex istis cognitæ per conclusiones apprehenditur & existit Scientia, ut τῶν καθόλου ἐπιλήψις, καὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων. Per quam pervenitur ad sapientiam, quæ principia & conclusiones conjungit, ad mentis informationem & aptitudinem. Ab Aristotele definita, ἄξις καὶ ἐπιστήμη τῶν ἡμιωρίτων Φύσει, à Cicerone *lib. 2. Offic.* Rerum divinarum atque humanarum, causarumque quibus hæ res continentur, Scientia. Ex ista sumit porro prudentia, unde sibi & aliis consulat, electione bonorum, declinatione malorum, ἕξις ἀληθῆς μετὰ λόγου πρακτικῆ, τῶν καὶ ἀνθρώπων ἀγαθὰ καὶ κακὰ. Post hæc prodit ars cum ratione per ea, quæ cæteræ virtutes suggesserunt, opus efficiens, ἕξις μετὰ λόγου ἀληθῆς ποιητικῆ. Cum his omnibus virtutibus, & per ea quæ singulorum sunt, progrediendum etiam est adepturis rectam rationem, quæ ad veram naturalem jurisprudentiam adducat. Hunc ordinem & processum, olim etiam Sapientes, qui ad

mo-

moralia ducere voluerunt, sectati sunt aut suaferunt. Cicero lib. 2. de Natur. Deor. *Primum est intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio & comprehensio*, ex quo videlicet quid, ex quibusque rebus efficiatur, idque *Ratione concludimus, singulasque res definimus: ex quo scientia*. Plinius lib. 4. Academ. *Mens ipsa, quæ sensuum fons est, atque ipsa sensus naturalem vim habet, quam intendit ad ea quibus movetur. Itaque aliqua visa sic arripit, ut his statim utatur: aliqua sic recondit, è quibus memoria oritur. Cætera autem similitudinibus constituit: ex quibus efficiuntur Notitiæ rerum, quas Græci tum Ενωίας tum Πεγλήψεις vocant. Eò cum accessit Ratio, argumenti, conclusio, rerumque innumerabilium multitudo, tum & perceptio eorum omnium apparet, & eadem Ratio profecta ab his gradibus ad sapientiam pervenit.* Primo rationem decet esse intentam ad prima naturæ principia, omni menti insita & inhærentia, quæ à Philosophis & bonis autoribus vocantur igniculi, semina, inclinationes, indicia, notiones, anticipationes, à Græcis αινθηραι, ζώπυρα, ἐνάσματα, ἐνωϊαι, πεγλήψεις. Ista rationi sponte occurrunt, si modo respicit, nec egent adminiculo artis. De iis Cicero lib. 1. de Legib. *Ipsum hominem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus atque satellites attribuit acnuncios, & rerum plurimarum obscura nec satis apertas intelligentias inchoavit, quasi fundamenta quædam scientiæ.* Ejusmodi sunt innatæ notitiæ numinis, erga eos, è quibus vitam accepimus, honoris, verecundiæ in turpibus, desiderii suæ conservationis, appetitus societatis & similia. Non sufficiunt autem ista ad discrimen boni atque mali, quod inter omnia humana jam corrupta difficilius est, quam ut ex istis principiis tantum haberi queat. Laborandum itaque rationi, ut existis ad ulteriorem cognitionem.

perveniat, quod fit dextre ex iis ratiocinando & concludendo. Seneca Epist. 120. *Lucilio querenti, quomodo ad nos boni honestiq; notitia pervenisset, respondit: Hoc nos docere naturam non potuisse. Sed nobis videtur, inquit, observatio collegisse, & rerum saepe factarum inter se collatio, per analogiam nostro intellectu & bonum & honestum judicante.* Cicero 1. Academ. *Inter natura beneficia ponit, quod comprehensionem dedisset, quasi normam scientia & principium sui, unde postea notiones rerum animis imprimerentur, è quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inve-niendam via reperiuntur.* Quomodo ratio colligat ratiocinando ex istis principiis, idem docet lib. 3. de Finibus: *Cum rerum notiones in animis fiunt, si aut usu aliquid cognitū sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis bonorum notitia est facta.* Haud secus quam Mathematici ex principiis naturæ procedūt ad demonstrationes,] Cto, cum naturæ jus nosse cupit, progrediendum est. Ita S. Thomas part. quæst 94 artic. 2. *Sic se habent precepta legis naturalis in homine quantum ad operabilia, sicut se habent prima principia in demonstrati-vis.* Quare sentimus cum eo, qui scripsit, quemadmodum in Mathesi post datam lineam, angulum planum, circulum insequuntur etiam principia quædam nemini non primo intuitu, qui oscitanter non intueatur, pro veris agnita, unde etiam conclusiones non minus certæ inferuntur, ita in ipsis moralis disquisitionis seu Rationis vitæ instituendæ, quam practicam nuncupant, primordiis, post data quædam, veluti tutelam sui, rerum in vitæ commodum, usum, sexuum conjunctionem, speciei propagationem, & quæ cætera venire solent nomine Boni ac Honesti (quod primum est heic objectum, ut in Philosophia primum Ens) naturaliter oriri, velut ex ipsa recta ratione præcepta aliquot interdicitque in

uni-

universum obligantia, quibus Bonum illud ac honestum conservetur, præpediaturque contrarium. Ita exoritur naturalium ad juris cognitionem facientium scientia.

XXIV. Haud vero in proclivi semper est, quæ ostendat naturale jus, collectio. Multa sunt quæ impediunt, ut varie per errores, disputationes, ambigua impeditam & præventam docent scripta Philosophorum. Epictetus hoc monet & suggerit lib. 3. Dissert. cap. 26. *Cave notiones singulis rebus temerè & vane accommodare. Hæc est causa mortalibus omnium malorum, non posse communes notiones aptare singularibus. Est quidem, ut Seneca Epist. 95. ait, quod quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea quæ tradi solent, sine longo ministerio pervenerunt, & honesta complexi sunt, cum primum audiverunt; at raræ felicitatis est, nec omnibus contigit, nec contingere potest.* Informatione itaque opus est atque studio, quod tertiam pro rectitudine Rationis necessariam parit virtutem, Sapientiam, Cicero lib. 5. de Finib. *Artis est, ad ea principia, quæ à Natura accepimus, consequentiam exquirere, donec id quod volumus sit effectum.* Seneca Epist. 90. ait: *Primos illos homines, quamvis egregia illis vita fuerit, & fraude carens, non fuisse sapientes. Non negaverim, fuisse alti spiritus viros, & ut ita dicam, à Diis reventes: sed quemadmodum omnibus indoles fortior fuit & ad lucem paratior, ita non erant ingenia omnibus consummata: ars est bonum fieri.* Ad hanc parandam omnes sumus apti & idonei, unde neminem modo attemptum latere poterit, quod præcipit vel vetat natura. Quo & spectat dictum Senecæ lib. 3. de benefic. cap. 18. *Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, omnes admittit.* Fabii lib. 19. Instit. cap. ult. *Brevis est institutio vite honestæ beatæ, si credat. Natura enim nos ad optimam*

ptimam mentem genuit : adeoq, discere meliora volentibus promptum est, ut vere intuenti illud magis mirum sit, malos esse tam multos. At non omnes perinde consequimur. In paucis studium noscendi, in paucioribus rei congruum est.

XXV. Naturalia, ut cætera omnia, non noscuntur ac discuntur aliter, quam dexteritate judicii naturalis, quo nihil ad rerum cognitionem & usum est aptius atqve felicius; Uti laudat hoc prudentiss. Cominæus lib. 3. de Ludovico XI. scribens: *Mediocriter literatus fuit, & quod precipuum est ingenio valebat & sensu communi, quæ facultas omnem cognitionem labore & industria comparatam excellit.* Idem lib. 5. *Magnum DEI beneficium est, valere sensu communi & judicio naturali.* * Cum vero in aliis rebus hujus magna vis sit, tum non minor esse potest in iis, quæ intra hominem, & coram homine semper sunt. Quod enim juris naturalis est, ut in ratione continetur, rationi per rationem dictatur, ratione apprehenditur, ita per illam intra illam facillime discitur, modo accedat in rationem mentis & intellectus quidam secessus, attentio & per collectiones & judicium sui dictaminis investigatio. Huic deditus facile descendet in notitiam juris naturalis. Circa quod ita se omnia habent, quod natura animis jus indidit, ratio adesse aperit; ratiocinatio ad cognitionem & usum colligit & suggerit, judicium naturale apprehendit, inde & ad negocia humana applicat & velut in lucem deducit.

XXVI. Haud verò sufficit diligentia studii & attentio judicii naturalis, nisi etiam ab initio statim evitentur vel removeantur istius impedimenta, ex quibus intricatus, dubius & difficilis redditur, etiam eorum, quæ intra nos sunt & sentimus intellectus; Ex istis multi, quid naturalis juris sit, capere nequeunt,

N

inde

inde an sit, dubitare, imò plane negare ausi. Ad quod minus prohibetur, qui remotis iis, quæ præpeditur, pensiculatus quæ hominis sunt excutit. *Primum* est ex non intellectâ aut rectè considerata naturæ depravatione, eaque non exactè à juris cognitione separata. Non ex eo jus censendum est, à quo natura descendit, sed ex regula in integritate indita, quo reparari debet. Quando itaque magis, quod perversi hominum mores & vitiosi animorum instinctus repræsentant, à multis consideratur, non satis capitur, quid propriè sit juris, & ubi istud diversum & dissonans reperitur, exinde deviaz subsumptiones oriuntur. *Secundum* est ex consideratione potiore rerum & actionum, quæ sunt in orbe, quam juris. Unde multi jus tale habere & facere volunt, ut res sunt, & his congrua ad justitiam trahunt, non cogitantes, quod non juri ex rebus regula, sed res ex jure regulam habere debeant. Ubi se itaque jus istis aptari non semper finit, ejus contortio vel confusio enascitur; Pro qua evitanda necesse est abstrahere à rebus, & jure ex divinis & humanis ut esse debent investigato atque explicato, deinde quomodo res & negocia humana ab iis discedant, dispicere. *Tertium* exoritur ex rerum atque actionum in mundo variis & infinitis circumstantiis. In quas cum incidit de jure consideratio, sic implicatur, ut evadendi vix spatium supersit. Talis vero nihil curat natura, quæ generales leges dicit, applicationem inter istas relinquit dextris hominum judiciiis. Philosophi eo dictum spectat: *Naturalium cognitionem non esse individuantem sed genericam.* *Quartum* valde evitandum est, ne studio, quod deditur naturalis juris scrutinio, alia ad id non facientia admisceantur. Inde potissima in eo aberratio, quod quæ ejus non sunt tamen isti tribuuntur, ideoque ut de talibus semel concepta sententia deinde

inde defenditur, in ea, quæ revera talia existunt, inferuntur ex alienis, tam multa, quæ in dubitationem, etiam certa conjiciunt. *Quintum* subit ex præconceptis opinionibus non rectis, quibuscum plerique ad indaginem juris progrediuntur. Ideo cum omnia istis consona volunt circa istam multopere perturbantur. E contrario prius oportet vacuum ab omni opinione mentem ad naturam rerum adducere, istam inspicere & scrutari, ex ista per rationis suggestionem quod pro jure esse debeat haurire, inde demum opinari. *Sexto* hinc indagini valde obest sectarum studium. Postquam de jure naturali ejusque consequentiis sententiæ inter Philosophos veteres & recentiores variæ & diversæ existiterunt iisque se multi citius dedunt quam rectitudinem expendere atq; dijudicare valent, cum illo perspicillo ad investigationem venientes atq; sicut tantum videntes, ut per illud representatur, non possunt pervenire ad veritatis certitudinem. Simile est *septimum* & quidem inter JCtos frequentissimum, quod jura quæ tractant civilia ad examē universalis justitiæ nimium assumunt, atque hujus regulas tales volunt, quales suæ civitatis jura sunt. Quo vitio studii multum laborant, qui juri Romano in voluminibus Justinianicis comprehenso operam navant. Commiscent hæc sæpius quæ naturalis & civilis juris sunt, & pleraque hujus isti tribuunt, & de isto ex hoc censent. Inepti itaque sunt meri juris Justiniani Doctores ad tradendam gentium jurisprudentiam, quamdiu eum ductum in naturalibus præceptis evolendis sequuntur. Nimium quippe illis addicti iudicio puro, sincero, & simplici non utuntur sed tanquam ex vinculis sermoeinantur, astricti suis legibus. Ex quo natæ sunt tot de jure gentium naturali controversiæ, quæis abundant scripta interpretum juris civilis uno ictu tollendæ, si seposito plane jure

civili unicè naturalibus principiis intenta erit consideratio, & ad universalem omnium justitiam noscendam prius generalia naturæ dictamina ponentur, antequam particularia cujusque civitatis oculos præoccupant.

Octavo multum nocet huic studio de jure disputandi pruritus in plurimis tantus, ut inglorium ducant de jure quædam nosse aut statuere, nisi etiam in dubitationem litemque deducantur. Quando itaque circa scrutinium naturæ, quæ apparent statim eo rapiuntur, ut controversiarum atque disceptationum materia fiant, non possunt non, quæ regulæ & præcepta esse debebant, inter incertos sensus fluctuare; Nec itaque & apti illi sunt Sceptici, qui rationes solum diversarum sententiarum expendunt, postquam eas comperiuntur veritatem de nulla re haberi posse existimant, ideo semper aut dubii aut dubitationum studiosi manent. Adversus ista omnia optimum & solum remedium est ex secessu mentis intra semetipsum, ita ut *Primo* separaretur & velut devestiatur, ab omnibus notionibus & cogitationibus, quæ sunt de hominibus & rebus aliunde, quam ab eorum natura, sitque simpliciter huic investigandæ dedita: *Deinde* seponatur & exuatur simul quidquid vel ex aliorum institutione haustum, vel ex vitæ communis usu locorumque moribus conspectum: *Tertio* unicè quod humanæ est naturæ, ut DEus condidit & servatam, aut postquam corruptela invasit, reparatam voluit, inquiratur, inspiciatur, omni alii considerationi pro fundamento substruatur.

Quarto ex naturalibus cognitis ratio sana & bene informata dextris & necessariò congruis collectionibus statuatur. Post hæc demum *Quinto* ad doctiorum traditiones, orbis mores, rerum circumstantias eatur, & de his ex natura judicetur, non natura ex his persvadetur. Illum secessum mentis intra semet pro judicio

dicio de jure & morib9 Deus per Prophetam indicavit & commendavit *Es. 46. v. 8.* Commonefactio quæ ibi habetur, *Vos Peccatores introite in corda vestra*, eâ mente dicitur & simul ex contextu discitur, quod ubi DEUS populû Hebræum de idololatriæ turpitudine edoctum voluit, & argumenta à natura adhibuit, id adminiculum præcipuum intellectus & ratiocinationis suggestit.

XXVII. Quando autem, ut Philosophi veteres loquuntur, notitiæ seu notiones boni & mali saltem sunt inchoatæ, inde adumbratæ, complicatæ, involutæ, non omnibus peræque perspectæ, aut per judicii naturalis in plerisque infirmi & perturbati exercitium facile intelligendæ, ad illas recte constanterque noscendas multo magis ad usum & applicationem doctrina utilis est. Per felicitatem eorum, qui facile capiunt, cæteri quibus hæc juris cognitio non ita succedit, ad disciplinam, quæ & hi informantur, deveniendum est. Platonis in hanc rem sententiã præfert Apulejus de Philosophia. *Hominem ab stirpe ipsa, nec absolutè bonum, nec malum nasci, sed ad utrumq; proclive ingenium esse. Habere quidem semina quædam utrarumq; rerum cum nascendi origine copulata, quæ educationis disciplina debeant in alteram partem emicare.* Fabius 12. Instit. cap. ult. *Virtutem etsi impetus quosdam à natura sumit, tamen perficiendam doctrina esse.* Ciceronis eadem sententiã lib. 3. de Legib. ubi justitiam & injustitiam ex doctrina petendam esse docet, postquam sic cum homine comparatum, ut suæ naturæ ex se ferre sit ignarus atque imperitus, inde ad naturam vivere quam justum est & expedit, tam sine disciplina difficile. Id vero incongruè usurpatur ad convellendam juris naturalis substantiam & autoritatem. Non quia multos latet, exacta sine studio non nascitur, inter corrupta mentis debilis est, ideo aliquid isti ex hæ

quæ tribuimus detrahendum erit. Esse rerum non tollit quod nos plenè non novimus aut colimus: Ignorantia aut negligentia nihil demit arti, extollit atque præstantiorem facit, cum superat vires animi. Est in nobis natura sui magistra, sed audienda & exploranda est, quod sit doctrina & attentione nostra. Ad hæc discernenda respicit dictum Aristotelis lib. 2. Ethic. cap. 1. *Ὅτι ἀγαθὸν φύσει ἔστι καὶ κατὰ φύσιν ἐγγίβεσθαι ἢ ἀρετῇ. Νεκρὸν δὲ φύσει κατὰ φύσιν ἐγγίβεσθαι ἢ ἀρετῇ.* Necq; à natura neq; præter naturam inseritur virtus. Natura ducit, ad sapientiam, non producit. Ipsa ducente discimus at ipsa docenda est. Quibus Doctoribus utamur multum referet. Magistri juris naturalis debent esse qui jurisperiti seu Doctorum juris nomen sumunt & ostentant. Sed paucissimi horum eam doctrinam præstant, quia studium suum Romanis LL. tantum tribuunt & privativè fere addicunt, ideo non multum de penitioribus jurisprudentiæ recessibus solliciti sunt, quam quod in trita via Justinianeorum voluminum reperiunt, ultra hæc longius non procedentes, nisi ad id quod præter ista in foro quotidianum est. Nec frustra ideo culpantur principiorum sui studii adeo incuriosi. In varios non minus pudendos quam perniciosos errores seducentur, qui aut omne quod illi docent naturalis gentium quoque juris esse sibi imaginabuntur, aut præterquam quod isti de eo scribunt aut non esse aut sciri non debere credunt. Plenioram jurisprudentiam & naturali juri convenientiorem efformasse gloriantur Pontifices Romani Caesarum amuli, & legum vineula orbi meditantés. At longe ab eo abfuerunt, & ferè longius, quam quid habet Justinianea, quæ purus rationem juridicam respicit & sequitur. Non quem illi obtenderunt finem præprimis intenderunt, sed pleraque pro potentia & autoritate Pontificatus, Ecclesiæ juxta sua arcana consilia

consilia formatione; Clericorum prærogativis, Superioritatis & jurisdictionis Ecclesiasticæ robore atque efficacia constituerunt, cui magis naturalia attorqueant, quam ut ad eorum fundamenta & puritatem deducant. Simplicius & in abstracto magis hoc ausi sunt, qui moralium disciplinam professi tradiderunt principia, præcepta & quæstiones pro moribus naturæ congruè formandis. Qui si tam sapientes accurati & dextri, quam laboriosi fuissent, laudaremus studium, quod nunc infastæ & inutilis fere operæ deprehendimus. Desideramus hoc in eorum scriptis, quod ad vera juris principia non penetrarunt, sed ea sibi juxta suæ persuasionis argumenta finxerunt, quod nimium suis imaginationibus & ex erroneo deductis argumentationibus tribuerunt, quod non ad eum, qui nunc est hominum statum, sed qualem esse optarunt, respiciunt; & sic illum formatum & ex tali justum in plerisque esse volunt ut esse non potest; quod meram illam Philosophiam theoreticam ejusque regulas subtiles magis quam utiles sectantur; quod ideo multa humanæ naturæ incongrua & absurda, imo & nefanda statuunt, quibus hominum ingenia & mores non conveniunt, imo à quibus abhorrent. Quorum errores atque perversitates ob oculos posuit Ludovicus Montaltius in Epistolis Provincialibus, quarum lector satis habebit, cur si non aversetur, tamen tempore & studio indigna putet istorum scripta. Facilius autem est dicere à quibus non sit expectanda solida & plena doctrina, quam unde comparanda. Pro ea opus est diligenti lectione primum eorum, qui moralia accuratius, ex naturalibus principiis tradunt. Deinde qui ista ad justorum definitionem derviant: Recte se habet vulgatum illud. Ubi desinit Ethicus, ibi incipit Juris Consultus. Ad Jurisprudentiam non sufficiet solas leges nosse, sed al-

tius illa petenda, ideo pro illa plura studia, & quidem ea, quæ mores formant, conjungenda sunt. Nec latuit illud veteres Jurisconsultos, ex quorum scriptis istæ decerpæ & in Justinianeæ volumina redactæ sunt. In quibus multa & moralium & ex iis deductorum justæ axiomatum invenimus. Et hoc est quod Ulpianus indicat l. i. §. i. ff. de just. & jur. *Justitiam colimus & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes; Licitum ab illicito discernentes; Veram sic nisi fallor philosophiam non simulatam affectantes*: Hoc seculo quam anterioribus plures repererunt è natura primum moralia principia, ex his jura petendi & derivandi modum esse meliorem non modo sed & necessarium. Ideo & nunc frequentius adhibetur & docetur. Et quod antea parum & à paucis curabatur, nunc in jurisprudentiæ studio magni fit & inter præcipua ducitur: Offensa à non nullis via, adeo se ipsam hodie commendavit, ut cum utriusque Juris Civilis & Canonici doctrina in Academiis tantum audiretur, nunc & naturalis juris Professores constitui optima ratione placuerit. Officio isti satisfaciunt cum hætenus de jure naturali generatim scripta circa singula, quæ ad artem juris pertinent, scrutabuntur, & in forma artis exponent. Ex iis qui hætenus talia tractarunt scriptis suis neminem laudo aut vitupero. In omnibus propositum & conatus merentur laudem, etsi aliqui à scopo, alii & à mediis abfuerunt. Lecturis liberum de iis judicium & cuique suum meritum tribuo & reliquo.

XXVIII. Ad doctrinam opus est principiis, ex quibus deducitur scientia, & præceptis, quæ ex istis formant regulas. Illa quæ à Philosophis vocantur *decreta, Dogmata, scita, placita, axiomata* fundamentum sternunt, cuilibet doctrinæ, & sunt velut *κείμενα δόξαι* dominantes & eximie scientiæ, ex quibus derivantur
reliqua

reliqua & dijudicantur, ideo illuc referuntur. Ea itaque oportet esse certa & immota, ut de cæteris fiduciam facere & opinionem mereri possint. Cicero 4. *Academ. Decreta Philosophi vocant Δόγματα, quorum nullum sine scelere prodi potest. Cum enim Decretum proditur, lex veri rectiq; proditur.* Porro ait; *Decretum stabile, fixum, ratum esse debet, quod movere nulla ratio queat.* Talia ista esse oportet, ac de quibus Seneca *Epist. 94. scribit: Cum istu quodam audimus nec ulli licet dubitare aut interrogare, Quare? adeo etiam sine ratione ipsa veritas ducit.* Sicut vero ex semine quamvis exiguo ingens prodit arbor cum trunco, ramis, foliis fructibus: ita ex cognitæ simplici naturæ decreto plura deducuntur & componuntur præcepta, per latissimum Jurisprudentiæ campum semet extendentia. Quorum ab illis differentiam annotat Seneca *dict. Epist. 94. Quid interest inter Decreta Philosophiæ & Præcepta, nisi quod illa generalia præcepta sunt, hæc specialia, & Epist. 95. ait. Hoc interest inter decreta philosophiæ & Præcepta quod inter elementa & membra. Hæc ex illis dependent, illa & horum causa sunt & omnium.* Quem ordinem ratio in his monstrat ad omnem sapientiam, istum in parandâ justî & injusti scientia ut naturalem maximè sequi oportet. Quo meliorem nemo ad huc reperit. Dum multi ex *ICtis & Philosophis alium quæsi verunt aut amarunt, longius in tenebras progressi latius à juris prudentia deviarunt, & pleraque illorum præcepta à principiis veris aberrant.* Quando itaque animus est, communem gentium jurisprudentiam nosse, recurrendum est ad Naturam, ex hac quærenda sui ad justum principia, ex his componenda sunt præcepta, ex quibus porro deriventur & subsumentur justî circa homines definitiones. Quæ præterea de justo & injusto sumuntur ex gentium moribus

atque placitis eruditorum sententiis. Historiæ tam antiquæ quam recentioris exempla non parum lucis afferent & manu velut ducent ad investigationem originis atque fundamenti; at pro præceptis sola non temere assumenda sunt, nisi ex principiis veris constituta ac firmata.

XXIX. Quæ ducunt ad hæc argumenta alia Divina, alia Humana sunt. Illa DEUS præbet, hæc homo per rationem ex naturâ colligit. Illorum præstantior certitudo ut iis quæ de DEO novimus nihil verius, & quatenus regulam justî præbet, nihil certius. Scimus DEUM condidisse hominem ad sui imaginem, ideo & velle esse, aut fieri sui similem: Ut vero ex eo creavit justum, ut suæ congruit justitiæ, sic quod ex DEI deprehenditur justitiâ congeniti olim juris, nunc post depravationem reparandi censere debemus. Ex eâ inter DEUM & homines similitudine, quam etiam veteres Philosophi crediderunt, Platoniorum dictum, Proclus in Theologia Platonica lib. 5. cap. 9. refert. Νῦν ἐστὶν ὁ Νόμος ὁ ἀγαθὸν τῆς Μέντης ΔΕΙ distributio lex est. Deinde etiam cognitum, animam hominis esse ex divina inspiratione & partem quandam divini spiritus. Quod ex rationis lumine intellectum à gentibus. Cicero 5. Tuscul. quæst. *Humanus animus decerptus ex mente divinâ.* Idem lib. 1. de Divinat. *A naturâ Deorum haustus animos & detribatos habemus.* Epictetus 1. Dissertat cap: 14. *Anima ita illigata & conjuncta DEO sunt, ut particula ejus sint & decerpta.* Seneca ad Helviam. *Animus, si primam ejus originem inspexeris, non est ex terreno gravidus, concretus corpore, ex illo caelesti spiritus descendit.* Plutarchus quæst. Platonis. *Anima mentis & rationis consors, non opus solum DEI, sed & pars est, neque ab ipso, sed ex ipso est facta.* Quam itaque juris sedem justissimus constituit, isti à se & justitia

stitia sua nihil alienum indidisse persuasum habemus. Porro quæ animæ propriè facta est Ratio, velut Dux & Lux ad ea quæ decent DEI singulare opus est, auctori suo sine dubio convenientissimum, imo & pars præcipua divinorum. Epicharmi dictum legimus: *Humana ratio nata est ex ratione DEI.* Seneca Epistol. 66. *Ratio nihil aliud est quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa.* Imp. Antonius lib. 5. de vit. sua cap. 26. scribit; *Divine Nature particulam esse unius cujusque mentem & rationem.* Omnis denique natura & quicquid ei convenit à DEO est, & in DEO. Sub illa ubique DEUS est. Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 12. *Quid aliud est natura, quam divina ratio toti mundo & parti ejus inserta.* Lactantius Instit. lib. 2. cap. 9. *Melius stoicorum omnium acutissimus Seneca, qui vidit nihil aliud Naturam esse quam DEUM.* Cum autem omnia divina sint, quæ incorruptæ sunt naturæ, adeoque & ipsum, jus naturale, non est ulla istorum certior notia quam à DEO, qui sui semper simillimus nunquam à se aliena vult. Plinius lib. 2. c. 3. *Hic est DEUS per quem intelligitur & parens rerum omnium & magistra natura.* Inde adducti veteres sapientes crediderunt idem esse Deum & naturam sequi. Clémentis Alexandrinus Strom. 2. *Stoici secundum naturam vivere finem esse decreverunt DEI nomen in natura decore commutantes.* Inter præcepta Philosophorum relatum, Divina morum esse doctrinam. In istorum sententiis nihil frequentius ac pro iisdem haberi, secundum DEUM vivere, seu DEUM, sequi, & vivere secundum naturam & rationem. Hierocles in Commentario ad Carmina Pythagorica hæc habet. *Est vero idem rationi recta parere, atque DEO. Natura enim quæ rationis est particeps illuminationem sibi sortita ea amplectitur quæ præsinivit lex Divina. Nec discrepat à DEI sententia animus, qui secundum DEUM se habeat,*

habeat, sed divinitati atq; fulgori (à quo illuminatur) intentus ea facit, quæ facit. DEus quæ sua sunt duplici modo declarat, verbo & exemplo. Ad utrumque per divina mandata sæpius remittimur ad discendum, quid divinæ constitutionis voluntatisque sit. Complexus vero utrumque in perfectissimo suæ essentiæ exemplari, quem ut λόγον & imaginem suam in orbem misit, quo & verbo docere & exemplo ostenderet, quid DEI esset. Nec negabit quisquam, qui intuetur id divinitatis speculum, inde doctrinam naturalis bonitatis, quæ in jure congenito quoque exhibetur, optime hauriri. Quare ubi jus docetur in cordibus scriptum, cor quod ab omni pravitate mundum fuit scrutari operæ precium, ideo in hoc studio quoque adhibendum erit.

XXX. Argumenta juris naturalis humana sunt, quæ ab his ipsis, quæ hominum, sunt, desumuntur. Ipsa humanitas sui testis & index est, modo advertitur. Quæ integra vim & operationes velut ex perenni fonte assidue monstratura erat, nunc pro dolor / corrupta instar scintillæ est in carne, inde colligenda, proprio tamen suo judicio, sicut ista in tenebris, ea quam habet, licet modicâ, luce se videndam præbet. *Intelligitur vero vel ex sensu vel Syllogismo.* Sensus illorum principiorum juris naturalis est, quæ sponte suæ animo cujusvis statim se insnuant, & homini sua suggerunt: *Syllogismus* ex ratiocinatione à primis istis ducta, uti & supra vidimus. Quomodo sic ex ipsa natura, & præsertim hominis, leges quas naturales dicimus oriantur & colligantur jam porro; sed inter præliminaria paucis, in sequenti capite explicabimus, pleniora integro naturalis jurisprudentiæ tractatui reservantes.

INSPECTIO QUARTA.

De Præceptorum naturalium ex natura derivatione & existentia.

- I. *Pro cognitione juris naturalis opus est natura notitia.*
- II. *Juris Naturalis regula, ex convenientia vel disconvenientia cum natura.*
- III. *Quomodo hac diversa.*
- IV. *Expedit ad doctrinam Juris Naturalis certa natura axiomata constituere.*
- V. *Primum naturale, unumquodq; ut natura fecit sic habendum & servandum.*
- VI. *Secundum, quod Natura cuiq; dedit, relinquendum ut proprium.*
- VII. *Tertium, Naturalium beneficiorum usus non impediatur.*
- VIII. *Quartum, usus naturalium sine abusu sit.*
- IX. *Quintum, Naturalibus utere secundum conditionem natura.*
- X. *Sextum, Natura jus dat ad necessaria sui media.*
- XI. *Septimum, Natura conservationem sui & suorum postulat.*
- XII. *Octavum, Natura suum cuiq; tribui ordinat.*
- XIII. *Nonum, Naturalis ordo in omnibus servetur.*
- XIV. *Decimum, Pudori congenito Naturalia convenient.*
- XV. *Axiomatum horum usus in his, quæ secundum naturam hominis sunt, præcipuus, ideo præcipue investigandus est.*
- XVI. *Notitia recta sui ipsius est dux ad notitiam creati juris.*

XVII. Quo-

- XVII.** *Quomodo ex notitia humanorum deveniendum ad cognitionem juris humani.*
- XVIII.** *Jus naturale ex animâ & circa eam.*
- XIX.** *Animus in anima est, & quomodo jus faciat.*
- XX.** *Circa intellectum justa.*
- XXI.** *Voluntatis justa.*
- XXII.** *Animi signa naturalia, ex quibus cognoscitur, & quas leges naturales faciunt.*
- XXIII.** *Corporis leges naturales.*
- XXIV.** *Proprietates hominum, & quomodo ex iis naturaliter justa sint, & quidem primo quod homo rationalis est.*
- XXV.** *Per rationem homo naturaliter sui & aliorum judex est, & quæ hujus à natura leges.*
- XXVI.** *Secunda, proprietas hominis à natura, quod eum fecit rectum & integrum.*
- XXVII.** *Tertia, in similitudine hominum:*
- XXVIII.** *Quarta, in cognitione.*
- XXIX.** *Quinta, in nuditate atq; indigentia.*
- XXX.** *Sexta, in sui amore atq; custodia.*
- XXXI.** *Ex appetitu existendi, quod, jus naturale existit.*
- XXXII.** *Studii naturalis, ut cui bene sit, quæ jura.*
- XXXIII.** *Ex eo oritur prerogativa sui circa justa.*
- XXXIV.** *Septima, in appetitu ex se videndi similem.*
- XXXV.** *Octava, in connato societatis amore.*
- XXXVI.** *Nona, in dominio in creaturas.*
- XXXVII.** *Domini istius leges.*
- XXXVIII.** *Ejusdem modus.*
- XXXIX.** *Decima, in desiderio beneficiorum ab aliis.*
- XL.** *Undecima, in libertate.*
- XLI.** *Quam non sint contemnenda, circa jurisprudentiam, hac prima istius lineamenta.*

I. Quando

I.



Vando jus quod naturæ dicitur melius non constat, quam ex ipsa natura, ad noscendum illius congenita principia ac præcepta opus est investigare & discutere naturam, cum ipsammet, ut circa moralia divinitus est adornata & composita, considerando; tum quid ei conveniat nec ne perquirendo atque argumentando. In quo pro regula generali præmittimus. Ut quæquæ à natura in orbe existunt, sic jus suum ostendere: seu: quidquid natura efficit, id pro justo habendum. DEus quippe & natura nihil in suis principiis edidere frustraneum, incongruum, aut injustum. Ex hominum vitiis accessit improbatio. Ad hoc principium nos mundi structuram reducere docet Philo de mund. opific. *Principium librorum Moſis mirabile, quod mundi opificium habet tanquam mundi legi, & lex mundo consonet, ac consentiat: itemque, vir legis observans quam primum mundanus civis est, ad Natura voluntatem arbitriumque, actiones suas dirigat: per quam naturam universus hic mundus gubernatur.* Hoc est, quod Philosophi docuerunt de obsequio naturæ præstando. Quo Mandanes Indus Philosophus in Oratione ad Alexandrum apud Strabonem lib 15. Geographiæ utebatur. *In omnibus natura parendum.*

II. A natura argumentum justii & injusti ita petendum est, ut spectetur, quid ista velit vel nolit. Non aliter verò de hoc loquitur, quæ quod suum est ostendendo. Quare hoc pro jussu aut prohibitione ejus statuendum. Suum autem est ad jus faciendum quod sibi convenit. Quare alienum ad improbandum, quod sibi contrariatur. Ita Philosophi & Jcti quando naturaliter proba vel improba, justa vel injusta exponunt, inde rationem horum petunt, naturam in confirmationem sic assumen-

mendo, ut congruit vel adversatur. Regula ergo juris naturalis summa existit ex convenientiâ vel disconvenientia cum natura. Ut itaq; unumquodq; naturæ convenit sic justum, & è contra, quod naturæ adversum naturaliter injustum habendum est. Præprimis autem hoc querendum in natura rationali quæ est hominum.

III. Sunt autem aliqua quæ natura exigit, aliqua non admittit, aliqua permittit. Prioris quæ sunt generis, necessariam cum natura habent convenientiam, ideo sine naturali injustitia non deficiunt. Quæ secundi, necessaria distant disconvenientia, ideo nisi cum injuria aliqua fieri non possunt; Reliqua velut media relicta sunt hominum electioni, ut prout sibi maxime expedit, adhibeant. Juste ea faciunt & tamen non injuste omittunt; utrumque propitia natura. Quo propius aurem singula naturæ ductum sequuntur eo habentur probiora: sicut è diverso quanto ab isto disceditur latius, eo minus placent & succedunt. Non multum abludivit distinctio Stoicorum, præsertim si ad moralia circa quæ jus occupatur deflectas, de qua Laertius in Zenon. *horum quæ sunt dicunt (Stoici) alia bona esse, alia mala, alia neutra.* Addit porro quid bonum dicant. Sic definiunt proprie bonum. *Quod absolutum sit secundum naturam partis rationalis. Malum itaq; quod contrariam.* Cætera quæ Græci τὰ μεταξὺ τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν vocant, dicuntur *interjecta, neutra, adiaphora, indifferentia, media.*

IV. Pro eò naturæ quod convenit vel disconvenit explorando atq; constituendo spectandum atq; indagandum est, quod natura amat, & non nisi ipsa integra & non perversa fieri potest. De quo doctrina in generalia aliquot, præsertim quantum ad moralia & humanæ conversationi congrua (de cæteris in studio jurisprudentiæ non adeo solliciti sumus) attinet

attinet, se redigi patietur, quæ tanquam principia cognoscendi & regulas statuendi applicandique præmittere operæ precium erit. Vocamus autem naturalia seu naturæ axiomata, quod per hanc ad sui notitiam, nostri curam, rerum omnium, quæ ad justî & injusti discrimen considerari debent, regulam, multum valent & ducunt, cum certo & immoto argumento, ut, quod istis convenit, non injustum, quod contrarium, à jure naturali alienum reputandum sit. Quibus itaque de hoc studio cordi est, in corde semper illa habent & velut in tabula ante oculos ponant, quando quid istius proprium, aut alienum dicere velint: Nos singulis pro declaratione addemus breviter exempla, in pleniori tractatu imposterum explicanda, nunc tantum pro indice ad manuductionem aliquam servitura.

V. Ad summam justî regulam, axiomatum naturalium primum est, ut, *quomodo unum quoddam, naturam condidit, & mundo concessit, sic habeatur & servetur; A DEO* enim est. Is naturam & quidquid ejus est creavit summa & incomprehensibili sapientia, sicut à Salamone dictum. *Mundum esse conditum in intelligentia.* Fecit idem naturam firmam, immotam, & constantem, ex qua cuncta orbis essentiam & vim haberent. Inest porro DEI Spiritus naturæ universi in singulis secundum, cujusque conditionem concreatam, eaque velut indumenta DEI sunt, quibus inest & cognoscitur. Lumen naturæ etiam adduxit ad notitiam hujus divini spiritus, qui in cunctis rebus est & eminet, ut mundi animam, & mundum animatum, imo animam esse crederent. Et si in modo complexionis ab istis erratum, in eo tamen non errarunt, divini & rationis multum esse in omnibus naturalibus, non quod ipsæ præter hominem sint rationales & suimet intelligentes, sed quod ratione superna constant, regantur & valeant. Stoicorum

corum de hac sententiam pulchram refert Cicero lib. 1. Academ. *Mundum natura sentiente teneri, in qua Ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Quam vim animam esse dicunt mundi, eandemq; esse mentem, sapientiam perfectam, quam DEum dicunt.* Est inde justitiam ab essentia naturalium certitudo, quia DEus ita voluit & construxit, omnibus ex ista facultatem communem dedit, nemini cuiquam in eam arbitrium reliquit. Cicero in Caton. Maj. *In hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam DEum, sequimur, eiq; paremus.* Mirum itaque non est infelicissima semper esse, quæ contra naturam occipiuntur, & non tantum successu carere, sed, quæ mundi sunt, perniciose perturbare, multorumque malorum causam esse: Ergo si quid mutationis naturæ irrogabitur, divinæ voluntatis, reformatio erit, homini in naturam non permissa injuncto per rationem observantiæ studio. Seneca Epistol. 107. *Ad hanc legem animus noster aptandus est, hanc sequitur, huic pareat & quacumq; sunt debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam.* Augustinus similia. lib. 2. de Civitate DEI cap. 22. *Divina, inquit, nos admonet providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ibi credere occulta: sicut alia, quæ vix potuimus invenire. Atq; hæc ipsa aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio.* Ut etiam moralia naturæ conditionem sequuntur, ita quoque talia ea poscit naturalis justitia, quæ talia sunt concreata rei cujusque natura: Juxta hanc justum naturaliter dicas, quidquid secundum naturam necessarium; non injustum, quod illa non invita nec reluctante fieri valet: Injustum per quod à natura cujusque rei disceditur. Sic conjunctio maris & foeminae, quam matrimonium vocamus, juxta aptitudinem, quæ naturæ hominum ad-

dita.

data fuit, naturalis juris, ei vero contrarius coitus, plane & naturaliter horrendus est, qui naturalem usum, uti *Apostolus ad. Rom. c. 1. vocat.* in non naturalem pervertit, ut fit per commixtionem maris cum mare, foeminae cum foemina, hominis & bestiae. Similiter linguam considera, ad quem usum naturaliter destinata fuit, ex eo jus oritur animi sensus, ubi opus, juxta veritatem exprimendi, & injustum fit vera celare, falsa dicere, verba ad fraudes convertere.

VI. Secundum naturae axioma est: *Quod per naturam cuius, suum seu proprium redditum est, relinquatur integrum & imperturbatum.* Ex eo quippe naturale jus est omnibus, quorum interest naturalia in suo statu servari. Constituit eam legem DEus ipsa creatione, ut perpetuam & humanitati infixam. Non aliter rationi, in ista materiam habenti appropriatam, convenit, cum qua convulsa omnia ejus erunt incerta & inepta: Quid enim certum esse potest rationi, si naturae proprietates, quae scientiarum, artium imo virtutum principia exhibent, sint in incerto, mutabilia ac sub aliquo humano arbitrio. Declarat istam infelix semper successus eorum, in quibus, quae ex natura sunt propria, evertuntur, corrumpuntur, mutantur. Exinde omnes fere errores in veram Philosophiam, imo & in alias scientias irrepererunt aut invaserunt. Nec jurisprudentia parum incommodi patietur, ubi circa moralia, quod natura proprium effecit, mutabitur, in quo fundamentum & rudera habet. Nec potest non naturaliter injustum fieri, quod ab isto alienum, dum summum juris axioma ut suum cuius; tribuatur justitiae parenti ac nutrici naturae denegat. Exemplum axiomatis esto in omnibus, quae per naturam hominis sunt facta, quorum penes hunc secundum illam est proprietas, dominium, arbitrium, ut pro commodo vel utilitate iis

uti, frui, retinere, remittere liceat, cujus jus est ex concessione naturæ liberum, quatenus in singulis etiam observatur, quod secundum hanc fit. Ita quisque dominus est membrorum ad usum, at non ad perniciem. Ex eo etiam post rerum dominia constituta proprietatum, quas quisque in bonis habebit, facultas ad libitum naturalis est. E contra injuria, naturalem facultatem cohibere, sua alicui clam vel vi auferre, ut quis de suis invitatus statuatur cogere. Unde naturaliter injusta sunt furta, rapinæ, violentiæ, extorsiones, coactiones &c.

VII. Tertium naturalium axioma est, *ut eorum*, *quæ orbi natura dedit vel concessit, usus sit non impeditus*. Ad aliquem pro parte per Deum & naturam omnia dicata & parata sunt. Nihil aut fecit aut accepit hæc frustraneum. In isto summa ratio est divinitus datorum, ut hominibus usui, & isti ex hoc felices sint. Nec potest non utriusque refragari, adeoque injustus esse, qui facit, unde creaturæ sint inutiles. Naturale jus hinc exigit usum & quidem utilitati orbis intentum: per id vetat, usus invidiam, impedimenta, perversionem: Molestias item, difficultates & afflictiones, quæ illi oneratur. Exemplum esto in libertate quam homini natura dedit. Ex qua naturalis eaque justa facultas est ad quælibet naturaliter non injusta, quamdiu vel limitem sub civitate consensus hominum & ex hac lex non posuit, vel singuli eam à se non abdicarunt, id quod publicè privatimque facere libertatis ejusdem est. Quidquid sine hoc fit vel infertur contra libertatem, naturaliter injustum habetur, dum usum bonorum, quem natura dedit, aufert. Unde Juris servitutem dicunt juris gentium constitutionem contra naturam. Similiter ex natura libera facultas est ad conjunctionem maris atque foeminae. Ex qua ad
cam.

eam omnibus jus & libertas. E contra istam auferre, prohibere, aut coactam facere, contra naturam atq; sic naturaliter injustum. Ita etiam subsume ex usu naturalium homini pro vitæ sustentatione & usu per naturam dato. His frui cuique jus, ideo prohibitio vel difficultatis injectio, adversus usum rerum communium injusta, nisi propitia natura ex ratione quidquam cohibere hominibus utile vel non in commodum sit, ut circa venationum, piscationum, aucupiorum, commerciorum modum statui solet.

VIII. Quartum naturæ axioma est, *nequis per naturam ad usum datis abutatur.* Quod juxta naturam DEUS inter gravissima peccata numerat. Fit autem, vel sine usu ad vana vel mala creaturas insumendo, ob quod ipsas adeoque naturam in ipsis gemere, & liberationem à tali servitio tanquam inter anxietates suas suspirare Apostolus *ad Rom. cap. 8. v. 22.* notabiliter scribit; Unde naturæ jurè luxus, prodigalitas, crapula, luxuria, ebrietas & similia improbantur: vel istas cum utimur siue usu insigniori perdendo, quomodo contra naturam peccant, qui rationem non habent vel sui corporis, membrorum & vitæ, vel sanguinis alieni, in se per nimiam duritiem & ultra vires assumpta onera, vigilias, labores; in alios per sæva & insolita crudeles seu nimis graves: vel denique in perniciem hominum convertendo. Cicero lib. 2. *Offic. Nihil est tam inhumanum, quam à naturæ ad salutem hominum data ad bonorum pestem perniciemq; convertere.* Ex quo à naturam abhorret, ferrum ultra defensionis necessitatem in necem vel injuriam hominum convertere, herbas & alia pro veneno ad homicidia adhibere, pecuniam scænorum ad exhaustiendum alienas opes atque inferendam egentibus paupertatem impendere.

IX. Quintum naturæ axioma est: *naturalibus*

utere juxta conditionem natura. Natura suorum usum non fecit promiscuum atque plane arbitrarium, sicut nec omnia naturaliter ad eadem, sed quibusdam saltem sunt apta. Quidquid autem pro usu decrevit ipsa vel ejus autor, legem facit usus, eumque naturalem. Nascentur hic ex fine atque aptitudine. Finis vel est communis, quomodo nihil non ad DEI gloriam atque hominum utilitatem conditum est, vel specialis, prout rerum unaquæque certo usui divinitus reperitur dicata atque appropriata. In quo porro considerandum quatenus & apta est per naturam usui. Ultra aptitudinem naturalem extendere usum, est re abuti & in peccatum incidit, quod per conditionem naturæ etiam improbum est. Eo respicit inter sacras leges vetita Heterogeniorum commixtio velut propria naturæ confusione convellens. *Levit 19. 29.* Explicat sic eam Philo in lib. de Creat. Principio. *Qua sub eandem cadunt speciem in consociationem nata sunt, nec communi- ne conjuncta, qua si quis conjunctione nefaria commisceat, is sane Natura jus contra justitiam (quantum in se est) è medio tollit.* Et Josephus *Archæolog. 4. cap. 4.* dum legem de Heterogeneis sacram suo more tradit rationem adjicit: *Naturam enim communionem dissimilium abhorre.* Nec Hebræorum propriam, sed Noachidarum communem legem esse Magistri Hæbræi tradunt. Habeas pro exemplo animorum ad certam fidem coactionem; corporis & membrorum ad alios usus quam quæ dicata sunt detorsiones; Ex sideribus, quæ luci orbis condita sunt, de mundanis negociis & fortunis vaticinia, ex avium volatu auguria. Distinxit natura sexum & ætatem nec omni eadem congrua ideo nec justa sunt. Similiter pro diversitate ætatis diversimoda est aptitudo. Inconvenientia semper injusta habemus.

X. Sextum, *Natura jus dat ad media sui usus naturalis.* Quia enim finis sine mediis nequit obtineri ad illum quem natura concedit finem, legitimat media. Ex ista lege jus possessionis & usus naturale est ad omnia quæ ad consecutionem finis necessaria aut utilia sunt, & in jura in impedimento, quod istis opponitur, idcirco etiam jus removendi ac objicientem repellendi. Pro exemplo cape ex jure habendi res creatas earumque usum media acquirendi, quæ cum iis natura indulget, ideo & iusta facit. Nempe in his, quæ nondum cujusquam sunt, occupationem, in cæteris, quas alius jam pro suo usu apprehendit, traditionem vel cessionem. Ex eodem oritur necessitas communicationis, quibus abundamus erga illos, qui indigent. Quia sine usus omnibus à natura attributus haberi non potest. Inde juris naturalis est commercium inter homines; ei contraria istius prohibitio & ad incommoda hominum tendens restrictio. Sic porro sequitur per jus naturale constitutum esse marium, fluminum, viarum securitatem & libertatem, tanquam commerciis & acquirendi mediis necessarium, dum sine ista usus naturalis non erit ullus. Cum his natura facit talium impedimenta in genus humanum injuriosa. E contra iusta, quæ obstaculis removendis apta, ubi necessaria. Ex eodem axioma sequuntur & normantur actiones seu petitiones pro jure & beneficiis naturæ consequendis. Legitimat simul auctoritatem, sibi ista sumendi & ad usus suos applicandi, etiam in vitis aliis, ubi non obstat jus proprietatis.

XI. Septimum per naturam axioma est, *de conservatione eorum, quæ condidit & dedit.* Cicero 1. offic. Principio generi animantium omnibus à natura tributum est, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur omniaque, quæcumque, ad vivendum sint
 O 4 necessa-

necessaria, inquirat & paret, ut pastum, ut laribula & alia ejusdem generis. Quæ ut debetur piæ & in mundum tam beneficæ parenti, sic & jus ad se dat, tum ut liceant pro illa omnia; tum ut illicita sint, quæ isti resistunt, aut ad naturæ dona evertenda vel corruppenda tendunt. Et ipsa natura abhorret à sui destructione, ut non possint non esse inimica naturæ, quæ destruunt, ideo justa, quæ conservant. Ex hoc axioma- te existit damni & injuriæ prohibitio, utpote contra- ria conservationi ejus, quod quis à natura habet. Et vicissim mala, quibus quidquam ejus perdi aut destrui potest, propulsandi licentia. Inde naturaliter justû vim vi, fraudem fraude, convitia retorsione repellere. Simi- liter ex eo naturale jus habent omnia securitatis reme- dia & munimenta, quibus aut alii aut nosmet nobis adversus pericula & offensionem metum caveamus. In crimen incidunt naturæ contrarium, sui, & alterius cædes, membrorum amputationes & corruptiones, sanguinis humani nimis vilis æstimatio & promiscua impendia, in hominem & pecudes sævitia, creatura- rum sine usu pessumdatio, periculi amor, & audax incurfus.

XII. Octavum est, *ut suum cuiq; aut maneat aut reddatur.* Non saltem dat vel concedit natura, sed & vult sua attributa servari & non adimi; si vero quid ex eo alteri cedendum, pensari, sicut ipsa semper adeo benigna reperitur, ut, quod in uno omittit, in altero ex- pleat. Cicero: *Legibus populorum constitutum est ut non liceret sui commodi causa nocere alteri, atq; hoc multo ma- gis exigit ipsa natura ratio, quæ est lex divina & huma- na, cui parere qui velit (omnes autem putabunt, qui se- cundum naturam volent vivere) nunquam committet, ut alienum appetat & id quod alteri detraxerit sibi assumat.* Ex ista tanquam radice sunt summa illa juris præcepta, ut

ut partes istius, suum cuique tribuere, & neminem lædere. Quorum illud est, ut, quod cui debetur, cedat: Hoc, ut nihil decedat. Illud jubet iusta unicuique attribui & relinqui: Hoc injuriam & damnum non fieri: In quo utroque fere omnis absolvitur justitiæ operatio. Cujus duplicem speciem Aristoteles facit. *Distributivam, & commutativam*; Alii vocant *Attributricem & Explettricem*, utraque in naturali illo axioma fundamentum & regulam habet. Cujus specialia totus de gentium jurisprudentia tractatus exponet. Hic pro exemplo habeas necessitatem æqualitatis aut pensandi, seu æquum præstandi pro eo, quod alii tui causa decedit, quæ ex isto axioma sequitur. Nam aut quod quisque habet, ei tribuendum & relinqvendum, aut *ἀντιπεπονθός* reddendum. Inde debitum æqualitatis, quam natura constituit, ut in omnibus officiis, negociis, actibus & contractibus cuius sua vel linqvantur, vel retribuuntur æqua seu congrua ei, quod ex iis detrahitur. Quidquid itaque illam excedit, naturaliter est injustum, unde in istis damnantur per naturam fraudes, invidia, læsiones, damna, lucra iniqua, præreptiones, supplantationes, aliaque facinora, per quæ aut non tribuitur, aut demittitur unicuique, quod juxta æqualitatem debetur. Cujus injuriæ campus latissimus est, & omnem fere iniquitatem pervagatur, præcipue vero in contractibus damnatur, in quibus naturaliter ista servanda est.

XIII. Nonum naturæ axioma est, *de custodiendo ordine naturali*. Mundi conditor, qui DEUS ordinis est, quidquid condidit, sub certo ordine conclusit & hunc ordinem legem rerum naturalium constituit, sicut per illum ipsas in sua essentia composuit & ad effectus ordinavit. Nec incitè à nonnullis is ordo jus naturæ dicitur. Isti congrua naturalia simul &

naturæ juris vere sunt. Scaliger de subtilit. exercit. 2. *Sine ordine natura constare non potest. Nihil enim sine ordine meditata est aut effecit. Quæ multa sunt, per ordinem unum fiunt quodammodo.* Ex isto omnes res invicem quandam schesin & relationem habent, natam ex intrinsecâ rei cujusque natura, quæ à re; cui indita, separari non potest, aut non salvo rectæ rationis usu. Ex quo Aristoteles 8. Physic. 1. ordinem vocat *rei cuiusque rationem*; de Cæl. c. 14. *propriam sensibilibus naturam.* Ut autem unumquodque naturali ordini convenientius, sic justius, & quod ab isto discedit iniquum, adeoque infelix. Boëthius metro 6. lib. 1.

Sic quod præcipiti via

Certum deserit ordinem

Latos non habet exitum.

Ex ista naturali lege ordinis quidquid per humanas constitutiones ordinatur munimentum accipit. Exemplum fume ex amore, quo natura homines invicem per cognationem conjunxit & devinxit. Is etsi omnibus per humanitatis vinculum commuais est, tamen & ex ipsa natura ordinem habet. Ut cognatio propior vel remotior, ita gradus ejus diversi. Incipit ordinata Charitas à semetipsa, uti quisque proximus sibimet ipsi est. Post se uxor velut una caro; inde liberi, ut pars corporis; post hos cognati; porro alii omnes, sed nec hi eodem gradu amorem à natura addictum habent. Qui in isto cognationis est naturæ ordo, is jus circa amorem facit & definit, uti unus alteri in his, quæ per amorem mutuam debentur, præferendus sit, adeoque is facit regulam comparationis officiorum, & debitorum, in qua non postrema ut difficillima juris naturalis pars consistit. Aliud præbet ordo, quem DEUS & natura fecit domui vel familiæ. Quam voluit construi ex marito & uxore: Illum caput & dominum,

num, hanc auxilium condidit, ex conjunctione prolem gigni voluit, & pro hoc fine subordinavit. Idem officia singulorum in domo, potestatem patrisfamilias, adjuncta matris obsequia & cultum erga utrumque sobolis omnium inter se pro conditione sua amorem construxit, unde necessaria & juris naturalis fiunt cuncta isti ordini domestico congrua debita; impia autem & damnata iisdem contraria.

XIV. Decimum est ex naturæ integritate, *ut congenito pudori omnia convenient.* Quomodo ad honestatem, ceu decus quoddam intrinsecum, à DEO ordinata & composita est; sic juxta illam omnia in honestate fieri debent. Cujus incitamentum & vinculum animo indidit pudorem, qui à turpibus abduceret, ad honesta instigaret. Cujus commendatio ideo in scriptis JCtorum non modo, sed & in legibus frequens. In quibusque naturalibus observatio pudoris per ipsam naturam velut injungitur. Intellexere JCti, qui primum summumque juris præceptum fecerunt, honeste vivere. Ex hoc naturalis libertatis repagulum & restrictio existit, unde Regula Juris: *Non omne quod licet, honestum est.* Cui simile dictum Senecæ: *Quod non vetat lex, vetat pudor.* Etsi itaque per naturam quædam libera, tamen juxta hoc axioma cum illo modo seu exceptione sunt accipienda & facienda, si honeste & salvo pudore fient. Exemplum tibi præbeat libertas, quam natura omnibus dedit, sed nisi secundum bonos mores exercere non sinit. Est libertas matrimoniorum, at cum ex indito pudore natura abhorreat à denudatione proximè conjunctorum, per illam non licet in eorum eundem istos confundere & carnaliter misceri. Simile est ex eo repagulum potestatis, quam natura homini in hominem permittit, ut circa illam non saltem licentiæ, sed pudoris atque honestatis habeatur ratio.

XV. Ge.

XV. Generalia naturæ axiomata, quæ ut naturalis juris summa & prima argumenta hæcenus retuli, & exemplis declaravi, ita sine dubio quisque comparata reperiet, ut non modo de istorum certitudine & constantia non dubitet, quid natura pro jure servatum velit facile capiat, & porrò in singulis suo apte ingenio statuere valeat, sed etiam ex iis, quæ juris naturalis sint conveniente ratione haurire, derivare, rebusque & negociis applicare queat. Sunt quippe ista principia ex quibus oriuntur summa præcepta, quæ mediante rationabili syllogismo pariunt in omni materia, quæ ad jus pertinet, naturaliter justas illationes. Verum quando jus hominibus constitutum est, homines isto reguntur, humana non modo juxta illud componenda, sed humanis illud dextro usu attemperandum est, utique ad pleniorè aliquem intellectum non parum faciet inter præliminaria jurisprudentiæ gentium, pro naturalis juris fontibus eo melius noscendis & ultra derivandis, quæ per naturam hominis sunt, & quomodo jus naturale faciant & indicent, quæ exinde naturalis juris sint, indagare & paucis delineare. Et si enim ista principalia naturæ axiomata transeunt per omnia orbis naturalia, ex iis cum in juris quæstiones & tractatum incidunt, censenda, usurpanda, conservanda; nullibi tamen magis quam circa hominem conspicua, nec alibi jus, quod in & ex iis est, ostendentia. Sui causa jus aliud quod propriè ita dictum nihil rerum habet, quia nec ratione præditæ, nec vel sui causa conditæ sunt, sed a lii creatæ, homini nempe, ad servitium & usum. Cicero lib. 2. de Natur. Deor. *Quorum causa quis dixerit effectum esse mundum? harum scilicet animantium, quæ ratione nituntur; hi sunt DEUS & homines, quibus profecto nihil est melius. Lactantius de Ira DEI cap. 13. Vera est sententia Stoicorum, qui ajunt, nostra causa mundum*

mundum esse constructum, omnia enim, quibus constat, quæq; generat ex se mundus, ad utilitatem hominis accommodata sunt. Inde quidquid orbis est, ex fine & usu suo in homine velut in centro concurrat. Physici idcirco, ut ait *Macrobius lib. 2. in Somn. cap. 13.* mundum magnum hominem dixerunt, & hominem brevem mundum. Philo Judæus in *script. Quæ divin. action. habes.* Parvum mundum. Non immerito Seneca *lib. 6. de Benefic. cap. 23.* de isto orbis compendio scripsit: *Non habet natura inter maxima operum suorum, quo magis gloriatur, aut cui gloriatur.* Quidquid tamen usus atque potestatis homo in cæteris mundanis ex ista præcellentia obtinet, astrictum est cum naturali istorum conditioni, quam ex divina sapientia & providentia acceperunt, tum & fini, ad quem creatæ aut destinatae sunt. Cuncta serviunt homini, singula ex sua natura. Quæ etsi ipsis contra hominem jus non tribuit, homini tamen jus velut naturale dicit, ne aliter, quam secundum istam utatur. Cicero *1. Offic. Sic est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendemus, & ea tamen conservata propriam sequamur.*

XVI. Scientia juris in homine naturalis constat ex recta hominis atque humanorum notitiâ. Hæc sine quid justum injustumve homo scire vel intelligere nequit. Magni refert, sui non esse ignarum. Fundamentum justitiæ est, perspecta esse, quæ hominis sunt propria. His sine qui capies quæ congrua, æqua aut iniqua? Non frustra commendatur id *γνώθι σεαυτὸν. Nosce teipsum.* Hoc sapienti seu Chiloni, seu Bianti, seu Thaleti roganti, quod optimum, respondit Apollo. Unde primam hanc vitæ regulam descendisse ex cælo dictum Philosophorum est. Inscripta fuit vestibulo & in aditu templi Delphici, ubi ingressuri se adsperebant vel lavabant una cum altero dicto *μηδὲν*

μηδὲν ἄγαν, ne quid nimis. Ad sui ipsius notitiam, præprimis pertinet cognitio ejus quod suum. Quod vel in homine est, vel extra hominem. Hoc respicit vel homines, vel creaturas cæteras. Ut in singulis natura quædam habet aut fecit propria, ita exinde legem homini dicit, ad observanda illa quæ naturæ sunt. Et quod ex illa in his congruum vel incongruum, hoc naturaliter fit justum aut injustum.

XVII. In homine, quæ naturam ejus intelligendam & jus inde hauriendum atque applicandum, considerandæ sunt tum partes, tum proprietates seu qualitates. De quibus videamus; non ut vel juxta Physicorum dogmata plene, quid circa hominem naturæ sit, exponamus, vel juxta Juristarum ex iis translationes hic omnia præcepta juris prolixius explicemus, sed tantum ut prima velut lineamënta naturalis gentium jurisprudentiæ in ipso homine, ejusque naturalibus in tabula adumbremus & fundemus, cui integer de iis tractatus addet meliorem lucem & exquisitiorem effigiem. Sicut enim pictores ab obscurioribus lineamentis destinatarum imaginum ad expressiora progrediuntur, & iis tandem per hæc consummatam formam addunt; sic nobis in tradenda ista expeditius visum inter præliminaria, ex homine humanum jus delineare, unde postea velut ex suis fundamentis & indiciis totum corpus constet. Prima ista observantibus & menti recte insinuantibus, postea non modo certiora erunt, quæ inde deducuntur, sed etiam deprehensis ita jurisprudentiæ velut non fucata Philosophiæ in natura existentibus principiis atque fundamentis, facilitate multa ad omnia, quæ juris studio expediunt & ad justitiam ducunt, progrediendi gaudebunt.

XVIII. Partes hominis duæ sunt: Anima & corpus. Cujus tam substantia, quam facultates habent, quo ad justa ducimur. Animæ substantia est in spiritu,

tu, quem ex inspiratione prima homini inditum naturæ opus traducit ad omnem posteritatem. Spiritus est, qui primitus à DEO venit in corpus, & è corpore ad ipsum redire debet, ideo devotus DEO & sedes divinorum. Ex quo *primò* ejus obligatio ad divinitatis tum imitationem, tum cultum, qui est ex religione. Hujus naturale jus ex ipsa animæ naturali conditione, quæ homines obligat ad DEum noscendum & colendum, ideo pro anima faciendum, quo iis sit imbuta, dedita & sacra. Eo intuitu JCtus in l. 2. ff. de Just. & Jur. Religionem istius esse dicit. *Deinde* ex quo anima spiritus est, potestatem corporalem superat, isti non obnoxia, nisi quatenus mavult corporis gratia cedere: Ex quo naturæ adversa & injusta est in conscientias & animos sumpta potestas terrena. *Tertiò* divinitus ipsi jus domicili factum est in corpore; quare quæ emigrationem ex hoc ejus nihil arbitrii humani est, inde ex ejusdem natura nefas ejicere tum suam, tum alienam animam, nisi quatenus autor vitæ potestatem facit; & improba quæ ad animæ exitum arrogantur. *Quartò* dignior pars hominis facta est anima, cui cedunt omnia, quæ sunt hominis alia. Inde jus factum nihil non in istis esse et fieri cum exceptione salutis animæ: Pro hac omnia justa esse. *Quintò* propria animarum immortalitas, quam etiam gentiles sapientiores ductu rationis intellexerunt, ducit ad earum singularem curam, tum quamdiu adhuc in corporum ergasterio commorantur; tum quando exibunt, ut quo debent revertantur. Quemadmodum illius non tantum nostri, sed etiam aliorum debitum est ex naturali pietate, ita ejus neglecti quam perniciofa tam improba injustitia. Quæ major esse nequit quam eorum, qui immortalem animam, quæ interire nunquam potest, semper perire velint, imo si perituræ non de remedio prospicient.

XIX. Ani-

XIX. Animæ plures sunt connatæ facultates, quas Aristoteles *Δυναμεις*, Plato *partes*, Aliqui Philosophorum *species*, Varro *gradus* vocat, De quibus Augustinus de Civitat. Dei lib. 7. c. 23. *Varro in libris de Diis selectis tres esse affirmat Anima Gradus in omni universali Natura. Unum, qui omnes partes corporis quæ vivunt transit; & non habet sensum, sed tantum ad vivendum valetudinem. Hanc vim in nostro corpore permanere dicit ad ossa, ungues, capillos: sicut in Mundo arbores sine sensu aluntur & crescunt, & modo quodam suo vivunt: Secundum Gradum dicit, in quo est Sensus; hanc vim pervenire in Oculos, Aures, Nares, Os, Tactum; Tertium Gradum Anima esse summum, qui vocatur Animus, in quo intelligentia præminet; hoc præter Hominem omnes carere mortales. In anima ita animus est velut præstantissima ejus facultas. Philo de Opific. mund. Homini animum eximium dedit, aliam anima animam & velut pupillam in oculo. Discrimen notat Attius apud Nonium:*

Sapimus animo, fruimur anima: Sine Animo Anima est debilis.

Ad jus vimque suam noscendam valde expedit non ignare animum: Cicero i. Tusclan. *hanc vim habet præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim id præcipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus: Neque nos corpora sumus, neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico, cum igitur, Nosce te dicit, Nosce animum tuum; nam corpus quidem quasi vas est aut ali-quod animi receptaculum; ab animo tuo quidquid agitur id agitur à te. Prætipua per naturam animi functio est, ut sit lux & dux omnium humanorum. Inde ille destinator & rector est actionum: Ex illa naturali facultate oritur, primò jus hoc, ut nihil valeat sine animo. Quare quando ille ab aliquo actu vel negotio abest,*
nihil

nihil agitur, aut actum nullam est. Incipit actus ab eo momento, quo accedit animus. *Secundo*, exinde animo jus actui qualitatem dandi. Taliter actum, & ita actus valet, qualis animus fuit. Ex quo enatum, quod Icri in ore habent; *Animum dicentem actus, & quidquid factum, ex eo nomen, vim, & meritum accipere*, quod in animo facientis fuit. Contractum non perfici, nisi quatenus animus utriusque consentit: Quidquid animum impedit, impedimento esse negotiis: Plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur. *Tertio* naturalis est obligatio, ut quæ aguntur, fiant ex animo, & quidem tali, quæ signa ejus congrua ostendunt. Unde post hæc dicere animum abfuisse vel simulatum saltem turpe nec quidquam profuturum est. *Quarto* bonitas vel vitia actuum censentur ex animo, ut is bonus malusque ad istos accedit. Inde naturalis censura criminum ex eo, quæ deinde modum turpitudini & pœnæ facit. *Quinto*, est inde debitum, tam explicandi animum, ubi interest eum intelligi, tum indagandi quando scire refert. Injusta sunt per naturæ jus, quæ contra id sunt.

XX. Animo DEUS intellectum indidit & voluntatem. Istum aptum & efficacem fecit ad scrutandum noscendumque; præter divina, quod orbis habet. Quem Aristoteles *lib. 1. de Demonstrat.* vocat *principium, & originem omnis scientiæ*. Circa illum, ex ipso met. *Prima natura lex est, ut nihil agatur sine intellectu*. Quare nihil juste agunt, qui non intelligunt, vel quia isto plane carent, ut amentes, furiosi, infantes, nimis simplices, quorum acta ideo jure naturaliter nulla & sine præjudicio ipsorum sunt: vel quia quem habent, non adhibent, aliud intendentes quam agunt, ut ignorantes, imperiti, negligentes, socordes, &c. vel quia adhibere impediuntur, seu dolo alieno, seu errore suo. Ex quo actuum, qui per hæc intellectui contra-

traria fiunt, vitia sunt naturalia, omnem vim & effectum impediencia. *Secunda* est de intelligendi debito, ut quisque quod suscipit intelligere studeat, mediisq; ad intelligendum aptis utatur. Ad officium inde hominis pertinet, quærere eorum quæ ad se pertinent intellectum, sine quo extra hominem est. Vicissim naturæ contrarium, nolle isto aut quæis paratur uti, adeoq; inter peccata, qualium per jus naturæ fiunt rei negligentes, incuriosi, crasse ignorantes, temerarii, inconsiderati, quorum nulla ideo excusatio & injusta de non intellectu eorum, quæ egerunt, cum per legem naturæ intelligere aut abstinere debebant, allegatio. *Tertia* ex fine est, ut intellectus convertatur ad ea quæ hominem scire decet. Horum quippe gratia datus & his velut astrictus est. Contra quam peccant, qui ab iis ad prava, perversa, vana, ludicra, noxia, quod usui datum convertunt. *Quarta*, ne intellectus corrumpatur, ut fit aut per affectuû, quæis animus turbatur præpotentiâ; aut per admissa, quæ integrum nõ sinunt intellectum, aut præpediunt. *Quinta*, ut cum modum habeat, ultra eum non extendatur, sunt quæ humanum superant captum. Qualia pleraq; divina non scienda ulterius quam verbo aut opere revelata. Aliorum scrutatores in semet non minus quam DEum peccant, ideo curiositate sua obruuntur. Si quæ Deus aut natura voluit abscondita, ex naturali intellectus lege ad ista nõ porrigendum est studium. Sunt quæ vacant intellectui, sed non omnium, aliquorum etiam ex suo neglectu. Quia ex intellectu & pro modo ejus agere lex est naturæ, peccatur, quod illum excedit arrogando. Quo pertinet Ictorum regula, *imperitiam culpa annumerari*, ex qua tenentur, qui supra scientiæ vires cum alieno incommodo quæpiam tentant.

XXI. Addita in animo intellectui voluntas, & sic hæ, duo conjuncta, ut divelli non debeant. Inde circa voluntatem lex naturæ *prima*, ut nemo sine intel-

le-

lectu velit : Aliter facta aut suscepta nulla sunt. Jctis ea regula est : *Non velle qui non intelligunt.* Ex qua hæc sententiæ : *Errantis nulla voluntas est ; velle non creditur , qui decipitur.* Per voluntatem animus se explicat , ipsamque sui argumentum facit. Ex eo altera naturæ lex , ut ipsa unà cum intellectu sit actuum humanorum velut Regina & moderatrix. Ex qua naturaliter justum , cuncta ex voluntate consistere , declarari , accipi , vim accipere , quæ quis velit rata esse. Natura autem voluntati indidit appetitum boni & aversionem mali. Quæ perpetua ejus proprietas est. Ex ea *tertia* voluntatis lex , ut placeat bonum , vitetur malum. Officium hinc hominis naturale , non velle , eligere , approbare , nisi quæ rationem bona. Aliter facere , ex ista peccatum , quod damnat conscientia. Nec vel ejus voluntas , sed voluntatis defectus habetur. Pulchre Augustinus de Civit. DEI lib. 12. cap. 6. *Mala voluntas est efficiens operis mali. Mala autem voluntatis. Non enim est efficiens , sed deficiens , quia nec illa effectio est , sed defectio.* Isti consequens , quidquid voluntati placeat , quæ volentem habere rationem boni. Quare fit , ut jure naturali nemo contra placita , utut noxia & incommoda , quæ ex voluntate semel boni conditionem cœperunt , restituatur in integrum , læso non subvenitur , volenti non fit injuria. Quod quæ quis perperam vult , verè bona non sunt & tamen appetuntur , ex vitiis hominum non recte judicantium proficiscitur , quorum causa jus naturæ non sinit immutari naturalem voluntatis rationem. Sibi autem DEUS & naturæ subditam fecit voluntatem , ex eo *quarta* lex naturalis , ut nihil velit , quod DEO & naturæ contrarium. Ex quo improba & invalida sunt divinis & naturalibus legibus contraria pacta aut facta : Quæ nec velle nos posse Jcti fantur. Similiter impossibilia ,

absurda, inania velle, legi isti repugnat, ideo in vitio est & effectu caret. De cætero in iis, quæ humanæ facultati reliquit natura, in iis voluntatē fecit liberam; inde lex ejus *quinta*, de non cogenda voluntate. Ex qua cū omnia quæ ex voluntate incipere aut consistere debeant, oportet esse spontanea; vis, metus, minæ, quævis infertur coactio, naturæ invisa & improba sunt. Coacta non merentur gratiam aut præmiū, nec etiam vim ultra obligandi habēt, quam quis alias ex natura vel lege debuit. Per libertatē, voluntas hominis ex se mutabilis est, & in arbitrio volentis, aliter velle; hinc lex naturæ *sexta*, quod nemo sibi eam legem dicere potest & debet, ne aliter velit. Tollit quippe voluntatē sibi, quod naturæ ejus contrarium. Ambulatoria ista est naturaliter. Fas cuique emendare sententiam, prout res ferent, rebus suis ex placito consulere, mutare propositum, desistere à cæptis. Novissima hinc voluntas prævalet, & pœnitentiæ locus relictus, donec voluntas est integra, seu dum velle licet. Quod ejus est, qui potest & nolle, juxta regulam *Jctorum*. Inter vitia itaque naturæ contraria habetur obstinatio & pertinacia. Per libertatem autem connatam apta est voluntas ad cedendum de jure suo & jus dandum, adeoque se submittendum alii. Et eum pro humanis necessitatibus vitæque tranquillitate sæpius hoc opus fit, quam per naturam quæ volentem arbitraria est voluntas, tam quæ alium, cui se se tradit fit necessaria. Ex libertate ejus sic abdicatione jus cedit alteri validius, unde orta est *lex septima*, voluntas alteri dedita & submissa amittit arbitrium & fit juris alieni. Duplici id fit modo, vel jus quod quis habet alteri remittendo: *Remittentibus ad semel abdicatione alterius cause non datur regressus*; Ex quo remissionum, renunciationum, liberationum vis naturalis; vel jus aliquod in alium transferendo, ut fit pactis, pro-

promissis, translationibus rerum, cessione facultatis in nostra: Ex ista fides aliis data naturale jus & potestatem accipit, robur placitis accedit. Inde istius regula, *quod semel placuit, postea displicere amplius non debet.* Ita quæ intrinsece libera est voluntas, ex accedente alieno jure, quod ipsa efficit, fit restricta, ut quod voluit, alteri velle debeat. Et hæc omnia, ut sunt ex natura voluntatis, ita per hanc naturalis juris.

XXII. Animi & in eo intellectus atque voluntatis ex se in sensus aliorum non incurrentis ideo inter homines nisi cognoscetur inutilis, natura fecit indicia, per quæ iste aliis patefceret. Quorum præcipuum in lingua ad id ut mentis clavis sit condita. Alia tamen etiam accesserunt, tum in gestibus, sicut natu, risu, fletu, & similibus animus proditur; tum in factis, sub quibus & non facta complectimur, in & cum quibus foras in publicum iste progreditur. Quo pertinet Jætorum disterium, *factis non minus quam verbis, imò fortius, sensum mentis edi.* Concreata illa animum exprimendi facultas istique addita media diversas juris naturalis regulas seu leges inducunt. *Prima* est, ut animum quisque suum, quoties opus, signis depromat, sic ut non secum quis solum sentiat, intelligat, velit, sed ut & alter, cujus interest, intelligat & de voluntate certius fiat. Unde in negociis, quæ cum alio intercedunt, si inutiliter agi non debet, exprimendi necessitas, & ex hac tum istum non recte exprimentium seu occultantium contra naturam peccatum, quod damnet, velut sibi imputaturos, omnia incommoda quæ ex obscuritate proveniant; tum non intelligentium, inde errantium excusatio. Ex isto nascitur *Secunda*, ut animi nisi suis iudiciis proditi nulla sit inter homines & in humanis negociis ratio aut æstimatio. Quidquid igitur intra illum manet,

tum impune est, juxta juris regulam, *cogitationis pœnam neminem pati*; tum etiam sine commodo & effectu, quomodo dicimus: *Propositum in mente retentum nihil operari*. *Tertia* est, quod signa ad exprimendum mentem adhiberi debent apta, nempe clara, perspicua, certa. Unde obligatio ad vocum proprietatem seu earum usum, qui est vulgaris & ad intelligendum idoneus. *Quarta*, ut animo verba cæteraque exprimendi signa sint congrua, hoc est, ut non aliud sit in mente, aliud in signis. In quo discordia naturaliter negociis obstat, cum non valeant, quomodo animus fuit, dum non exprimitur; nec ut signa indicant, dum animus abest. Inde oritur naturalis ad veritatem obligatio, & ei contraria mendacii, simulationis, fraudis turpitude. *Quinta*, ut secundum signa, quia menti dedita sunt, & mens ipsis congrua esse debet, animus accipiatur, talisque judicetur, qualem illa sua proprietate exponunt; unde aliter sensisse quam dicitur non capitur præsumptio, nec admittitur, nisi alio accedente, quod releveret, excusatio. *Sexta* est de virtute signorum, ut ex iis jus accedat eis, quibus eduntur, ad exigendum vel declinandum quod indicant, cum alias inutilia futura sint. Consistit ex illis fides.

XXIII. Altera hominis pars corpus est, ac propter animam, quæ isti inflata corpore fruitur ad custodiam & usum, pro ista domicilium, pro hoc ministerium præbet animæ. Uterque finis addicit isti corpus, ex quo circa hoc *Prima* naturæ lex, ut corpus animæ pro isto serviat & obediat. Cujus in istud dominium facit, huic istud subditum & debitum. Ex hac *altera*, quod corpori nullum in se jus sit aut arbitrium, sed animo velut domino subjectum sit. *Tertia*, quod vicissim nec animo in corpus amplius licet, quam in seipsum, cum sine corpore terræ superesse non possit; debeat autem
quam-

quamdiu spiritum danti placet. Quare nihil in corpus suum quisque potest aut debet statuere, vel sibi sumere, vel alteri promittere, ex quo damnum vel discrimen animæ. Quo respicit Ictorum illa sententia: *Neminem membrorum suorum esse dominum.* Et cum animæ causa, quæ ut æterna sic æternitatem amat atque aspirat, insitum non modo sed & injunctum sit desiderium perpetuitatis, ex illo orta lex quarta, quod quoque corporis sui conservationi studere oporteat. Vita quippe est in conservatione membrorum, nec superstes terrenis potest esse anima, aut istis ului sine corpore, hoc destructo domicilio exitura. Hinc per jus naturæ improba in corpus & membra sunt sæva, exitiosa, perniciofa. Jus domicilii, quod anima accepit naturaliter, prohibet in corpore per quæ in illo commoretur difficilius ægriusque, nec & finit ut corpus aliquo suo facto illam jubeat vel sinat exire. Improbæ hinc violentæ in se manus, amor & incurfus periculorum. Quinta, Ministerii, quod debetur animo, lex naturalis est, ut ad animum composita sint corporis membra, non secus atque mores famuli ad nutum domini. Illud itaque requirit primò compositionem corporis animo decoram, seu ut qualem decet esse animum, tale se exhibeat corpus; Sic Tertullianus de Anima cap. 9. humanam ei formam assignat scribens: *Effigiem animæ non aliam præter humanam, & quidem ejus corporis, quod unaquæq; circumtulit.* Cui consequens non relictum esse homini gestuum arbitrium, ut incedere, membra flectere, nudare, tegere ora vultumque formare velit, sed id ei, quod decet, astrictum, quatenus id egreditur factum vitiosum, & naturæ seu debito ministerio non conveniens esse. Pudor itaque oritur naturalis ex distortis, indecenter compositis aut indecore exhibitis membris, & inter

vitia refertur in his levitas, impudentia, indecorum, quæ sunt argumenta juris circa talia naturalis. Deinde animi exhibitionem congruam. Non ex se patet animus, per corporis membra ununcios se ostendit. Est inde lex naturæ, ut quævis emittitur animus, ipsi sint conformia & isti exprimendo apta. Ingenuitatem in eo laudamus. Ficta & falsa improbamus. Porro potiores istæ in homine partes animæ corpori hanc legem induunt, ut ejus causâ, ne pereat aut ab ipso sine DEI voluntate exeat, omnia pati debeat, nec justum sit, quo sibi cum ipso periculo & damno consulat. Inde oritur debitum patientiæ (miseriarum), cruciatuum & afflictionum in corpore, pro evitandæ peccato, ex quo anima malè habeat. Viciisim exinde injustum fit, quod ita corpori etiam ex merito infligitur, unde anima semper possibili modo salvanda in æternos cruciatibus venire queat. A quibus ipsa natura suæ æternitatis non neficia abhorret. Quæ porro corporis materia est, nempe limus, ad justitiam quoque non pauca monet, præcipuè tam ut fragilitatis humana ratio habeatur in his, quæ corpori & membris imponuntur, in debitis operariis, servitorum, pœnæ hær &c. nec ultra patiendi modum irrogentur, in quo excoctus ut nature sic naturali juri repugnatus, ut postquam anima à corpore evocatur, reditque unde venit, etiam corpori ad suam materiam redeundi occasio sit; unde fœnerum juxta derivantur, & naturalem legem accipiunt.

XXIV. Proprietatem hominis naturalium, quæ circa jus naturale præceptis spectari atque applicari debent, prima & præcipua est, quod DEUS & natura hominem fecerunt animal rationale. Ratio est eadem forma animæ, qua à cæteris animalibus discernitur atque felicior est. Quemadmodum itaque homo ex

câ

eâ sit & est homo, ita in humanis præcipua ejus cura & custodia incumbit, nec gravius contra naturam peccatum existere potest, quam in tanti tamque preciosi depositi negligentia. Quæ scaturigo est omnium errorum, perversitatum atque criminum. Quidquid hominis est, id rationi subest, quam natura velut rectorem humanitati præfecit. Cicero lib. 5. de finib. *In homine summa vis animi est, in animo rationis.* Ut vero non otiosa esse, sed hominem regere atque ducere debet, ita & ubique prævalere. Ex isto lex nature prima, ut quidquid in homine est, aptetur & observetur rationi, quod naturaliter ejus potestati, quam Deus & natura tribuit, consequens. *Altem*, ut homo nihil sine ratione agat. Ex qua inepta, absurda, quæque nullum usum habent, seu ut *J*cti loquuntur, ubi nihil interest, dicta & facta jure carent. Eo pertinet, quod dicimus, paria esse nihil dicere vel facere, & sine ratione fieri. Item, contradictionem non justificatam, nempe quæ ratione destruitur, nihil operari. Quando autem inter tenebras, quas animis circumfusdit depravatio, multum obscuracionis huic luci contingit. *Terra* injungit curam noscendi & observandi doctrinam rationem, ex qua decent illa studia, per quæ ad usum dextere rationis devenitur, datanturque desidiosa, ineditantia, temeritas, imperitia. *Quarta* imperat non luctam modo adversus impedimenta rationis, quæ sunt ex præconceptione opinionibus, erroribus, affectuum vehementia, voluptatum amore, otio, lascivâ, luxuriâ, sed omne possibile studium ista sub rationis tanquam regis imperium redigendi. *Quinta*, ne quis ratione, quam, ut Cicero ait, pro Divino dono mortalibus dedit, abutatur ad fraudem, perniciem, evillationes, ineptias & cetera improba, idem lib. 3. de Nat. Deor. ait: *Sæpius foret, nullam à Deis im-*

mortalibus rationem datam, quam cum pernicio. Sexta prohibet admitti, quæ rationem ejusque usum debilitant & corrumpunt, qualia sunt, quæ ratiocinandi facultatem destruunt aut labefactant, quæ mentem de statu suo dejiciunt. Quod & contingit per iram, odia, crapulam, seu ebrietatem. Et cum DEUS rationem omnibus fecit communem, velut ducem, *Septima* lex pro omnibus in eadem sita est, ut quidquid rationis est inter populos, sit lex communis, cujus dictamen invicem sibi servant. Unde JCtis ea formula, *perinde esse legem quis pro se habeat, an naturalem rationem.* Cui consequens universalis inter homines ad ea, quæ rectæ rationis sit observatio; Cujus necessitas eorum quæ à ratione deviant facit improbitatem, diversam tamen, ut ex inscitia vel malitia proficiuntur.

XXV. Rationi à natura vis judicii indita, ex quo de omnibus, quæ circa hominem sunt, quæq; in intellectum & voluntatem cadunt, quæq; ex affectibus movet, judicare potest & debet. Inde naturalis facultas, quod cuiq; bonum malumve dijudicandi. Quisq; ideo naturaliter sui aliorumq; judex est. Alium nemini natura fecit judicem, aut si fecisset, tamen inutiliter. Nam cum æquales fecerat homines, quod unus acceperat, & alteri competeat. Circa id vero *prima* naturæ lex est, ut quisque, licet ex animi sententiâ judicet, tamen non nisi ex ratione naturali judicare debeat, quam perpetuum recti monitorem atque indicem natura dedit. *Secunda*, ut dum sui judex est, etiam de alio, cum quo res intercedit, juxta rationis regulam judicare debeat, sed ita ut illum simul recti convincat. *Quare tertia* est, ut judicet, sicut potest judicari ab aliis. Rectum enim non erit naturâ judicium, nisi & alii sic judicabunt, cum in judicando par omnium sit potestas, una rationis regula ideo, inane futurum, quod non & aliis

aliis poterit placere. *Quarta*, ut sic judicet, ne iudicio ejus possit resisti, quod fit, verum eligendo, bonum, unde omne iudicium boni electio est. Quidquid huic contrarium, naturaliter de iudicio jure prohibitum est. Ex quo *quinta* lex exurgit, ut à iudicio removeatur animi perturbatio, aut rationis rectæ perversio. Prohibet igitur, quidquid iudicium corrumpit. Cujus generis sunt, assentationes, blanditiæ, munera, persuasiones, animorum præoccupationes, incuriosa veri indagatio, negligens justitæ trutinatio, præcipitantiæ sententiæ.

XXVI. Deinde natura hominem fecit rectum & integrum. Quod talis non mansit, sed hodie alius est, ex depravatione per lapsum protoplastarum descendit. Sicut vero ipsa, qualis in statu integritatis fuit, nobis adhuc regula vitæ manet; ita etiam post corruptionem naturales leges dicitur, quarum *Prima*, ut omni ope & industria ad primitivam animi rectitudinem contendamus, ex qua incumbit assiduum studium honestatis, probitatis, sinceritatis, taliumque in omnibus vitæ actionibus observatio. A quibus aliena naturaliter illicita & injusta sunt. *Secunda*, ut media, unde proximè ad ista redeatur, curæ nobis sint, qualia sunt proba educatio, ad scientiam atque præxin bonarum artium informatio, boni mores. *Quæ* sunt impedimento, naturale jus lædunt. *Tertia*, ut à probitate desciscentes, coerceantur, ex quo naturale jus est poenarum & castigationum, quæ ad emendationem tendunt, seu acerbo sensu ipsorum delinquentium, seu metu ab exemplo aliorum. *Quarta*, ut evitentur & removeantur reducendæ rectitudinis obstacula, qualia sunt in pravis exemplis, corruptis moribus, mala consuetudine, scandalis, laxâ disciplina. Quorum naturalis improbitas existit.

XXVII. Ter-

XXVII. Tertio natura hominem homini fecit similem, unde JCtus in l. 4. C. de contrab. stipul. ait, naturam omnium pene æqualem esse. Animâ, corpore, materiâ, ortu, formâ & obitu conveniunt, in omnes cæteras creaturas potestatem natura dedit homini, sed in hominem, nulli, per merum inde naturæ jus cuncta omnibus æqua sunt, quæ hominis ut talis propria facta. In quibus differunt, à civitate aut fortuna oriuntur, integra tamen inter ea manente communi natura, sui etiam inter ejus diversa rationem haberi exigente, ne quid per talia contra se & sua, quæ immutabiliter ex similitudine descendunt, committatur. Facit hæc legem *primam*, ut homo hominem contemptis non habeat, seu verbis, seu factis, seu gestu, seu risu, cui contrarijantur fastus, arrogantia, contumelia, convitia. *Secundam*, ut homo supra hominem, se non attollat, sed erga hominem ut parem se gerat modeste & humaniter, præstans humanitatis quæ hominem decent officia; ex nulla sua fortuna, quæ sibi accidit immoderatus, aut contra hominem exurgens, esse supra alium inde erectus. *Tertiam*, ut nobis plus juris non arrogemus, quam aliis concedimus, quod avaritiæ & ambitionis est. Violatur æqualitas, ubi in nos sumus propitii, magis, quam ex libertate minus tribuere possumus. *Quartam*, ut quæcunque jura quis sibi afferit, alii non neget, sed eadem concedat cuique cæterorum. In quo compendium omnis legis, de proximo diligendo, sicut nos ipsos. Et Salvator in expositione legis, idem pro regula tradidit; *Quod vultis, ut faciant vobis homines, facite & ipsis*. *Quintam*, ut in jure cuique, tribuendo utrique parti æqualem, quisque se præbeat, cui adversatur acceptio personarum, illa lege naturali, prohibita. *Sextam*, ut in tribuendis commodis media placeant & præferantur, quæ

quæ æqualiter aut cum minima inæqualitate præstantur iusta. Per quàm naturalis juris est, inter plures dividi res vel bona; si divisionem non patiuntur, communiter utenda præberi; si quantitas rerum permittit, quantum quisque velit; si id non fuit, quantum licet, proportionabiliter ad numerum utentium; Si nec id expedit aut licet, alternatim dari usum, aut sorte de eo transigi. *Septimam*, ut humanitas omnibus peræque constet. Ex qua omnia humanitatis officia communia, servanda omnibus etiam inimicis, æmulis, peregrinis, à religione alienis. *Octavam*, ne homo hominem ad sui conservationem vel consecutionem sic impendat, ut pereat. Nec enim sub æqualitate conditionis omnium cuiquam jus est in hominem, ad eum tollendum. *Nonam*, ut homo hominem sibi exemplum habeat, quod uni evenit, alteri evenire posse cogitans, ideo ex alterius miseriis tam sibi eadem metuens, inde fortunam suam reverenter habeat, quam istis condolens, quare erga hominem semper misericors, clemens, mitis, mansuetus sit. Quibus contraria vitia, superbiam, humanæ imbecillitatis atque calamitatum incogitantiam, duritiam, sævitiam, crudelitatem, austeritatem, morositatem, natura damnat, nec fortuna quævis, quæ alterum præ altero evehit, excusat. *Decimam*, ut æqualitatis servandæ studium in omnibus indiscriminatim observetur. Ex qua etiam, post variè in civili societate discretas hominum conditiones, variantesque factorum & actuum circumstantias, hoc tamen semper remanet, ut non existentem inde disparitatem, omnia ad æqualitatem redigantur, ejusque sit præsumptio, cura & custodia. *Undecimam*, ut in humanis æquitas præprimis servetur, atque omnis juris reliqui rigori prævaleat.

XXVIII. Quar-

XXVIII. Quartò non similes modo natura fecit homines, sed cognatos, quos ex uno communi stipite omnes eodem modo produxit & communem sanguinem effecit, cujus intuitu *Jctus in l. 3. ff. de Just. & Jur.* ait, *naturam inter omnes homines cognationem constituisse.* Præterquam autem, quod illa firmat & arctius devincit ea officia, ad quam similitudo, de quam jam vidimus, adducit, tum & leges quasdam naturales homini indidit & infixit. *Prima* est de mutuo amore, ut quisque alterum velut proximum diligat, quomodo semetipsum, in quo est summa lex charitatis, comprehendens & dirigens omnia officia humanitatis: Contraria illi sunt odia, inimicitia, Invidia, æmulationes, injuriæ, vis, fraudes. *Secunda* est de communione rerum, quæ sunt humanitatis. Ut licet per leges vel mores mundi in hominibus cuncta fere reddita sint disparia, tamen communis ex cognatione humanitas remanens gaudeat suis debitis. Quæ ubicunque alia circa distinctas hominum conditiones invaluerunt, semper intelliguntur excepta & reservata. Hinc *tertia* de perpetua memoria, ejus cognationis & inde colendo studio humanitatis, quod est in benefaciendo, nulla mala & incommoda inferendo, si quæ ab aliis intenduntur, impediendo, resistendo, propulsando.

XXIX. Quinto natura homines in lucem producit nudos & multorum indigos. Adducit tamen benigna hæc mater ad multa inopix levamenta & auxilia, manum veluti egenti præbens, quo ad ista veniat. Sunt talia in concreato hominum ingenio, ad quærendum & reperiendum vitæ subsidia apto; necessitudine & societate hominum communi; dominio, quod in creaturas concessit; beneficiorum virtute ad mutua officia instigante; commerciorum libertate; commoditate

ditate lotorum, & rerum, sic per naturam apparatusum, ut opem necessitatibus non difficilem præbeant. Quibus omnibus qui rectè uti frui sciunt, egestati suæ facile consulunt. At ipsa indigentia jus dat ad artes, modos, vias, media, quibus necessaria sunt paranda. Quibus prohibitionem, impedimentum, restrictionem opponere, juri naturæ est contrarium. Ex quo ideo damnamus artium, mercimonii vel opificiorum ad victum quærendum tendentium interdicta, monopola, annonæ flagellationem, & onera istius difficultatem nimiam inducentia. *Secundo* ex egestate jus oritur, in & ad ea, quibus ad vitam salutemque conservandam carere non possumus. Unde nefas, egenis ad usum negare, quibus opus habent. Igitur è contrario fas etiam, cum penes alium non perinde egentem sunt, exigere vel invito auferre. Inde & *tertio* necessitas per naturam pro lege & supra omnes leges est; facitque licitum, quod pro salute necessarium. *Quarto* ex ea indigentia prodit lex, quæ hominem ad studia & labores pro victu aliisque necessitatibus obstringit. Idcirco damnat ignaviam, malignamque mendicitatem.

XXX. Sexto natura hominem fecit sui præprijis amantem & studiosum. Quidquid natura homini tribuit, propendet & stimulat in amorem sui. Seneca 4. de Benefic. c. 7. *Nemo in amorem sui cohortandus est, quem cum nascitur trahit.* Is ad duo hæc ducit: alterum, ut velimus esse, alterum, ut cum sumus, etiam bene nobis sit. Sicut Aristoteles lib. 2. Mag. Moral. c. 11. in fin. scribit. *Αὐτῶς αὐτοὶ μάλικα βέλους μετὰ τὰ ἀγαθὰ καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ εὖ εἶναι.* *Ipsi nobismet ipsis maxime volumus bona etiam ut simus.* Quare à natura jus est, ad ea omnia, quibus naturale illud alterutrum obtineri nequit.

XXXI. Pri-

XXXI. Prior appetitus naturalis ut simus, inducit non modo ad conservandi studium, sed & efficit, ut quod pro eo necessarium vel commodum sit justum. Inde lex naturæ, ut quisque sui custodia studere debeat & queat. Quorum naturalis instinctus bruta alligit & ducit; quidni in homine justum redderet. Cicero I. Offic. *Principio generi animantium omni hoc a natura tributum est, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videbantur, omniaque quæcunque ad vivendum sunt necessaria, inquirat & paret, ut passum, ut latibula & alia ejusdem generis alia.* Sux conservationis, cui postquam per naturam indita & velut legitimata fuit multiplicis juris, quo homines communiter utuntur, genetrix fit. Ex diligentia pro eadem oritur primo jus ad omnia pro se servando necessaria vel utilia, quæ apprehendere & ad usus suos convertere justum. Unumquodque ex iis eo justius est, quo minus homo sine iis incolumis esse potest. *Secundo*, jus comparandi & si negetur quærenti, facultas arripiendi, quibus vita humana carere nequit. Juri, ad tuendum vitam, consequens est apprehensio eorum quæ indiget, si servari debeat. *Tertio* jus repellendi, cõservationi inimica, ex quo nascitur naturalis licentia propulsandi injurias, vim, invasionem, oppugnationem & quidquid perniciosum erit. *Quarto*, jus se suaque defendendi contra omnia, quæ quod hominis est, tollere, imminuere aut imbecillius reddere intendunt. *Quinto*, jus quærendi securitatem adversus mala ingruentia eorumque metum, & avertendi, quæ conservacionem destruere queunt. Ex quo naturaliter licet cautionem exigere, aut sibi sumere, ut & facere, quæ, ne alius nos lædat vel damno afficiat, præpediunt. *Sexto*, ut jus declinandi, per quæ salvissime non licet, quod tribuit licentiam declinandi, effugiendi pericula, ad eoque

eoque ob ea se eximendi ab officiis alii debitis. *Secundo*, jus damnum, quod illatum est, reparandi, inde facultas ab iis, qui intulerunt aut impedire debuerunt, quod ad refarciendum necesse est, repetendi. *Octavo*, adversus mortem, quæ naturæ ultima destructio est, ejusque causas & occasiones avertendi potestas possibilis. *Nono*, jus coercendi mala inferentibus, ne posterum faciant, ex quo natura pœnis jus dedit. *Decimo*, jus cedendi de quovis alio jure suo, ut modo salvi simus. Hæc lex conservationis naturalis *primo* potestati in animam, corpus & fortunas, modum ac limites ponit, ut non aliter quis iis uti debeat, quam ipsis salvis & illæsis. *Secundo* tollit arbitrium eorum, quibus ex anima aut corpore aliquid decedere aut interire potest. *Tertio* adimit animam & corpus prodigendi aut leviter habēdi licentiam, adeoque sui necem, vulnerationem, debilitationem, macerationem & mutilationem membrorum, nisi vitæ causa. Improbat *quarto* in iis, quæ ad conservationem, securitatem, defensionem & propulsationem mali pertinent, socordiam atque desidiam. *Quinto* damnat ea nocumenta, quæ quisque sibi infert, procurat, vel cum potest, non impedit, contra aureum illud Pythagoricum: *πεῖσσε μὲν τῶνδ' ἄσε μὴ βλάψει*: *Ea facias, quæ tibi non noceant*. *Sexto* stimulat & hortatur ad pacem, ac belli, ex quo periculum meruitur, fugam. *Septimo* commendat illa media, quibus pax & securitas servetur, detestatur isti contraria.

XXXII. Alterum naturalis sui amoris est in sollicitudine pro suis commodis. Cicero de Finib. *Si quis sibi ipsi inimicus est, cum necesse est, quæ bona sunt mala putare, bona contra quæ mala, & quæ appetenda fugere, & quæ fugienda appetere: Quæ sine dubio vitæ sunt everso.* In commune hominum dogma id transiisse,

Q

Pro-

Propheta docet in *Psalmo 49. vult. Quin te, inquit celebrabunt homines, cum sibi benefeceris. Quod etiam Aristoteles habet Magn. Moral. lib. 1. c. 13. ὁρμῶσι μὲν ἅπαντες ἐπὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ οἰοῦσιν αὐτοῖς δεῖν μάλιστα ὑπάσχειν. Ex isto naturale jus est primo, ad quærendam commoda sua, ubi non obstat jus alienum validius: Secundo, ad defendendum usum, quem quis non modo suarum, sed etiam alienarum rerum habet: Tertio, ad apprehendendum & præoccupandum humanis usibus creata vel destinata, quamdiu in alterius proprietatem non venerunt. Unde justa licentia occupandi res, quæ nullius aut omnium adhuc communes sunt: Quarto, ad media seu titulos, quibus nobis acquiritur: Quinto, ad removendum usus impedimenta. Illi contrariatur, ideo inter improba per naturæ dictamen habetur, nulla cura commodorum, qualis est tum in profusione, luxuria, prodigalitate, tum in contentione ad ea, ex quibus nihil commodi, multo magis ex quibus nocumentum non leve orietur; tum in perversa & importuna tenacitate, negante seu detrahente necessitatibus vel usibus necessariis; tum in destructione mediorum, quibus beatus fieri potest, quæ est in bellis, seditionibus, discordiis.*

XXXIII. Quam natura fecit sui commendationem prærogativam naturalem dedit amoris sui. Sed circa sua & communia. Minimè, ut inde jus accipiat in aliena, in quibus alterius potiores partes sunt nemini per philautiam detrahenda. Quando aliqua sic sunt comparata, ut ego & alii simul istis frui non possimus, ab æqualitatis jure talia excepit & unicuique primas tribuit. Inde ordinata charitas incipit à se ipsa, & amor omnibus debitus habet exceptionem sui. Ex isto naturale jus est, primo id, quod nisi uni competere, aut cujus cum alio usus communis esse nequit, sibi
magis

magis quam alteri tribuendi. *Secundo*, suis etiam cum aliorum incommodo utendi. Nam cum jus suum alterius causâ nisi cum societas exigit, quisquam abjicere non teneatur, usurpandi autem licentiam habeat, ex isto jure naturali non potest quidquam injuriæ habere damnum alteri ex jure cujusquam suo contingens. *Tertio* facultas pro usu, defensione & conservatione nostri, impedimenta, quæ ab aliis oriuntur, removendi, etsi vel ipsi tribuat aut quidquam decedat, quo ægre careat. Natura quidem homini in hominem jus directo nullum dedit, prærogativæ tamen sui cujusque, quam tribuit, hoc necessario consecrarium est, dum sine isto ordinata caritas non subsistit, ut liceat remove, quidquid ex altero nobis obest, adeoque per naturam licitum fieri, quatenus vitæ nostræ nocet aliena, hanc tollere.

XXXIV. Septimo: Natura homini indidit non modo aptitudinem, sed etiam appetitum sui ex se videnti similes; inde desiderium & curam in mortalitate posteritatis. Hierocles: *Ipsa natura sapientem ad nuptias instigat*. Non enim gregales nos solum, sed etiam ουνδυοδυασικῆς, id est, ut bini ageremus, fecit: & huic societati unum communeque opus, liberorum procreationem dico, & vitæ stabilis conservationem proposuit. Pro isto fine simul natura ad plura alia instigat & adducit, quæ ut necessaria, ita justa fecit. Inter quæ *primo* est Φιλοτεχνία, studium procreandi sobolem. Cui adversatur neglectus, quem non excusabilem sapientes putarunt, aliqui etiam punibilem fecerunt, quomodo Spartanorum lege, *referente Stobæo ferm. 85*: multa dicta est, prima, non ducenti uxorem, altera sero ducenti, tertia & gravissima malam ducenti. *Secundo*, conjunctio maris & foemine. Musonius in lib. an Philosophum impediunt nuptiæ? *Sunt*

2^a

autem

autem nuptia secundum naturam, si quicquam aliud;
 Quam enim aliam ob causam opifex hominis, primum
 quidem bipartito divisit genus nostrum; deinde pudenda
 bina ei adjunxit, aliud mari, aliud femina; dein cu-
 piditatem vehementem utriq; iniecit conversationis & con-
 junctionis cum altero, & ingens desiderium mutuum utriq;
 alterius concitavit, ut mas feminam appeteret, femina
 marem? Nonne igitur fit evidens, quod utrumq; sexum
 conversari jungiq; voluerit, & communi opera vitam in-
 stituere, seq; mutuo juvare, & gignere simul & educare
 liberos, ut genus nostrum perpetuum esset. Tertio, amor
 & cura procreatæ sobolis. Cicero lib. 3. de Finib.
 Intelligitur natum fieri, ut liberi à parentibus amentur,
 quod primum intelligi debet figura membrisq; corporum,
 qua ipsa declarant procreandi à natura habitam esse ra-
 tionem. Neq; enim inter se hac congruere possent, ut
 natura & procreari vellet, & diligi procreatos non cu-
 raret: Atq; etiam in bestiis vis natura inspicitur potest,
 quarum in fetu & educatione laborem cum cernimus, na-
 tura ipsius vocem videmur audire. Quare ut perspicu-
 um est naturâ, nos à dolore abhorrere: Sic apparet à
 natura, ipsa impelli, ut quos genuerimus, amemus. Idem
 lib. 1. Offic. ait: Communem omnium animantium com-
 munitatis appetitum procreandi causa, & curam procrea-
 torum esse, cui adversatur, exponi infantes, prostitui & ne-
 gligi liberos, præferri eis res alias. Quam inhumanita-
 tem Cicero in Orat. pro Cluent. notavit: Cateri pro-
 pter liberos, pecunia cupidiores solent esse, ille propter
 pecuniam liberos amittere jucundum esse duxit. Quar-
 to, bonæ educationis debitum. Imp. Justinianus in
 l. un. §. 1. C. de Rei uxor act. ait: Ipsum naturalem
 stimulum parentes ad liberorum suorum educationem
 hortari. Quinto, victus, sub quo nomine omnia ad
 sustentationem vitæ necessaria complectimur, procu-
 ratio

ratio. Crassi apud Ciceronem de Orat. lib. 2. hæc verba de isto officio sunt : *Negꝫ boni est negꝫ liberalis parentis , quem præcreavit & eduxerit , eum non & vestire & ornare , præsertim cum se locupletem negare non possit.* Cicero lib. 1. de Offic. *Natura imprimis præcipuum quendam amorem in eos , qui procreati sunt , ingenuit , ob eas causas studet parere ea , quæ ad victum , cultumqꝫ , suppeditent , nec sibi soli , sed Conjugi , liberis caterisqꝫ , quos charos habet & tueri debet.* Sexto , Providentia in futurum , ut liberis , tum vivis tum etiam decedentibus è vita parentibus , supersint vitæ subsidia . Id quod gentium omnium moris ex natura profecti esse ostendit . *1. ad Tim. 5. v. 8.* Paulus , increpans Christianos , qui ista cura non defunguntur , quod Ethnicis sunt deteriores . *Idem 2. ad Corinth 12. v. 14.* Oportet parentes filiis thesauros recondere , non filios parentibus . Cui adversa sunt , parentum in acquirendo desidia , circa acquisita incuria & prodigalitas , ad extraneos , per alienationes & testamenta inofficiosa , translatio .

XXXV. Octavo : cum hominem natura nudum , in lucem ducit , & multorum indigentem , suggestit ei simul inopiz levamen & remedium ex societate . Ad quam non modo aptum fecit , & instinctum instillavit , sed & per rationem atqve orationem duxit & induxit , ita ut naturaliter & necessario societatis appetens & studens esset . Unde Aristoteles dixit , *hominem ut naturâ rationale , sic & sociale animal esse.* Ex isto simul fecit leges : *Primam* , ut quisque cæteris commodum se præstet . Nec enim sine eo animorum sperari potest conjunctio , qua sine nulla consistet societas . *Secundam* , ut quisque alteri se præbeat amabilem , servandæ quippe societatis vinculum atqve remedium , non est , nisi amor , qui allicit & unit . *Tertiam* , ut u-

nusquisque socio suo tam bene velit, faciat & prospiciat, quam sibi, ideo in commune consulat, nec minor societatis, quã sui cura sit. *Quartam*, ut studeat concordie, cui contraria sunt dissidia, contentiones, disputationes aliæ, quam quæ de vero sunt necessariae. *Quintam*, ut quisque se suaque societati accommodet. Frustra enim amat & optat, cui se non facit aptum. Inde *Sextam*, ut quisque de suo jure cedat potius, quam finat turbari societatem, quia illud societati aptandum est, cui contrarius est nimius rigor, & in suis vindicandis pertinacia. *Septimam*, ne opinionibus suis quisquam ultra certam rationem insistat, de cætero dubia submittat eorum, quos societas colit pro sapientioribus, aut seniorum, aut plurium, judicio. *Octavam*, ut sit etiam socialium communicatio, unde inter hominis existunt & juris necessitudinem habent commercia, & naturaliter nefas ab iis pro indigentia sua hominem excludere. *Nonam*, ut in actibus, qui inter homines intercedunt, socialibus, omnia fiant pacate, sincere, bona fide, sine dolo & insidiis.

XXXVI. Nono : natura hominem fecit cæterorum, quæ orbis subcœlestis habet, dominum. Cætera naturæ quippe omnia hominis sunt gratia, pro cuius usibus à Creatore sunt condita, destinata & concessa. Quibus inde ipsis jus nullum in & contra hominem, ex quo usui resistere possint. Homini vero in illas jus absolutum. Quod in illas DEI fuit jus, in homines ex magna benignitate pro usibus suis contulit. Ex ista naturali circa res mundi libertate homini cessit, *Primo*, jus habendi & efficiendi, ut ad usum habeantur. Ex quo facultas, feras domandi & subigendi, animalia cætera, ut iis aut vescamur, aut pellibus ad amictum utamur, occidendi. *Secundo*, jus, ut habeamus pro usu occupandi. *Tertio*, jus occupatis utendi : Ex
licen-

licentia utilitatis, ex quibuscunqve rebus capiendæ. *Quarto*, jus semel accepta, donec usus eorum necessarius est, contra aliorum invasiones aut apprehensiones defendendi. *Quinto*, jus impedimenta, quæ occupationi atqve usui resistunt, removendi. Ex his *Sexto* jus, ubi negatur vel præripitur usus persequendi & asserendi, & ne inane atqve elusorium sit, malo quodam resistentes afficiendi & coercendi. *Septimo*, postquam ad usum obtinentur omnia, in illa faciendi quod iste habeatur. Inde nihil sævitæ vel afflictionis inbruta pro isto injuriam aut turpitudinem habet.

XXXVII. Habet, vero id, quod homini datum est, dominium, ab ipsa natura leges, tum ex jure quod per ipsum est hominis, tum ex modo, in quem illud formavit. Juris homini competentis illa lex est, qua hominem *prima*, ut cogitans, quod homo sit, creaturarum dominus, iis dignior & præstantior, se creaturis nolit submittere, eas se plus amare vel honorare, pro aliis rebus se prostituere, quod hominis est venale efficere, hominis quandam æstimationem facere, aut precium constituere, hominem ejusque sanguinem aliis rebus viliolem facere vel habere: Quæ dignationi, quam DEUS & natura homini tribuerunt, contraria, ideo improba sunt & homine indigna. *Secunda*, ut quando istis ad vitam & salutem opus, semet ipse non privet: unde in naturâ peccant, qui semet inediâ, jejuniis, carnis priviis, & cæteris, quibus ista sustentanda & conservanda est, cum ex DEI beneficio haberi possent, privant. *Tertia*, ne ex his, quæ ex rebus jam alterius facta fuerunt, dominio humano quidquam eripiatur: Ut ideo naturali juri contrarientur furta, rapinæ, spolia, dejectiones, exilia, interdita. *Quarta*, ne usui naturalium beneficiorum resistatur; uti contra naturam fit, per objectas difficul-

tates, turbationes, prohibitionem usus, imposita graviora, quam ut tolerari, aut per illa utilitates haberi queant, onera, impedimenta acquisitionum.

XXXVIII. Natura autem nulli dedit proprium quidquam, ut ipsius solum esset. In commune contulit beneficia sua. Inde per naturam omni homini jus est ad omnia; & communio rerum per naturam, inter omnes. Neque absurde dixit, si modo sano sensu accipitur, qui scripsit, per istam quemque hominem mundi dominum esse, & jus habere quidquid mundi est occupandi. Præter naturam ex libertate, quam circa sua beneficia homini indulgit, voluntas & consensus usui naturali legem limitemque posuit. Qui peperit deinde aliam dominii speciem, quam gentium secundarium jus format. Per naturam vero *Lex Prima* est, ex fine juris, ne quis jure in omnia utatur, nisi ad necessitatem & utilitatem suam. Ad hanc res creatæ & datæ sunt. Quidquid ultra ex rebus sumitur & aliis præripitur, malignum & contra naturam est. *Secunda*, ut cum omnium circa creaturas æqualia sint jura, unusquisque sic iis utatur, fruatur, ne alius ultra, quam ipsi necesse est, usu privetur. *Tertia*, ut usus sit legibus naturalibus, cæteris accommodus. Quemadmodum homo his obnoxius est, ita quæ homini serviunt, non aliter comparata esse oportet, quam ut homo officium observet. Quocirca, ut homo istis constringitur, sic hominis jus circa quævis sua per easdem restringitur. *Quarta*, ut nihil homo circa res velit aut possit, societati humanæ contrarium. Sub hac hominem constituens ei omnia humana submittit. Pro ista necessaria ex naturali lege incumbunt rerum usui, ne violet, sine quo vita hominum futura acerba & calamitosa. *Quinta*, ut homo pro usu sibi necessario vel utili servando cedat alteri de suo jure,

pro

pro ipsius necessitate & utilitate. Cum enim & aliter idem jus habeat, & ex eo, quæ non ceduntur, urgente necessitate erepturus, nunquam homo finem creaturarum obtinebit aut servabit, aut non sine magno periculo & turbis, si non cesserit de jure, & quæ sibi cupit præstari, alteri præstet aut relinquat.

XXXIX. Decimo: omnibus insitus sui amor naturale hoc fecit homini, ut sibi bene esse & fieri velit. Quare pro hoc obtinendo necessitatem fecit præstandi, quo aliorum prompta sint beneficia, sine quibus bonum nostrum non habetur. Exinde naturaliter necessarium, excitare apud alios benefaciendi voluntatem, tum exemplo & incitamento nostri facti, tum aliquo redhostimento recepti. Pro primo illo alienæ bonitatis excitamento naturæ lex orta, ut quod quisque sibi fieri velit, faciat & alteri. Ad quam respicit Hesiodus *æg.* lib. I.

Εὐ μὲν μετρείδης ἄλλὰ γείτων ἔῤῥ' εὐ δ' ἀποδύναι
 Αὐτὰρ τὰ μέγ' ἔω καὶ λώϊον αἴης δύναι.

De quo Cicero lib. de Clar. Orator. *Hesiodium illud ab omnibus laudatur, qui eadem mensura reddere jubet, quæ acceptum, aut etiam cumulatiorē, si possis.* Ex eo itaque, quod quisque sui gratia velit aut nolit, erga cæteros hominum cordibus insita ad benefaciendum ex beneficiorum ab aliis desiderio obligatio & inscripta velut generalis æquitatis regula. Alterum, naturaliter pro acceptis beneficiis mutuam officium gratitudinem hominibus causa exigit. Sine qua nemo benefacturus est confusus periturum, quod confert, ideo collati poenitentiam habiturus. Ex quo cum desitura sit beneficentia, & cum hac quævis præcipue continetur humana societas, fiducia & benevolentia, ad necessitatem juris sui transtulit natura, ne quis in beneficos sit ingratus, nec tantum ut metuat ex ingratitude ma-

mala, quorum formidine excitetur ad bona, sed etiam turpitudinem agnoscat. Seneca 3. de Benef. c. 1. *Non referre beneficiis gratiam & est turpe, & apud omnes habetur, ideo de ingratis etiam ingrati queruntur.* Aliud istius argumentum Cicero lib. 2. de Offic. habet: *Quod omnes beneficii immemorem oderunt.* Inde Seneca 4. de Benefic. 7. *Quid tam laudabile, quid tam aequaliter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam. Huic uni non posuimus legem, tanquam satis natura cavisset. Quidvis itaque beneficium naturaliter in se habet legem, debitum inducentem, ad beneficium grato officio isti non dispare pensandum. Naturæ debitum hoc, ut ex lege indita agnoscere & sequi omnes gentes Salvator indicat, cum quanto latiora sint Christiani hominis, quam naturalia invicem officia, gentes inter se censeant, exponere ideo, & ultra ea quæ nunc in corrupta natura reliqua sunt, humanitatis dictamina ista extensa esse voluit. Matth. 5. v. 47. Luc. 6. v. 32. Si diligetis, inquit, eos, qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores eos diligunt, à quibus diliguntur: & si benefeceritis illis, qui vobis benefaciunt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores idem faciunt. Quidam codices legunt pro ἅπας ἡγὰρ οἱ ἐθνικοὶ ἔτι πάντες: Nonne & gentiles sic faciunt? Indicat etiam, in peccato perditis reliquum esse legis naturalis sensum de gratitudine, etsi illa de amore omni etiam inimicis præstando ex usu recesserit, per suam doctrinam tempore restorationis reparanda. Modus debiti mutui per naturam est ex modo beneficii. Cicero Offic. lib. 1. *De benevolentia autem, quam quisque habeat erga primum, illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, à quo multum diligimur.* Ex debito gratitudinis naturæ lex addicit primo, DEO, beneficentissimo & omni boni autori atque conservatori, amorem*

amorem & timorem, velut religionis principia. *Secundo*, parentibus, per quos in orbem producimur, tanquam vitæ occasione, grata & benefica. *Tertio*, loco, in quo nascimur, qui nos recepit & sustinuit, dilectionem. *Quarto*, societati sub qua convictu & adjumentis vitæ tranquille & commodè gaudemus, singularem devotionem. *Quinto* iis, qui regimine humanis rebus prospera & secura præstant, observantiam & obsequium. *Sexto* iis, qui benevolè nobiscum agunt per verba & facta, mutuae benevolentiae significationem. *Septimo* ejus, quod pro dato, facto aut promisso convenit, sive ex pacto sive ex re, sive benigna voluntate proficiscitur, lubentem promptamque præstationem. De quibus singulis jus naturæ est, ex præfata lege descendens.

XL. Tandem natura hominem fecit liberum, inde amor libertatis, & odium servitutis naturale. Ex isto jus homini *primo* libertatem, quam à natura habet, conservandi atque tuendi. *Secundo*, vilitas eorum, qui libertatem vilipendunt. *Tertio*, præsumptio pro libertate, seu omnia quæ fuere circa hominem olim libertalia mansisse & adhuc esse, quamdiu non apparet immutatio. *Quarto*, ex ipsa libertate facultas ipsam abdicandi vel deserendi. Per quam licet homini abire ab æqualitate, cedere de jure suo, se alteri submittere, deteriores conditionem suam reddere, alii in se jus dare, seu directo seu per obliquum, in id consentiendo, ex quo sequitur subjectio. Legem autem habet naturalem, ut in quem statum quisque se conjicit, aut ex prævia voluntate sua conjicitur, ab eo nisi volente illo, cui inde jus est, non retrocedat. Ex qua sui venditiones, deditiones, ex prostituta libertate, subactiones, similesque actus, quæis perit libertas vel imminuitur, vim habent. Similis est altera, ut quod quisque

quisque in se vel sua jus restrictivum dat alteri, ratum sit. Ex quo vis conventionum, promissorum, derelictionum nascitur.

XLI. Hæc juris naturalis præcipua sunt, omnis reliqui, quod gentes, civitates vel communitates approbant, prima elementa. Quæ etsi cuius simplicia & sine arte videantur, sic tamen comparata sunt, ut omnem constituent & impleant jurisprudentiam, omnes animent leges, omnis ex iis iusti vis sit. Evenit iis, quod reliquarum artium principiis, quæ levia videntur ab initio, sed ulterius derivata in præcepta & rebus gravioribus applicata, magnum sui pondus & momentum ostendunt, artem faciunt & stabiliunt. Geometriæ & quidquid Mathematicæ scientiæ est, si spectes prima principia & præcepta, ex iis quæ cuius in oculos & mentem incurrunt desumpta, vel rusticis ac pueris nota, inertia, & vix studio digna, ideo apud plurimos fastidiri reperies: Sed quantum inde hauritur sapientiæ? postquam ex illis per collectiones ascenditur ad notitiam divinorum in cælo & terra operum, perquisitionem naturæ arcanorum & salutarem usum rerum naturalium? Ex quo vel miracula scientiarum & inventionum oriuntur. In quibus omnia eo habentur certiora, ut necessarias demonstrationes faciunt, quod ex cognitis nullique dubiis primordium ducunt. Non alia est conditio eorum, ex quibus prodit, quidquid jurisprudentiæ est. Non se ostentant magno apparatu aut artificiosa specie. Vilia & arte non indiga apparent. Ex iis tamen opus est fundare quod est iustum, decidere quod controversum, explicare quod intricatum, ad rectitudinem deducere quod iniquum. Non lex ulla nec legis interpretatio aut observatio sine iis subsistit. Anima in iis omnis iustitiæ. Quæ velut per traducem transi-

in.

in omnem societatem humanam per ratiocinationem. Quæ istorum principiorum vis & progressio sit, in singulis tractatus ostendet plenius: hic saltem lineamenta prima exponere scopus studii præliminaris est.

* * * * *

INSPECTIO QUINTA.

De Gentium Jure Secundario.

- I. *Quomodo cum homine etiam jus deprivatio invasit, & res ad statum belli devenerunt; e-
jus causa & mala.*
- II. *Consilia humana de reparatione justitiæ in mundo.*
- III. *Quæ ratio suggestit remedia.*
- IV. *Omnium robur ex societate quasitum.*
- V. *Huic jus quoddam circumdatum, quod secun-
darium jus gentium.*
- VI. *Hujus definitio.*
- VII. *Causa ejusdem.*
- VIII. *Necessitas, quomodo ad hoc constituendum im-
pellit.*
- IX. *Ratio formavit jus gentium & quomodo.*
- X. *Finis hujus juris.*
- XI. *Gentium juris secundarii progressus.*
- XII. *Ejus publicatio ex moribus, & qualis.*
- XIII. *Constitutio gentium simultanea nulla, ideo non in-
dicium illius juris.*
- XIV. *Non est requirendum ad notam juris gentium,
ut omnes observent.*
- XV. *Nec humaniorum gentium usus certus ejus Index.*
- XVI. *Varii de jure gentium sensus, & horum errores
exponuntur.*

XVII. *Vera*

- XVII.** *Vers ejus nota traditur.*
XVIII. *Principium ejus in amore & cultu societatis.*
XIX. *Origo & progressus societatis.*
XX. *Ex hujus usu quomodo de gentium jure censendum.*
XXI. *Quae pro societate necessaria & bene formanda.*
XXII. *Suprema lex societatis, saluti studere, & ejus axiomata.*
XXIII. *Salus ejus & quies ex unione.*
XXIV. *Unionis modus ejusque leges gentium communes.*
XXV. *Unionis medium in uno imperio.*
XXVI. *Imperii autoritas, ejusque per gentes axiomata.*
XXVII. *Ejusdem potestas & pro fine requisita.*
XXVIII. *Cui consequens obsequii necessitas & ejus leges.*
XXIX. *Imperii ministeria & pro his leges.*
XXX. *Conservanda societati ex gentium jure necessaria.*
XXXI. *Pro ea civium per gentium jus officia.*
XXXII. *Media pro eodem cum suis legibus.*
XXXIII. *Quae mediis homines ad finem societatum adducuntur.*
XXXIV. *Religionis ex jure gentium leges.*
XXXV. *Disciplina juris praecipua.*
XXXVI. *De legibus earumque ex gentium jure virtute.*
XXXVII. *Jurisdictionis ex eodem ratio & leges.*
XXXVIII. *Finium jus per gentium conventionem.*
XXXIX. *Nexus inter gentes ad justa earumque leges.*
XL. *Praesidia securitatis, earumque iura.*
XLI. *Quomodo jus gentium res aptavit societati.*
XLII. *Proprietatum ex isto leges.*
XLIII. *Communicationis inter gentes iura.*
XLIV. *Libertas judicii inter gentes, quibus legibus confecta sit.*
XLV. *Existimationis communes leges.*
XLVI. *Gentium jus de penis.*

XLVII. *Ex-*

- XLVII. *Exortis controversis per gentes dicta leges.*
 XLVIII. *Qua juri armorum posita sunt.*
 XLIX. *In bellis inter gentes justa.*
 L. *Pro pace ex gentium jure observanda.*
 LI. *Quomodo circa collectiones de gentium jure procedendum.*
 LII. *Obligatio ex jure gentium, quæ civis ejusdem civitatis.*
 LIII. *Obligatio ejusdem inter diversos populos.*
 LIV. *Ejus vinculum multiplex refertur.*
 X LV. *Differentia juris gentium primæ & secundariæ.*

I.



X se naturam ad jus homini docendum reddendumque sufficientissimam esse, supra vidimus, & cuilibet eam, ut primo condita est consideranti, sequere ut secundum naturam esse debet, excipienti apparet. At ex quo ipse ab integritate, cui connatum jus erat adaptatum, descivit, in alium delapsus statum, in quo sponte & serio bonus non mansit, cum cæteris humanis omnibus depravatis, quod ad justitiam pertinet, simul corruptum, infirmum & regendis pravis nimis imbecille, ideo insufficiens redditum est. Quam cunctis integris homo amasset æqualitatem, tum communis conditionis, in qua DEUS omnes sine aliquo præcipuo alterius in alterum jure constituit, tum juris ad omnia omnibus æqui, & ex hoc nemo nisi necessaria sibi sumisset, nemo ista alteri invidisset & detraisset, omnes aliis, ut sibi bene cupiissent, inde invicem amantes, concordēs, nec in aliud intenti, quam ut DEUM timore, amore atque honore venerarentur, se invicem dilectione observassent, illam ineptam fecit depravatio; quæ ex spiraculo Satanæ animos in-
fecit

fecit fastu, ambitione, avaritia, invidia, variis cupiditatibus, voluptatis amore, atque hinc induxit, ut quisque se extollere, alium deprimere, ad se cuncta utilia pertrahere, aliis invidere & eripere, se suaque saltem æstimare mallet & studeret, sicque omnia inter homines alia fierent, quam ut divinitus destinata & per naturam mentibus indita. Cum istis moribus jus iis obnoxium redditum & perversum est. Quod sub æqualitate primæva pariter omnium erat, cum modestia in commune ab omnibus pro necessariis singulorum usibus usurpandum, singuli suum saltem facere cœperunt. Quisque jus ad omnia sibi sic arrogabat, ut solus communibus ad honorem, utilitatem, voluptatem frui intenderet, ideo nihil non faceret, quo jucunda nemini quam sibi cuperet, ut cupiditati satisfaceret, aliis nihil non inferret atque auferret. Ex quo & sumpta in omnes licentia, cum opinione, in omnes & omnia ita jus esse. Natura, quæ in hæc id dederat, sed cum lege, ne in illos usurparentur iniqua, sola non sufficiebat amplius per labefactata illud moderari. Quia autem omnes æquale sibi jus & ex eo æquali vi omnia licita credebant, dum quisque incitabatur vitiis, ad pertrahendum ad se omnia, sui que cæteris prærogativam ostendendam, ortæ sunt contentiones, rixæ, odia, invasiones, violentiæ. Acquirendi & habendi unus titulus cœpit ex raptu; Adeo ut œconomix studium, seu ars facta *λησπικη*, cui plures olim fuisse deditos reperimus, quam naturæ juri non putarunt contrariam, sibi præterea gloriosam. Inter talia nullum fere jus mansit aut exercitum est, cum nihil suum dicere aut frui secure quis posset, reliquis in idem prætendentibus, quod quisquam suum vellet. Quo intuitu non male scriptum est ab Orosio, *Primos hominum sine jure egisse*. Et ob illum applicare licuit vulga-

vulgatum, *inter arma filere leges*. Sub isto rerum statu ex sola potentia & metu fuit vivendi habendique securitas. Incerta, dum contendebatur, inconstans etiam post contentionem, cum eadem non consistèrent vires, atq; retinendi occasiones; insidiis adeoq; periculis omnia essent implicata, mutationibus variis obnoxia. Non ineptè is rerum status à quibusdā bellum s. belli stat⁹ dicitur. Haud apte vero eum esse statū naturæ aut juris naturæ, ubi hæc cœpit & incorrupta fuit. Etsi enim sub orbis primordiis, cum imperia ac leges non essent, solum naturæ jus non sufficiebat continendæ hominum licentiæ atqve audaciæ; etsi etiam cæteris demtis repagulis, ubi ex isto solo agendum, certa & secura non speranda amplius vita erat; haud tamen aut causa erat illius status aut ideo minus faciendæ, quæ ex illo sunt iusta, vel eo jurisprudentiæ præcepta redigenda, ut à naturalibus principiis divertantur. Quò videm⁹ aliquos istis abuti. Non ex jure, sed à depravato homine juris nō amplius observante, ea vitia atq; mala sunt, & cum his ille status, quem belli dicimus, ortus fuit. Non naturæ ut talis, sed depravationis, quæ naturam, non tamen jus ejus in se consideratum corrumpit, status est, sub hoc manet jus ipsum, admonens bona, & coercens prava. Ab hoc ipso alienus est belli status, ex depravatione originem ducens, ideo improbus & vitandus, pervertens, debilitans & velut ejiciens naturalia jura. Quam proximè ad hoc per bonas leges moresque reditur, eo felicior erit hominum vita, longiusque à belli statu aberit. Quem fugere, ad illa vero reparanda contendere, divina & humana monet sapientia.

II. Non autem ideo, quod adeo depravatum erat genus humanum, & inde humana in tam perversum confusumque belli statum inciderant, jus naturale desit, aut studium ejus servandi desinere debuit.

R

Oportuit

Oportuit servari, ideo ad observantiam contendit. Divina enim lex erat, immutabilis esse debebat. At cum per corruptionem animorum & invalescentem mundi malitiam multa obstarent, de mediis cogitandum fuit, per quæ ad integritatem si non omnem, tamen maxima ex parte, rediretur, & juris istius custodia atque praxis obtineretur. Omnes ex reliquiis naturalis luminis quoad rectam rationem & juris cultum adducebantur, eo magis illuc aspirabant, quod sine justitia ista se vivere non debere per conscientiæ dictamen, salvosque se esse non posse per sua discrimina intelligebant. Commune itaque votum, rediri ad pristinum innocentiae statum, & probitatis communis reperiri atque stabiliri adjumenta.

III. Ut hominibus in mundo ea exoptata felicitas, quæ est in usu dextro & imperturbato naturalis juris, contingeret, opus fuit primo, ut post eversam penè ejus observantiam & caligine mentium obfuscatum de eo sensum, quid istius esset, cunctis constaret. Secundo, ut imposterum inter populos maxima, eaque communi, cui resistere nefas foret, autoritate polleteret. Tertio, ut observandi necessitas ideo reluctantes vel negligentes ad illam adigendi aut castigandi potestas accederet. Quarto, ut qui ex contempta diu prostrataque istius reverentia irrepsisset belli status, seu armorum violentiæ & turbarum licentia, reprimeretur, & non improba modo fieret, sed & impossibilis aut valde difficilis. Ex his justitia, salus & quies inter homines dependebat, ideo providentia singulari, postquam jus naturæ invalidum factum erat, egebat.

IV. Deprehendentes autem homines, quam singuli nulla vi vel arte hos assequi possent, per experimentiam in eam mentem adducti fuerunt, conjunctio-

ne

ne cum aliis sibi opus esse, ut per unitas vires ipsi adversus alios jure & quiete potirentur, alii vim & injuriam facere formidarent. Haud aliud innocentiae munimentum, atque improbitatis audacique repagulum aptius, quam ex multitudine & virtute singulis opposita constitui posse, suam infirmitate convincebantur. Societas inde pro remedio, unde jus, quies, pax haberetur, complacuit. Coitum itaque in cœtum, & cœperunt civitates, in quibus homines plures uniti studebant iis modis & commoditatibus, quæ cum ista obtinerentur. At quando diversæ illæ extiterunt, quod olim à singulis, hoc à pluribus in civitate eveniebat. Ex inæqualitate dum aliæ aliis validiores erant aut fiebant, post illas status belli sæpe manebat, & etiam contra civitates civitatibus remedio opus erat. Pro quo aliquando plures civitates unam inter se societatem inibant, vel ut una fierent, vel ut fœdere quodam se invicem ad auxilia devincerent. In commune autem ita sibi prospectum cupiebant, ut licet civitate differrent, nihilominus civitatibus & in istis singulis esset juris communicatio, & pro hac singularis necessitudo, qua obstringerentur ad justa & pro tranquillitate necessaria.

V. Hæc quoque & firmiora & expeditiora essent, suoque fini idonea, nec fallacia oportuit societates ad istum finem recte formare & aptare. Ad hoc conventionibus & constitutionibus opus fuit, non modo quæ singulæ civitates uterentur, sed etiam per quas omnes invicem ad custodiam & observantiam juris humani & tranquillitatis communis constringerentur. Quemadmodum enim singulæ civilibus legibus tanquam vinculo peculiari continentur, ita foras in respectu ad alias communi, per quod cum eadem juris aliis & pacis observatio sit, indigere visum fuit. Ideo de tali-

bus inter gentes tacite convenit, quia necessarium vel commodum erat. Ex eo promanavit aliud quoddam commune jus, à naturali primævo separatum. Haud tamen isti contrarium, sed intentum potius, ut quod ex natura depravatum repararetur, aut non noceat. Superadditum isti in remedium illati mali, repagulum gravioris incommodi, impedimentum noxii effectus. Quo intuitu Philo in lib. de vit. Joseph. vocat προθηκην τὴ τῆς φύσεως ὀφειλῆ, *austarium seu appendicem naturalis juris*. Illud est gentium jus, quod voluntarium seu secundarium dicimus, non connatum ut naturale, sed voluntate receptum, assuetudine & usu probatum, consensu in necessitatem deductum. Sicut illud ex auctore, sic hoc ex causa seu fine necessarium est. In quo consistit, mox videbimus. Quemadmodum Juri ex inopia vocabulorum generale nomen juris gentium huic speciei fecerunt speciale, ita & nos vulgare, ut pro doctrina eorum, quibus vulgo utimur, expedit, loqui amantes retinemus. Tribuimus isti juri, non quod aut omnes gentes in illud consentiant, aut receperint, sed quod pro justitiâ, pace & salute omnes opus habeant, seu ad communem omnium utilitatem spectat. Cicero aliique autores vocant jura pacis & belli, quod pro ista & in hoc gentes, potissimum in illud consenserunt. Sequitur eam appellationem Grotius, sub qua ejus juris regulas tradit.

VI. Definit Imp. Justinianus in §. 2. *Inst. de jur. nat. gent. & civil.* jus gentium, quod usu exigente & humanis necessitatibus humanæ gentes sibi constituerunt. Brevius describitur, providentia, populorum humanis pro vita recta & tranquilla necessitatibus consulens. Oritur ex voluntate populorum, ad quam adducit ratio. Assensus inter illos jus facit, quod communis ex isto constitutio est, cui salutis & pacis causa

causa lubenter, quamdiu à perversitate morum absunt, obcediunt. Finis est, ut jure naturali, quo omnes gentes invicem sunt devinctæ, in vita tranquilla & securâ utantur, fruantur. In constitutione vero ea providentia, per quam finem assequimur.

VII. Populi sunt, qui inter se, quod gentium jus dicimus, constituunt, unde humanum intuitu naturalis juris primævi, quod divinum velut à solo DEO ortum dicunt, vocari solet. Causa efficiens est involuntate populorum, dum quæ pro morum honestate, societatum tranquillitate, vitæ, commercii & consuetudinis actionumque compendiis, ex usu communi putant, ideo approbant, inter se justa & æqua volunt. Communis ista commune jus introduxit, quod tandem ad istum effectum pervenit, ut non modo inter singulos populos in necessitatem juris transiret, sed in ea, quæ inter diversas intercedit necessitudine & communicatione, pro ratione & regula esset. Quæmadmodum ex ea voluntate hodie inter se agunt, judicant & æqua statuunt, illuc cum res communis est provocantes, quod commune suum jus putant.

VIII. Impulsiva ad talem constitutionem causa fuit necessitas. Per malorum atque incommodorum suorum experientiam edoctæ gentes, quam post depravata humana omnia, moresque penitus corruptos, solum jus naturæ hominum regimini non sufficeret, omniaque pro justitia, salute, pace, frustra forent, nisi repertis repagulis robustioribus, quæ invalescentibus vitiis opponerentur, ut aut non possent in turpitudinem & perniciem erumpere, aut exorbitantia coerceri, necesse habuerunt de aliis mediis cogitare, & constitutionem quandam validiorem mori anteriori superaddere. Ista fuit inventum secundarii juris, quo naturalis juris vigorem restituere & firmare, omniaque

ad justitiam, quietem, bonumq; ordinem in cœtu componere intenderunt. Id quod primo ex eo impulsu singuli in ea, quam amplectebantur societate, invenerunt, vel aliorum exemplo receperunt; at tandem, cum intelligerent, quam necessarium commodumque foret, non tantum intra suos cœtus civiles jus certum pro isto fine observari, sed etiam inter civitates vicinas omnesque alias, quibus cum rei quidquam intercederet, vel quæ invicem communicatione quadam indigerent, esse quandam juris communis necessitudinem, adduxit tandem etiam diversos disjunctosque populos necessitas, inter se communi saluti, tranquillitati & commoditati congrua fieri & haberi justa. Necessitatis, quæ olim fuit & impulit, imago non potest melior afferri, quam ex similitudine istius status, in quem imperia & civitates incidunt, vel domi suæ per civilia, dissidia & arma, vel foras per bella cum exteris. Ex quibus eveniens juris omnis dissociatio, & potentia dissoluta licentia repræsentat miseriam & discrimen inter illa vitæ humanæ, & excitat desiderium necessarium, redeundi cum pace ad juris socialis restaurationem. Quæ consideratis apparet, quam verè necessitas ususque vitæ, ut tranquille & commode agatur, causa juris dicatur, quia ex illa & pro illa processit. Sic istam tradit Imp. Justinianus *l. §. 3.* dicens, *humanis necessitatibus & usu exigente gentes constituisse.* Cicero lib. 2. de Invent. de iis quæ hujus juris sunt scribit: *quædam ex utilitatis ratione aut obscura in consuetudinem venisse.* Horatius illuc respiciens canit:

Utilitas justæ prope mater & æqui est.

Et Carneades:

Jam sibi homines pro utilitate sanxisse.

Eodem respectu Chrysothomus appellat *ἔθεννα* *βίη καὶ ἀξίως*, inventum tempore & usus. Ex eadem & nomen, ut supra diximus, accepit, quod omnibus gentibus,

si incolumes justitia & pacatâ vita gaudere velint, necessarium fit. Detorquetur autem à nonnullis, quod cum bonis autoribus loquimur, de utilitate ut causa juris, in sinistrum vel sensum vel usum, & sic accipitur, ac si quod utile est, & justum fiat quia tale. Ex quo sequi videtur, jus aliud honestum, aliud utile; aliquid, quia utile etsi non honestum, sua utilitate inter gentes jus fieri; Quæ gentibus non profunt, multo quæ magis nocent, gentium juris non esse; quod hujus est, ob defectum utilitatis aut accessionem nocenti, desinere istius juris esse, & quæ similia, non modo absona, sed & ad convellendum juris fundamentum nocentissima. Non utilitatem aut illi aut nos jus facimus, ut talem, sed ut inservientem juri & paci. In ea impulsus & causa inventionis, non ratio & essentia juris est. Quæ consistit tum in æquo & bono, tum in gentium approbatione & tacito pacto. Ex ista introducta, juxta illud & per hoc medium reddita sunt, quo mediante illis potimur. Non itaque aut illa à jure, cui famulatur, & à quo vicissim juris rationem accipit, abire & aliena esse; aut jus propter illam, quæ sine isto nullum nec juri detrahit, desereri potest. Eatenus venit sub rationem juris gentium secundarii, quatenus non contrariatur primario, & est in populorum arbitrio. Per hoc accedente consensu facit juris gentes justum, quod non est intrinsece malum, & ob ipsam potest esse bonum. At à jure aliena nunquam faciet justum, quod naturaliter improbum. Justitiæ ulla ex parte præferendam esse utilitatem, nemo ulla ratione persuadet, ut habent verba Isoçratis, in Archidamo. Quomodo, quod aliquando utilitatis gratia à jure disceditur, accipiendum sit, infra exponitur.

IX. Formatrix socialis status & juris fuit ratio. Cui postquam sensus ipse exhibuit, post depravata omnia

hominum calamitates atque mala, demisit ad animos, remediū necessitatem, excitavit ad excogitationem, congrui auxilii, ratiocinatione reperit & elaboravit remedium; reperti applicationem effecit, postea omnibus utilitatem approbavit, & hac alliciente, quod necessarium juxta & utile juris vim atque observantiam inter homines accepit. Solet inde non absurde, dici *jus ratiocinationis*. Sed non eo modo, ac cum jus naturale distinguitur in id, quod constat ex rationis simplici dictamine, & quod ex ratiocinatione colligitur: Sicut de eo, sub *Dispectione Secunda*, scriptum fuit. Illud minimè est hoc gentium jus secundarium, de quo nunc agitur. Sed est ea divisio primævi naturalis juris, atque ut natura quædam immediatè insinuat, quædam mediante rationabili collectione, ita duas ejus species facimus. Nec hoc minus naturale est, quàm illud, differunt saltem ex modo injungendi & noscendi. Quod vero nos gentium jus secundarium seu voluntarium vocamus, non circa idem versatur objectum, nec ex iisdem principiis, justa colligit. Ratiocinatio ex naturalibus dictatis intendit rectitudinem vitæ, & morum naturæ integræ quam maximè congruam: At quæ parit hoc gentium jus, ex necessitatibus & usu vitæ humanæ depravationi redditæ obnoxia, colligit, quid pro securitate & usu hominum quam maxime commodum & expeditum. Ut utrumque jus discrepat fine & mediis, sic & quæ ad id constituendum atque noscendum tendit ratiocinatio. Quod, ad evitandam, utriusque confusionem & errorem, jus naturale ratiocinationis cum secundario male confundentium, notari meretur. Sicut autem ratio inventrix & magistra juris hujus fuit, ita omnibus populis communis in simili calamitate illud facile omnibus commendavit & persvasit, ut suo ductu tandem omnes, qui

ratione

ratione uterentur, sequi & cum aliis communicare, amarent.

X. Jus gentium secundarium eo præcipue intendit & conditum fuit, ut quod juris naturæ primævi est, in vita tranquilla & commoda hominibus contingere & securum esse possit. Quantum ex hoc imminuit & impedit corruptio, id restitutum & bene compositum voluit jurisprudentiæ gentium providentia. Non itaque tam est diversa ab isto constitutio, quam eorum mediorum, quibus juris naturalis usu gaudeamus, regamur, quieti & securi simus, inventio & applicatio. Cuncta istius ad illum finem tendunt. Quando vero præcipuum istuc pertinentium reperitur & collocatur in societate hominum communi, per quam finis curatur & comparatur, juris, de quo agimus, officium est *primum*, societatem, per quam homines sub cœtu junguntur & veluti coadunantur, formare & sic componere, ut fini suo congruat: *Alterum*, sub ista omnia naturæ ejusque juri aptare, atque ita temperare, quo secundum naturam rectè & imperturbate vivere & agere liceat: *Tertium*, istam eo virium atque potestatis deducere, ut valeat, quæ ex depravatis hominum ingeniis & moribus huic repugnant, aut præpedire aut reprimere, quo naturalibus legibus non prævaleant: *Quartum*, vitam in ea procurare & servare tranquillam & quietam: *Quintum*, media, oportunitates & commoditates pro isto fine aptare, & in juris necessitudinem communem redigere. Quæ his conveniunt, gentibus non minus placere, quam commoda existimamus. Contraria vero non modo ab isto jure aliena, sed etiam isti adversa sunt. Clarius hæc patebunt, cum per singula, quæ istuc pertinent, ibimus, & quid gentium juris sit, excutiemus.

XI. De constitutis per gentium consensum orbi præsertim Christiano, dum ubique colitur & exigitur, commune gentium jus satis constat. Non vero ita de constituendi modo. Ut omnia alia, sic & hoc jus populorum à levibus principiis, ad eum, quem nunc habet, vigorem devenisse, verisimile est. Vetusissima historiarum judicant ejus usum. Quæ Sacer codex de primis mortalium recenset, continent ejus indicia. Condita à Caino urbs: Inventa à Jubal instrumenta musica, eorumque usus; instituta à Thubalkain officina ærea & ferraria, sunt argumenta societatis latioris, adeoque & juris socialis, quo sine ista incipere & consistere non potuit. Principia & vestigia societatum sunt argumenta veterum inter gentes communium justorum. Eundem talis gentium juris progressum non absurde opinamur & statuimus, qui fuit societatum, imposterum in tractatu plenius annotandum & explicandum. Ut istæ à paucis in multos derivatæ sunt, ita dubio procul è paucorum casibus & ingeniis cœpit pro necessitate inventum; deinde latius diffusum & productum in multitudinem, donec derivatum ultra in universum orbem. Quidquid orbis præter creata habet, fere ab uno autore ortum, cæteris præbuit imitandi exemplum. Quo id ad usus humanos aptius, ita citius longiusque tractum extensumque. Vero simile, initio unam vel alteram societatem aut civitatem sua sollicitudine remedia quærivisse & reeepisse, nec statim omnium ea facta fuisse communia. Et illud non credibile, aut plures populos in conventu quodam aut alio tractatu prævio sibi jus commune condidisse. Hoc verosimilius, quod postquam una & altera civitas ista invenit, & sibi applicuit, alios simili necessitate inductos, præterea communi ratione permotos idem imitatos

tatos

tatos, suis usibus applicuisse. Et quidem aliter fieri non potuit, quam ut populorum singuli inter se primum de istis sibi prospexerint, atque in singulis civitatibus cœperint. Quando vero inter istos quædam communicatio, ex necessitate vel pro commodis subsequuta, inde & inter eas conjunctio placuit, vel necessitudo alia orta est, quomodo nec sine quâdam juris communione agi & commercium coli posse reperiuntur; exinde ut ratio omnibus eadem, sic & jus commune redditum est. Et quidem inter aliquas primum præsertim viciniore, aut particularibus officiis seu negotiis implicitos, ita factum, quisque sibi facile persuaserit. Ex quo tandem ad plures & per orbem meliorem transit, quod inter omnes servari necessarium, vel utile. Quod igitur necessitas invenit & commendavit, id ad alios transtulit, facile imitantes, quod aliis usui, sibi necesse deprehenderunt. Ita quod constitutione à principio aliquorum, usu omnium redditum, ad illam, quæ hodie inter gentes est, observantiam pervenit, tacitumque pactum & factum.

XII. Publicatio hujus juris est ex usu populorum. Per quem in mores transit, inde in tacitum consensum, per hunc in observantiam quandam necessitatem. Quomodo de eo Cicero lib. 2. de Invent. scribit, *quædam in consuetudinem utilitatis ratione venisse*. Unde apud scriptores vocatur *mos gentium*. Apud quos, ut frequentissimum jungi mores & leges, ita per illos quod omnes gentes, hoc quod singulæ civitates sibi jus fecere indignant. Horatius: *Mos & lex maculosum edomuit nefas*. Autor ad Herennium lib. 1. *Res ad usum civilem moribus atque legibus constitui*. Salustius in Bell. Jugurth. *Getuli neque moribus neque legibus aut imperio cujusquam regebantur*. Lucanus vocavit *ritus hominum*: Menippus Antiochi Legatus ap. Livium, lib.

34. appellat *formulam juris antiqui*. In JCtorum scriptis frequentissimum, dici aliquid moribus receptum vel constitutum, & per hos denotari jus gentium, de quo agimus, ideo istam vocem opponi legibus vel juri civili. Deprehendi tamen, per istos aliquando etiam naturæ jus denotari, sed tunc de bonis moribus plerumque dici. Sicut autem mores imitantur naturam, unde consuetudo apud Galenum a scititia natura audit, ita à scriptoribus, quod ex moribus gentium jus est, naturale aliquando dicitur, sed abusive & ad exemplum seu imitationem magis, quam ut tale sit.

XIII. Quid gentium hujus juris sit, apud JCtos disquiritur, & multa, quorum usum inter homines reperimus, in eam disceptationem veniunt, cujus sint juris. Ut enim hujus species cum aliis multis modis, tum etiam obligatione & effectibus differunt, ita non parum refert scire: præsertim verò, si inter diversos populos, aut qui ex his sunt, res intercedit, multo per expedit, quid gentium juris sit, quo aliæ gentes obligantur, esse expeditum. Præmittimus autem errores, circa notas juris, ut post eos detectos veritas eo certius constet. Primo ex constitutione communi, seu quod omnes gentes sibi constituerunt, hoc jus à multis reputatur. At cum, uti jam exposuimus, origo ejus incerta sit, verosimile vero, semel simulque non constituta, quæ postea ad id relata sunt, ideo levibus principiis, lento progressu, tacitis suffragiis seu usu tantum omnia invaluisse, frustra indagatur communis quædam constitutio. Hæc dum certo sciri nequit, non est apta juris nota, imò nulla inde, quia illa non reperitur; Si per exemplis, nihil eorum, quæ indubie sunt juris gentium, sic semel & simul per gentes constitutum demonstrabis. Originem certam nisi saltem in una vel altera gente non

non reperies, nedum tractatum, aut communicatorem super eo populorum. Non te moveat, quod supra jus constitutionem diximus. Eo non fit hoc modo, quasi publica lege per omnes ita facta sit, sed postquam in usum venit, ex consensu utentium, pro constitutione habetur & valet.

XIV. Secundo ex communi gentium consensu, seu receptione alii id definiunt. Præberet quidem, ille, ubi appareret, argumentum; at quis eum sciet & circa quæ? Quid dicitur, omnibus placuisse, cum de uno aliquo nunquam constabunt omnium in orbe, mores & sententiæ? Quot ignoti nobis sunt populi? De cognitis quam pauca scimus? Quot ex iis non ultra explorati, quam quod sunt sub cælo? De cætero obscuri, & nihil aut historiæ aut fidei ad nos transmittentes. Nec necessarium id esse potest, dum & multæ gentes tam proclives sunt ad errores, quam ad rectos sensus vel usus. Haud etiam consonum, ut quod una vel altera gens improbat, vel non sequitur, non esset gentium jus, atque ita cum semper fere aliquæ dissideant aut singularia ament, nihil foret ejus juris, ipsumque in nihilum redigeretur, aut sane dubium, vagum & perpetuis disputationibus subjectum maneret. Quis etiam nosse posset, nisi perfectissimus Historicus, quem tamen & multa latebunt, vel non lecta, vel non ut decet intellecta. Cogites porro perversionem juris, si ex eo æstimabis, quid sentiant faciantque gentes, non quid eos deceat, quod erit regulam submittere facienti, cui naturaliter proprium legem isti dare.

XV. Tertio exempla gentium humaniorum ad probationem illorum, quæ juris gentium dicuntur, alii advocant. Etsi verò ex iis peti posset aliqua declaratio, tamen non cum ratione istis asfringitur censura, ut apparet per ea, quæ sub *Inspect.* 3. discussimus, ad de

demonstrandum, quam nihil talia ad jus naturale argumentum facient. Ad legem faciendam apta non sunt, dum carēt vi, ceteros obligandi. Cogita, quanta injuria inferetur juri, si ideo tale negabitur, quod aliquis forte populus, quem alias inter moratiores referes, non recepit aut observare recusabit, quod alias justum; quanta porro justī incertitudo, si ex eorum autoritate, qui errare possunt, jus defines, ex quo alios judices? quanta inter populos, ubi dissenserint de sua probitate, ideoque circa receptionem juris, ab eorum exemplo, oritura disputatio, & rara concordia?

XVI. Exinde, quod de notis gentium juris non convenit, aut de iis perperam sentitur, de ipso extiterunt erroneæ sententiæ, quas, antequam de vera & genuina nota scitibitur, prænotasse expedit, cum ad verum expeditior, quam à falsis præintellectis via non sit. Primò non incurrens in sensus alia quædam gentium communis constitutio, quibusdam causa fuit, ita sentiendi, gentium jus esse illud ipsum, quod naturæ dicimus, aliam tantum speciem, inde & nomen assumere, quatenus gentes diversæ nullo inter se summo imperio connexæ observant. Errorem omnia, quæ de jure isto sub hoc capite exposita leges, convincunt. Longe alia sunt ab iis, quæ natura pro justī regula mentibus humanis insevit. Non facit differentiam juris numerus utentium. Seu singuli inter se homines, seu integræ universitates & gentes utantur, idem est. Et hæc non nisi unius personæ moralis vice funguntur, ad quas applicatio fit, ut ad singulos officiorum similis necessitudo & communicatio existit, in modo & sine communicationis diversitas juris, & pro hoc multa diversa sunt. Secundo aliquorum in contrarium abit opinio, & gentium jus non aliud sibi imaginantur, quam quod sit civile multarum, quia-

nem-

nempe ab una civitate vel paucis repertum ad plures transit. Etsi verò hæc imitentur, sibi tamen ex receptione, nisi quatenus conventio de servando mutua intercedit, commune non facere, & licet inter aliquas communicatio intercesserit, illarum tantum non mundi jus fieri, quæ sine aliquo nexu nonnullæ acceperunt. Utut vero concedendum, initia eorum, quæ gentium juris dicimus, apud omnes non esse eadem, aut ejusdem ævi, pleraque esse inventa unius populi, & ut quisque ingenio felicior, aut indigentia adductus prior, ita secum antè usum reperisse aut recepisse, eoqve modo à primordio tali jus civile aliqujus civitatis dici posse, attamen quando & aliæ gentes non sola imitatione, sed rationis, quam habuerunt, necessitudine eadem observant, vel observare debuerunt, ex eadem gentium jus factum, haud ita singularum lex civilis mansit. Error in eâ sententia multiplex est, primus, non esse jus gentium, nisi quod omnes simul constituerunt, & in usum communem una vice deduxerunt; quod tamen ad illud minimè necessarium, sed ex ratione & consuetudine communi, illud vim legis inter omnes accipit. Alter, jus gentium, non nisi conventionem mutua expressa fieri commune; cum tamen ejus causa non in illa, sed in ratione communi existat, & non ideo commune jus est, quia una & altera gens de eo convenit, sed quia communis ratio ita pro jure & pace inter gentes servanda naturale vel utile dicitur. Quæ deinde ex usu communi sequitur tacita conventio, non efficit jus, sed quod ratio ex & pro fine tale esse voluit, vinculo arctiori consensus in illud circumdat. Tertius, ex placito singulari legislatorum in singulis civitatibus & oriri & recipi; cum tamen vis ejus non ex receptione proficiscatur, sed ex ratione, fini suo eiqve omnium.

um.

um non modo societatum sed gentium, si salvæ & tranquillæ manere velint, apto & omnibus communi. Ex quâ obligantur & debent aliis, etsi intra se nunquam, inter leges vel mores retulerint. Quartus, gentium hoc jus ex voluntate populorum recipiendi que placito dependere, quasi jus ipsis tantum sit, quia velint; quod tamen jus non est, nisi & servare, licet nolint, debeant, ideo alio obligandi vinculo nitatur. Sunt circa jus hoc discernenda, quæ illud faciunt, existentia præcipue in causa, nempe ratione & necessitate communi, eamque pro fine populis communi observandi debito, & quæ consequuntur, & circa illud, si non omnes, pleræque tamen, gentes præsertim moratiores receptione; usu, praxi, modificatione & applicatione observant. Quæ confusa errores circa sensum de jure isto pepererunt. Tertio alius accedit de jure gentium non congruus sensus, ad illud non quidem requirens, tamen referens, quidquid exterius per aliquod complacitum & pactum observandi voluntatem invicem obstringit. At ut eorum multa, quæ per verum gentium jus secundarium istæ sibi mutuo debent, etiam inter ipsas, ut plurimum inter vicinos & confœderatos, pro majore securitate & certiora observantia in pacta rediguntur, inde ejus juris non esse desinunt, nec magis ex conventionem, quam ex ipsius naturali obligatione debentur: ita non omnia, quæ in ea veniunt, statim gentium juris sunt. Præter hæc latior est pactorum materia, & incutuntur etiam de iis, quæ alias juris civilis tantum juris, imò & quæ gentium juri adversa sunt, quod inde aliquibus gentibus ex iis commune, sed non gentium jus fieri potest. Unde rectè nonnemo monuit, cavendam esse, ne quæ juris gentium sunt, & quæ pactis populorum constituuntur, confundantur.

XVII. Ratio

XVII. Ratio monet, ex eo sumendam esse communis juris notam, ex quo obligat. Non enim est jus, sine obligatione observantiz. Quæ si est gentibus omnibus communis, ad quod obstringit, gentium jus recte dicemus. Taleque erit, etsi non receptum ab omnibus. Satis est, recipi debere, ut inter illos fiant iusta: Si apud omnes, de quibus constat, populos aut plures, præsertim moribus cultiores usurpatum, non male quidem præsumimus, id pro jure probatum; at non magis certo concludimus, quam inde negamus, quod multi isto non utuntur. Ratio autem, cunctos obligandi ad observantiam, est in necessitate atque utilitate communi pro colenda justitia, obtinenda pace, ac avertendo bello. Hoc est, quo secura & commoda habeatur juris naturalis communicatio. Quomodo ad id omnibus populis insit vinculum, mox trademus, expositis prius hujus juris progressu, præcipuis speciebus, & exemplis. Hoc tantum pro vera ac genuina istius juris nota assumimus, ac præmittimus, inde concludentes gentium juris existere, quod ad finem omnibus communem necessario tendit. Ut omnes finem istum cupiunt, quarunt, enituntur, aut ita profecti debent, sic quam in suo quisque populus id velit, ira alteri præstare, aut in talibus non contrariari, non meri sui arbitrii, sed sui gratia, quo isto imperturbate potiatur, atque fruatur, necessarium putare atque observare debet. Hoc modo, quod sibi suisque volunt, qua alios, à quibus desiderant, tacito velut consensu transit in juris necessitatem.

XVIII. Quando vero ultra progredientes, quarimus, quid in mundo sit, ad & per quod ultra naturam gentes ad mutuam quandam observantiam constringuntur, non aliud reperietur, quam ea, quæ omnibus pro isto fine placuit, societas. Ut natura ad so-

cietatem homines fecit aptos, & proclives, & quamdiu integritati studetur, etiam deditos; ita ratio duxit, ad collocandum in ea communis vitæ auxilium, juris spem & vim, securitatis præsidium. Ut ex consilio atque intentione populorum, sic ex modo atque effectu reddita est illa velut salutis & quietis compendium. Singulæ gentes primum pro fine superius dicto in societate remedium posuerunt, isto melius huc usque non reperientes; postea cum nec eo potiri & frui contingeret, nisi omnes in medium studiumque idem essent aliquvaliter devincti, nec tantum domi, sed foras securitate ac pace indigerent, ductu sensus communis omnes ad similem inter se istius observantiam excitati & uniti sunt, ne dum aliis per se ista frui non licet, sibi per alios sua securitatis fruitio non contingat. Ex quo enata communis inter omnes populos societatis, utut quæ singulas separatæ, reverentia, quam pro usu necessaria, tam omnium voluntate approbata, aut approbanda; ut inter gentium leges recte referatur, non tantum suam cuique societatem sancte colendam, sed nec aliorum populorum turbendam lædendamque, quin potius juvandam conservandamque esse.

XIX. Societatis origo cum primis hominum existit. Ex quibus prognati cum ipsis in illam coaluerunt. Coluit & auxit illam ulterior progenies & multiplicatum genus humanum, ut natura societati natum, sic istam amavit, & lubenter iniiit. Prima fuit domestica, eaque triplex, inter virum & uxorem, parentes & liberòs, dominum & servos, quæ peperit & junxit familiam. Ex hac incrementa prodierunt. Familiæ plures adversus injurias se primitus junxere, ex quibus factum est corpus. Corpora ubi hinc plura, illa se certo loco includere, pagos & villas construe-

re

re, deinde ea loca securitati aptare, tandem urbes condere, & in his civitatem formare cœperunt, in iis peculiares pro eodem fine inter plures in auxilium & defensionem nexus alii placuerunt, institutis collegiis, patrociniis & clientelis, hospitii juribus. Sed nec ex his suppetente fine, ad illum contententes plures civitates semet junxere, & sub unum commune regimen coiere. Unitæ tandem integræ terræ, & provinciæ, & hæc, cum suam imbecillitatem senserunt, societatem ultra sua conjunctione protenderunt, donec latissimæ fierent respub. & regna. In quo primitus voluntate consilioque suo præierunt populo conditores civitatum, imitati postea sunt rectores, & quomodo istæ se initio consensu sociarunt, ita hi societatem sibi subditam, quo splendidior validiorque esset, vi alios subigendo, aut sui amore & admiratione aliquos alliciendo auxerunt. Quando autem inter civitates præprimis vicinas non rara odia & dissidia, inde hostilia & intuta, pro eodem fine inter plures conventionibus societates aliæ compactæ sunt, ita ut singulis sua constaret respubl. seu cœtus civilis, nec in unam hanc transirent; attamen omnes, ad justa & utilia sibi præstanda, pacemque conservandam, jungerentur, seu quodam fœdere, seu sub communi quodam ad communicationem regimine, ut singulorum exempla vetus atque recens exhibet Historia. Est inde inter primas in republica curas, subordinatarum societatum, ex quibus magna conflatur & sustinetur, conservatio & congrua dispositio. Quo pertinet, quod qui Politicam prudentiam docent, à bonâ familiarum, corporum, collegiorum, urbium formatione, tanquam principiis præcepta inchoant, in iis fundamentum civilis societatis collocantes. Membris quippe si bene sit, totum reipubl. corpus

optime valebit: vice versa quia ipsis bene esse nequit, nisi societate tota salva & prospera, ex gentium jure devotæ sunt suo corpori, ut ipsi, quo ad finem suum valeat, sua cuncta submittant & præstent. Quando autem gentium jus intendit omnium incolumitatem, sub societate universali, ex eo lex hæc communis est, ut eam singulis subordinatis præstet, & hæc singulæ nihil habeant faciantque, quod isti adversum vel impedimento sit.

XX. Quando societas seu civitas gentibus unicum solumque medium videbatur, per quod jure & pace potirentur, ideo se nulla ratione aliter salvas quietasque esse posse credebant, per istam sui conditionem & usum redditum fuit gentium juris, quidquid pro isto fine, in quem conjuncta fuit, necessarium. Juris communis necessitatem mediis indere opus fuit. Qua sine frustra, imo & noxie illa iniretur. Qui homines de justitia & pace securi, qui commoditatibus suis dediti esse possunt, nisi habent & sciunt, per quæ sibi omnia justa, tuta, certa & possibilia fiunt. Absente vel infirmo eo vinculo, per quod ad finem suum tamen colligantur, quam ducuntur, nulla spes vel opinio, nedum ipsa securitas, cui inniterentur, superforet; Imo ubi coïissent, sed male & cum perpetuo discrimine, quanto propius jungerentur, tanto nocentius dissoluti, & ad vitia præclives, animi in mutuam perniciem ruere possent, sicut isto rupto inter civilia arma omni bello alio ferociora ac perniciosiora observamus. Quo circa in ea quæstione, quæ est de gentium jure secundario, præprimis respiciendum, tum ad societatem, in quam homines coierunt, tum ad adæquanda ipsi necessaria media, sine quibus jus & quies populis constare nequit. Quemadmodum juris naturalis primævi notam in convenientia vel dis-

conve-

convenientia, cum natura in superioribus constitui-
mus; ita secundarii axiomata, ex necessario ad sociā-
lem populorum pro jure & pace necessitudinem &
conjunctionem usu, & huic congruis vel incongruis,
desumimus. & statuimus.

XXI. Quatuor præcipua sunt, ut ad rectum at-
que salutarem societatis usum necessaria, ita diligen-
ter consideranda. Requiritur primo, societatem be-
ne componi, quo finem præstare apta esset: Dein-
de formari & sustentari, quo fini sufficeret: Porro
in ea omnia sic fieri, quo sine omnes & singuli fruantur:
Tandem removere, per quæ finis præpeditur. Cura
pro his in republ. triplex, Βουλευτική, Νομοθετική, Δικαστική,
quarum prior, quæ sunt ex usu, inquirat, expendit,
dispensat: Altera, quæ servanda ponit, & in leges
moresque redigit: Tertia in foro & judiciis iusta dicit.
Eum qui hæc tractat, Politicus vere est, in quo istarum
studia omnia concurrere oportet, ut nihil alterius
sine altero esse & fieri potest, aut non integre. Si-
cuti in societate civili justum & utile separari se non
sunt, utilitas reipubl. sic curanda, ut iuste omnia
confiant, & justitia sic administranda, ne quid ex utili-
tate publica perdat aut turbetur, in consilio, in decre-
tis, in iudicio conjunctim illa consideranda & observan-
da sunt, ita nec studia illa divelli debent. Quando autem
singula totum hominem requirebant, cum istorum
functio personis, tunc & sciendi exercendique ars dis-
cerni cœpit. Quod priorum Politici sibi retinuerunt,
& ejus artem specialem fecerunt, cui Politicæ
nomen cesserunt. Tertium ab eo nomine exclus-
erunt, quibus cesit, jurisperitos vocant, & eorum ar-
tem jurisprudentiam. Quæ divulsiō inter reipubl. ne-
gotia magnæ depravationis, inter functiones perversæ
distraktionis, inter fungentes istos æmulatōnis &

collisionis mater est. Ex qua disceptatio de limitibus jurisprudentiæ & politicæ speciatim sic dictæ: Quia Politici præcipuas publicæ curæ partes & cum iis potentiam ad se traxerunt, Jurisprudentes à publica recedere omni removent, ut ministros suos habent. Ut ut vero artibus & functionibus hi differunt, tamen si societati civili in singulis optime prospiciendum, aut Politicos oportet esse jurisprudentes, & hos Politicos, ut qui digne nomen utrinque tueri volunt, alii esse nequeunt, aut vero ab illis hos, cum consultant & statuunt, & ab his illos, cum jus dicunt, sæpius consuli, quia in omnibus justum & utile debet simultanee expendi & tractari. Jurisprudentiæ non meræ sunt, sed etiam Politicæ artis, ut ab illa discernitur, in quibus juris gentium fundamenta hic ponimus. Utraque socialem disciplinam tractat & dispensat. Illa ad justitiam, hæc ad utilitatem. Si conjunctim utraque ars exercetur, ut quod justum in utilitatem cedat, utile justitia regatur, inter populos & in republica omnia bene se habent, & ipsam salvam præstare, juxta inter omnes finem obtinere, atque custodire, facile prosperumque erit. At ubi studia ista divelluntur, non poterit non à fine suo ipsa societas abesse & deturbari, ideoque nec ipsa diu incolumis esse, nec aliis incolumitatem porrigere. Excogitavit diu & publicavit gentium providentia & voluntas ratione utentium communis, pro singulis istis requisitis, per quæ obtinerentur, eaque in gentium jus transferunt, ut iis tanquam principiis utamur: Ex quibus ut derivantur cætera, ita rectis syllogismis superstruuntur.

XXII. Pro' societatis apta compositione suprema lex, inde gentium juris primum est, ut in humanis nihil cuiquam, ante vel supra societatem, sub
qua

qua coitur, existat, dum nihil sine ipso beatum, tranquillum, & incolume sperandum. Quo Cicero, nis illud respicit: *Salus Populi suprema lex esto.* Plures ex eo fluunt leges aliæ inter gentes, pro jurisprudentiæ principiis communibus receptæ. Nempe neminem sociorum, bonum aliquod suum, nisi quod simul civitatis est, reputare, ideo privatas suas rationes à publicis separare non debere: Publica privatis esse anteferenda: In omnibus præprimis ad rempubl. esse respiciendum, eo omnia dirigenda: Incommodi privati, modo Reipubl. bene sit, non haberi rationem: Reipubl. causa cedendum civi, de suo jure: Nihil cuiquam contra rempubl. juris esse: Nihil non bono civi pro civitate, ut patriâ ferendum.

XXIII. Alterum in civitate pro suo sine necessarium, ideo & gentium juris est in Unione, quam facere debet conjunctio & conspiratio honesta omnis multitudinis consociatæ, ut una velut persona sit, cui una mens, unus sensus, una voluntas, & omnia inter multos velut una atque eadem. Quod efficitur animorum pro societate consensione atque concordia. Idem velle, idemque nolle ea demum vera amicitia est. Distracta inter membra voluntas non sinit consequi, aut durabilem habere finem. Pestis inde capitalior civitatum non est, quam in disidiis. Livius lib. 3. Histor. *Factiones fuere eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbi, quæque alia in DEUM iras velut ultima publicorum malorum vertunt.* Improbum hinc per gentium jus per dissensiones ire in partes & factiones, divellere quod est reipubl. disfidere & discedere à communi mente.

XXIV. Pro unione multitudinis sensibus propriis alias distractæ, necesse fuit in medio aliquid poni, in quo omnium jungeretur & velut concentraretur

tur animus & voluntas. Non id aliud esse potest, quam ex quo omnibus salus & securitas, nempe ipsa civitas, quæ centri instar, ad quod cuncta tendunt, & in quo finem habent. Inde is nexus communis omnium, quo cohærent, & qui eam parit juris gentium constitutionem, ut nemo aliter velle debeat, atque vult civitas. Ex qua hæc ejus leges prodeunt, *Prima*, ut voluntas omnium & singulorum voluntati societatis subdita & astricta sit, unde obsequii debitum & studium. *Secunda*, ut in iis, quæ societatem concernunt, naturalis libertas opinionis atque voluntatis cesset. Inane quippe erit remedium, ex societate quæsiisse, si unicuique suâ integra sententia suisque viribus uti fas, ex quo non possent non vel opinionibus distracti, vel ingeniis consiliisque diversi, vel æmulatione & invidia impulsivi, animis divelli, & à pace atque securitate, quam quærebant, deviare, quare idem finis intulit legem consensionis in idem. *Tertia*, ut dissentientium à mente societatis nulla circa hanc potestas sit. Possesse nemo debet, ubi velle non potest, frustra poscitur voluntatis submissio, si reliqua erit dissentienti facultas. *Quarta*, ut, ab unitate civitatis per contrariam voluntatem descendit, nulla habeatur ratio. Nihil refert, quam mentem habeant, qui istam alteri subicere, & obtemperare necesse habent. Nolle nequit, qui velle non potest. *Quinta*, ut qui idem cum societate velle debent, non modo inutiliter, & in vanum aliud velint, sed etiam ad idem, licet nolint, faciendum omitendumque coerceantur & compellantur. *Sexta*, ut societatis & sociorum, seu civitatis & civium, sit bonum, quod commune est, nec privati usus ab illo separati ratio habeatur.

XXV. At non minus, quam per naturam fieri
impos-

impossibile, ut multi sint unum, difficile futurum in multitudine, unam sperare sententiam atque voluntatem. Quam naturalis ad dissentiendum facilitas est? *de qua JCrus in l. 32. §. 2. ff. de recept. arbitr. queritur*, Naturaliter post turbatam humanitatis integritatem quot capita tot sensus existent: Hos inter discordes, præsertim multos, in consonantiam redigere leviori non eget labore, quam ista mulra sub eundem pileum. Quare aut desperatum relinquere oportuit remedium, imo in magna multitudine magis periculosum atque nocentissimum, quam in solitaria vita, & quævis alia mala experiri aut excogitare, quod unionem animorum atque voluntatum faceret, aut istius loco esset. Repertum facile, quam unio istiusmodi inter tam multos haberi non potuit, nisi constituto uno, quod omnium vices haberet, omnium instar esset, ejusque omnes suam voluntatem submitterent, ita omnes unum faceret. Pro hoc regimen aliquod societatis, penes quod esset, necessarium apparuit. Exemplum domesticarum societatum, quarum nulla sine eo est, dubio procul adduxit ad imitationem. Quomodo domum continet patrisfamilias cura, eique obnoxia omnis in domo voluntas, sic in ampliori multitudine, unius vel plurimum eam auctoritatem facere, quæ idem in ista præstet, ad concordiam pertinere existimatum est. Qui cum exinde cæteris superiores fierent, regni vel imperii nomen cum iis induxerunt. Unde Hermogenianus *in l. 5. ff. de Just. & Jur.* ait: *Ex hoc jure regna condim.* De ea necessitate Cicero *lib. 3. de Legib.* *Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest.* De illa unione omnium sub Imperio tanquam vinculo, quod omnes in unam voluntatem redigit & adstringit, pulchra Senecæ *lib. 1. de Clem.* de-

mon.

monstratio habetur. Quibus ea functio per populos conrigit, magistratus vocarunt, cujus in societate, quæ patrisfamilias in domo similis sollicitudo reddita est, isti inde facti sunt velut necessarium remedium corruptæ naturæ, uti Lutherus *ad cap. 2. Genes.* vocavit. Theodoretus *in Orat. 7. de Provid.* *DEUS velut Pharmacum quoddam mali expulsum iniquitatis imposuit ulceribus, Magistratus administrationem.* Cujus necessitatem Salomo *Proverb. cap. 11. v. 14.* juxta vulgarem versionem admonet: *Ubi non est Gubernator, populus corruct.* Quod sine eo futurum indicatur, inter sacra eloquia *Judic. 17. v. 6, & 21. v. 25.* *In illis diebus non erat Rex in Israel, & faciebat quilibet, quod re-ctum in oculis.* Ut populus Persicus intelligeret, pro concordia necessitatem regiminis in cœtu humano, lege introductum fuit, referente *Stobæo Serm. 42.* εἰς αὐτοκρατορίας πένθ' ἡμερῶν, ut cuilibet quinque diebus à morte regis proximis facere liceret, quod vellet.

XXVI. Cum magistratus seu imperantes ita in societatibus humanis constitutiesent, in quæ omnes velut unum, seu omnium eadem voluntas, sententia, judicium fierent, per consensum gentium, & ex eo constitutionem communem acceperunt auctoritatem publicam, ex qua hæc prodeunt, & istius juris fiunt, *primò*, ut imperantes totam multitudinem repræsentent, ejus vice sint, & ab vel coram ipsis gesta sic habeantur, atque si à tota communitate, ejusque singulis acta fuerit: *Secundò*, ut voluntas & judicium imperantium sit voluntas totius societatis seu civitatis: Inde *tertio*, ut quod ipsi volunt, constituunt, exigunt, omnes ita velint, ac si sponte sua vellent: *Quarto*, ut nemo à voluntate Imperii dissentiat, aut si dissentierit, nullius momenti, si repugnaverit, coercendus sit: *Quinto*, ut arbitrium rerum socialium penes imperantes

rantes existat : *Sexto*, ut nemo alius ex republ. seu rebus civitatis sibi quidquam sumat, vel arroget: *Septimo*, ut pro causis publicis curæ imperantium conceditis non liceat civibus, aut inter se coire, aut cum aliis conspirare, ex quo conciliabula, conventicula, fœdera, & confociationes subditorum inter se cum aliis interdicta.

XXVII. Pro his omnibus necesse erat imperantibus tribui sufficientem fini potestatem, & reliquis injungere obsequii necessitatem. Potestas, quæ in istis conjungeret voluntatem, societati conveniens, non est nisi sit, *primo*, una, non ut unius esset hominis, sed et si plurium, tamen omnium unita & sola. Siquidem illa in eadem societate esset multiplicata, vel diversa, non posset obtineri aut retineri una voluntas, & constans concordia. *Secundo*, summa: Nam quam transcendit alia, non potest aut sola velle, aut omnium in societate voluntatem continere, non aliter valitura, quam si non aliter velit, qui est superior. *Tertio*, absoluta, hoc est ad omnia, quæ societatis usque requirunt, sufficiens. In quo defectus ipsam societatem mutilat, fini suo minime apta, nisi ad omnia in quæ prospiciendum, potens, & vires suas per imperii vices exerere valens. *Quarto*, soluta legibus, quæ alias obisterent, si aut novas requireret republ. aut iis uti per temporum circumstantiam non liceret. *Quinto*, rationibus non obnoxia, quia alias ad disidia semper patebit via, sicut Tacitus *1. Annal.* ait: *discordantis patriæ non aliud remedium, quam ut uni reddatur.*

XXVIII. In iis, qui de societate sunt, obsequii necessitas necessario consequens est potestati, sine illa frustraneæ. Istius per jus gentium hæ sunt leges: *Prima*, ut quisque voluntatem suam submittat imperio, adeo quod imperans vult, simul velit
ratum

ratum charumque. *Secunda*, ut voluntati publicæ, per imperantem expositæ, lubenter obediatur, quidquid isti convenit, obsequiosè faciendo, vel omittendo. *Tertia*, ut rationem imperii nemo nisi qui cum ipso est, poscat, sed ita de isto præsumat, quod omnia imperans benè, prudenter, salutariter velit: *Quarta*, ut licet cuiquam aliter videbitur, non tamen dissentiat, nedum reluctari audeat: *Quinta*, ut iussa & decreta imperantium magni faciat, aliisque rebus omnibus anteponat: *Sexta*, ut nihil non conetur, quo voluntatem publicam præstet, seu suam faciat: *Septima*, ut pro illa quisque sit patiens laborum, onerum, incommodorum, imo & injuriarum.

XXIX. Quando autem Imperium multis curis atque laboribus indiget, nec opus unius, vel paucorum est, multos ministros ad Consilium & auxilium requirit, per gentium consensum inter iusta positum, *Primo*, ut quæis conceditur civitatum Regimen, penes illos sit ministeriorum electio. *Secundo*, ut hæc sint & sancta, inviolabilia, tanquam pars corporis Imperatorii: *Tertio*, ut perinde sit & habeatur, quidquid pro imperio per ministros dicitur agiturque, quam quod illi, quibus imperium competit, dicunt vel faciunt, velut illorum vices & faciem gerentes: *Quarto*, ut per istos juxta legem moremve functionis acta vel gesta vicissim domini terrarum, penes quos imperium est, rata habere & servare teneantur. *Quinto*, ut tamen non muneris vel commissio- nis, ex qua ministrant, limites egrediantur, aut egressi obligent civitatem ejusque caput: *Sexto*, ut pro- authoritate, qua ad vim munerum opus, ultra vulgarem sortem sint eveci dignitate, immunitatibus, prærogativâ.

XXX. Alterum societati necessarium est, ejusdem

dem in sustentatione, seu conservatione. Pro eo gentium jus *primum*, ut nihil aut omnibus aut singulis liceat, unde societas pereat, vel infirmetur: Cujusmodi perniciēs est ex distractione in partēs seu factiones; Subjectione civitatis sub alterius potestatem; Immutatione vel violatione legum Reipubl. fundamentalium; Alienatione partis ē territorio vel ditione, quæ sedes & materia civitatis est; Discessus à civitate tanti civium numeri, qui istam debilitet; Tyrannide in cives, inde talia, per jus gentium improba sunt, nec capiti nec membris corporis socialis licita, ideo & impossibilia.

XXXI. *Secundo*, quomodo caput & membra pro salute & incolumitate societatis sunt devota, ita nihil in iis esse debet, quod non huic debeatur & præstetur, quo salva sit: Æquitate naturali, juxta salutem communem, hoc animis insinuante, ut quomodo suam omnium & singulorum salutem ē republ. quærunt & sperant, ita ante omnia, & sui causa illam integram incolumemque præstare, istique studio nihil posthabere debeant. Ex quo omnium & singulorum debitum est pro republ. excubias agere, arma capessere, pugnam inire, opes, corpus, vitam, cum necesse est, impendere, pericula, cruciatus, mortem non reformidare, sed animo prompto alacrique subire; cui consequens, ut cum reipubl. causa necesse, vel utile, imperio talia imponere & exigere, subditis prompte obsequi conveniat. Hinc per jus gentium in scelere, fuga, desertio pugnae, latitatio cum juvenda patria, proditio, cum hostibus collusio, seu conspiratio, & similia.

XXXII. *Tertio*, media constitui necesse fuit, quæ Respubl. eget, ad sui conservationem, vigorem, gubernationem, defensionem. Per gentium itaque ratio-

rationem in juris necessitatem talia venerunt, quæ consistunt vel in bonis à privata possessione separatæ & reipubl. adictis, vel in muneribus, per omnes & singulos pro Reipubl. necessitate & usu, vel per corpora, vel ex patrimoniis obeundis. Quorum jura, inde Regalium nomen acceperunt, quod Regiis usibus cedunt. *Bona* publicis usibus addicta, ex gentium jure, eam conditionem acceperunt, *Primo*, ut sint reipubl. propria, & illius necessitatibus obnoxia: *Secundo*, ut quam fieri potest optime administrantur & conserventur, ad alios usus nunquam convertenda, ideo extra necessitatem istius inalienabilia: *Tertio*, ut nec imperantium arbitrio aliter, quam pro republ. subjecta: *Quarto*, ut circa ea alienando, mutando, deteriorando, perperam acta, invalida, & nullo tempore corroboranda sint: *Quinto*, ut sint sancta, extra omne privatum commercium: *Sexto*, ut quidquid ex iis per quemquam deterius sit, non sit impune. *Munera* sic ex gentium jure disponuntur: *Primo*, ut imperii, ideo hoc gerentium tantum sit indictio: *Secundo*, ut non indicantur, nisi cum necessaria, ad finem pro quo cives reipubl. devincti sunt: *Tertio*, ut modus sit impositionis, pro modo finis, ut qui sustinent & præstant eo fruantur, nec per ista opprimantur: *Quarto*, ut ex iis collecta in alios usus non convertantur, nec inutiliter prodigantur.

XXXIII. Tertium Principale, cui Gentium jurisprudentia præcipue studet, est in manuactione hominum ad finem societatis: *Qui*, ut antea vidimus, duplex est, jus & pax. Utrouque hoc sine frâi ut liceret, curandum fuit, tum apud suos, quo inter se quieti iusta cuique præstarent & reciperent, tum apud externos, ne ab iis injuria atque turbatio proficisceretur. *Domi* quæque gens necessitate, ratione, usu adducta

adducta existimavit ad justitiam & tranquillitatem expedire, atque necessaria esse, Religionem, Disciplinam, Leges, Jurisdictionem. Sic quippe hæc comparata, ut homines ad societatem ejus finem disponant, aptent, eformant: Inde pro singulis hic inventa atque recepta fuerunt, quæ illuc proficerent. Haud sufficit ista amare, & optare, sed ut hominum ingenia se habent, iis dextre applicare oportuit.

XXXIV. Religio cuique naturalis est, formam atque institutionem ex Divino verbo accipit, inde naturalis, divinique Juris. At quatenus ejus ad societatis finem usus necessarius, sic ejus multa sunt juris gentium reddita. Pro quo, si cœtui bene esse debet, curandum fuit maximè, *primò*, ut in eo vera & divinæ voluntati congrua recipiatur & colatur religio. Id quod omnes gentes volunt, & licet multum aberrant, à se tamen fieri credunt, errorem suum veritatem reputantes: *Secundo*, ut quam maximè fieri potest, in societate una sit, dum nihil ejus diversitate magis animos ideo unitatem socialem distrahit: *Tertio*, ut ubi hoc obtineri nequit, tamen præter interiores de divinis sensus nihil cuiquam sine publica providentiâ publicè liceat, nec aliter quam quieti societatis convenit: *Quarto*, ut religionis jus non aliud quam publicum & sub jure & potestate Imperii sit, inde Regii Juris religiosa ordinare, sacra ministeria constituere, loca sacra facere, cultum & ceremonias sacrorum formare: *Quinto*, ut religionis cultus exerceatur, cum insigni devotione atque reverentia, diligenter, assidue, pie. *Sexto*, ut mentes religione juxta ad amorem timoremque Numinis indefinenter imbuantur, nec occasio vel minima permittatur ad impietatem, superstitionem vel similia, unde amor metus-

que

que imminuetur. *Septimo*, ut cuncta circa illam bene ordinata, eaque sint sancta & inviolabilia.

XXXV. Disciplina est in conformatione & assuetudine hominum sub societate ad ejus finem. Ad quam ut nihil educatione juventutis præstantius, ita juris gentium circa eam providentia effecta est juris publici, ideo imperii civilis. Cujus jus & officium, Scholas instituere, docentes approbare & constituere, docendi, discendi que modum præscribere, ut juxta illum omnia recte procedant, inspicere, ne quisquam circa ea, sine publico scitu & indultu sibi aliquid summat, prohibere. Deinde pro eodem fine curam impetrantium facta necessaria, ut omnes & singuli vitam honestam in societate degant, easque artes ingenio manuque exercent, quæ sine cujusquam fraude & injuria procedunt. Succedit huic morum cura & pro hac censura.

XXXVI. Leges, ut vincula societatis & regulam vivendi, totus adhibet & servat orbis. Qui gentium juris effecit, *Primo*, ut Imperii jus esset, istas condere, publicare, interpretari, cum opus mutare, abrogare: *Secundo*, ut summa legum sit autoritas, & apud omnes necessaria strictaque observantia, ut nec vel latum unguem ab iis recedendi licentia pateat. *Tertio*, ut vis earum inexorabilis sit, nec cuiquam non observandi gratia vel venia, nisi ob reipubl. evidentem utilitatem eveniat: *Quarto*, ut legibus omnia singulorum commoda cedant, & his contra illas quidquam tribuere nefas sit: *Quinto*, etsi lex ratione cære non debeat, utpote quæ armata ratio est, tamen nulli in ejus rationem inquirendi, de ea ambigendi vel disputandi facultas permittatur, in quo aliquid indulgere, est totam legum virtutem infringere: *Sexto*, ut severa juxta atque diligens sit legum custodia.

dia, tum ne contra eas peccetur, tum si peccatum fuerit, emenderetur & puniatur.

XXXVII. Jurisdictio in hoc per gentes parata est, ut jus suum cuique, etiam qui sponte nollent, iniuri tribuerent, ideo cessante vel emendata cito injuria, ad vim & arma decurrere opus non esset: per eam jus & pax optimè servantur, dum hanc violare opus non est, quia illud habetur, vel ubi violatur emendare, & turbantes coercere in promptu. Pro ea communes quædam gentium constitutiones existunt: *Prima*, ut sint in societate civili judicia, per quæ omnibus & singulis, quoties opus habent, pateat & subveniat jurisdictio. *Secunda*, ut jus sibi sumere vel asserere, vi vel autoritate suâ, nemini arbitrarium, vel integrum maneat, sed solum in iudicio illud petere & impetrare necessarium. *Tertia*, ut iudiciis adsit potestas, fini suo par, & ad jus dicendum tribuendumque sufficiens atque efficax. *Quarta*, ut publicâ autoritate sit munita, nec aliter habenda, atque si, quod per jurisdictionem factum, totus populus fecerit, isque ad illam tuendam sit devinctus. *Quinta*, ut judicia sint sancta atque inviolabilia, neque ista spernere aut vili-pendere impune. *Sexta*, ut exercentur, seu jus dicatur, integrè & incorruptè, per idoneos, à quibus justitiam quisquis certò sibi polliceri queat, nempe vitæ morumque innocentiam probatos, sapientes, juris peritos, dexteritate & libertate iudicii præditos, ideò ab iis, quæ hanc corumpunt, affectibus & vitiis alienos. *Septima*, ut veritatis justitiæque indago sit diligens & exquisita, auditibus partibus & assumptis, per probationes fidei, argumentis ex processu, qui ad istam necessarius est & expediens. *Octava*, ut, quia & in his errari & per iudices aliter peccari potest, sint petentibus, pro jure suo deducendo, justa seu apta fini remedia, ex provocatione,

T

revi-

revisione, restitutione in integrum. *Nona*, ut judicetur juxta veritatem facti, & normam juris, justè, actis & petitis congruè, pro tollenda omni lite perspicuè. *Decima*, ut judicata habeantur pro jure & veritate, eorumque autoritas inter litigantes vim legis strictamque observantiam habeat, idè res judicatas in controversiam revocare non liceat. *Undecima*, ut judices judicata sine mora executioni mandent, nec elusoria seu inania fieri sinant.

XXXVIII. Extrinsicus quo cuique societati eveniant justa & tranquilla, gentium meditatio ab antiqvo reperitur, eaque talis, quæ juris aliquam inter ipsas necessitatem, ex hac securitatem præberet. Præcipue id cogitatum atque quæsitum Primo, distinctione finium, intra quos quisque sua quiete haberet, & aliis sua relinqueret: Quorum inde *Prima* gentium lex, ut fines semel constituti sint sancti, inviolabiles, atque immutabiles, tanquam possessionum indices atque arbitri. *Secunda*, ut fines sine accolarum voluntate mutasse, intervertisse, corrupte, sit fœdum atque odiosum, ideo inter graviora mundi crimina termini moti facinus. *Tertia*, ut fines reddantur maximè luculenti & certi, tanquam ex quibus possessionum certitudo definiri ac controversiarum occasio præveniri debeat, ideoque id præ finibus sit & habeatur, quod ad terminandum insigniter facit. *Quarta*, ut & finium signa, more vel pacto recepta sancta sint, nec voluntati eorum, quos dividunt, obnoxia. *Quinta*, ut, quicquid intra fines est, sit & habatur de terra finita, ideo & domini atque de territorio ejus, cujus ista existat, inde omnes & omnia, quæ vel quæ in cujusquam territorio reperiuntur, etiam sub domini territorii potestate & jurisdictione, tanquam portio ejusdem comprehenduntur. *Sexta*,

ut cuilibet in suo territorio integra & non impedita, relinqvatur superioritas, cum omni jure territoriali, quod imperii facultas tribuere apta. *Septima*, ut quisq; suis se contineat terminis, animum manumqve non porrigat ad aliena, quocirca alios in suo territorio, cum suis & in sua, tam liberè & sine ulla perturbatione agere, imperare, disponere sinat, nec se alienis ibi immisceat, sed quomodo sua sibi per alios intacta cupit, ita aliis sua linquat.

XXXIX. Secundo, tranquillitatis inter populos remedium est, ex justorum præstatione, pro qua has leges tacito consensu inter semet velut pacti sunt, & fixerunt: *Prima*, ut superior cujuscunq; territorii potestas ad justa aliis etiam exteris reddenda non difficilis, sed prompta sit, tum quod civitas debet non difficulter præstando; tum etiam, de quo est contra subditos actio, jus dicendo, & ut justa ab his præstentur, omni ope efficiendo, dum nullum pacis vallum firmitus, quam in cavendo, ne alteri sit de injuria querendi causa: *Secunda*, ut jurisdictio altera alteram juvet in juris administratione, promptaque sint pro hac ubiqve mutua auxilia: *Tertia*, ne justa recusanti sint apud alios effugia, vel subsidia, sed metu potius communis odii quisque ad ea adigatur: *Quarta*, ut jurisdictionis ope impetrare non valenti contra negantis vel protrahentis subditos eorumq; bona & naves, apprehendendi, detinendi, & debita inde sumendi facultas, nec tamen ex eo, nisi quatenus exceditur, belli causa sit: *Quinta*, ut ad arma pro jure consequendo non decurratur, nisi ex inevitabili necessitate tentatisqve frustra omnibus aliis mediis: *Sexta*, ut cum necessario illa sumuntur, clarigatio præcedat.

XL. Tertio, quieti inserviunt securitatis præsidia, qualia sunt munimenta, milites, fœdera, quæ

sine jure non reliquerunt. Inter quæ *primum*, ut illorum exercitium & dispositio non sit singulorum, sed totius civitatis, & illam repræsentantis Imperii, ne dum quisque suæ invigilat, omnes exalicujus temeritate domi forisque in pericula incidant. *Deinde*, ut ea præsidia quære sit unicuique integrum, nec incujusquam, nisi adversa meditantis, ideo eo magis cavendi, præjudicium accipiendum, vitiove vertendum. *Tertio*, ne quis iis præsidis ultra, quam ad sui securitatem, non ad æmulationem, offensionem, discrimen aliorum utatur.

XLI. Quartum, cui præcipue gentes jurisprudentia sua prospectum voluerunt, consistit in providentia adversus illa, quæis jus & pax facile corrumpitur & intervertitur, nisi justis obviatum eatur. *Primum* periculum fuit, ex jure omnium in omnia, cum quo accedente depravata hominum concupiscentia non potuit consistere jus & quies, ideo perpetuo belandum fuisset, illo omnibus & singulis titulum capiendi, rapiendi, retinendi, defendendi, præbente, ideo contrarias semper cupiditates, excusante & sustinente, ut sola vis superaret. *Remedium* adversus hæc non aliud, quam ex conversione dominii, ut quod ex natura omnium esset, constitutione gentium singulorum fieret; Factum aliorum jus excluderet, habentium tamen voluntate aliis eadem res contingere possent, aliquando etiam deberent. Duplex inde circa res cœpit inter populos commune jus, proprietatis & communicationis, quorum illud habentibus securitatem, hoc non habentibus ad necessitates usque suos accipiendi occasionem atque æquitatem præbuit; sic mediè hoc curando, ut jus in omnia, quasi fons situm & turbarum per proprietates desineret, jus habendi tamen, & ad hoc præstandum quædam ob-

liga-

ligatio, ut vinculum gentium benevolentiae remaneret.

XLII. Proprietatum juri, ut justitiae & tranquillitati convenit, firmando has leges dixit mundi communis consensus; *Primo*, ut rerum, quae nullius sunt, occupatio istas occupanti tribueret, & post occupationem nemini in illis, aut ad illa jus capiendi superesset. *Secundo*, ut quod ab aliquo semel acquisitum, non nisi voluntate ejus ad alium transferri posset, ideo contra illam ab alio non concupisci, nedum capi aut rapi. *Tertio*, ut acquisiti dominii jus securum, sanctum & inviolabile haberetur, ideo inter populos criminis, domino invito suum contrectare, seu clam seu palam, seu dolo seu vi. *Quarta*, ut ex alterius bonis contrectati, erepti vel deperditi, statim fieret restitutio & reparatio. *Quinto*, ut dominis super rebus suis liberum sit habendi, retinendi, utendi, alienandi arbitrium, ideo, ne quis circa res suas quicquam injure facere cogatur, citra imperii legisque jus. *Sexto*, ut transferendi certi modi introducerentur, istique justae acquisitionum tituli fierent, ex quibus res justè caperentur & retinerentur, inde secura redderetur possessio. *Septimo*, ut certa essent dominia, nec litibus sinerentur obnoxia. *Octavo*, ut esset, ex quo dominii jus redderetur certum, idque tale, quod in oculos incurreret, nec facile controversi posset, medium complacuit, ex quo dominium censeretur, & sic praesumeretur, quò habendi securitas constaret, donec jure exinceretur. Quod possessionem gentes fecerunt, eamque magna securitate & prerogativa munierunt. *Nono*, ut, quomodo societates civiles singulis licentiam habendi propriam, quae antea per naturae jus omnium erat, fecerunt, ita ipsamet ab illo manerent, ubi rebus egerent, exceptae, sibi que jus

T 3

integrum, pro usu & salute omnium superesset, velut singulare & supereminens, ut vocant dominium.

XLIII. Jus communicationis pro usibus aliorum sic gentium jurisprudentia constituit: *Primo*, ut aliis quidem ex proprietate jus esset, sua sibi securè habendi, & suis usibus præprimis applicandi, sed remaneret debitum humanitatis, eadem ad usum aliis communicandi, reddita simili ejusdem juxta naturam viæ: *Secundo*, ut quæ usum innoxium aliis salvâ re præstare possent, indigentibus non denegarentur, tanquam jus in omnia non aliter abdicantibus, quam ut eo nihilominus frui fieret: *Tertio*, ut essent inter populos super iis, quæ alter abundaret, alter opus haberet, commercia, quorum beneficio aliena sua faciendi, & suis necessitatibus atque commodis ex aliorum bonis consulendi copia fieret: *Quarto*, ut hæc commercia essent libera, tuta, commoda, nec prohibendi, onerandi, aut ab iis excludendi, nisi ex causâ per naturæ jus probabili facultas: *Quinto*, quò etiam sine quibus libere, tuto, commode coli atque exerceri nequeunt, relinquerentur libera & secura, qualia sunt maria, flumina, portus, littora, itinera: *Sexto*, ut prohibentium, turbantium vel nimis onerantium communia sint odia & vindictæ, ideo adversus eos pro libertate & securitate populorum communia studia: *Septimo*, ut pro consequendis rebus alienis earumque usibus reciperentur & frequentarentur certa contractuum genera, transferendis apta, & pro diversitate finis ad quem considerantur diversa: *Octavo*, ut inibi pro commercio, contractus bona fide servarentur, nec vel iis contraveniret, aut in iis decipere fas: *Nono*, ut si contra humanitatis jura negetur commercium vel communicatio, necessitate extrema pressis atque indigentibus ex primo jure naturali esset licentia, ex alienis sibi quædam

dam pro ea sumendi, dummodo quod æquivalet re-
pendatur.

XLIV. Alterum ad turbas pronum est in liber-
tate iudicii, quam cuique natura de omnibus dedit.
Ex quo cuilibet quod velit ex ratione sentire liberum,
aliis in eo citra captum ductumque rationis suæ obse-
qui non necessarium. At quam necessaria civitatibus
fuit concordia, & iis quibuscum iis negocia interce-
dunt rerum contractarum securitas, his vero ista liber-
tate nihil magis adversum, tam ex re communi erat,
eam non relinquere promiscuam, sed submittere men-
tes & voluntates communi eudem iudicio, quod in-
star omnium placiti esset atque haberetur. Inde ex
leges populorum, *primo*, ut essent unus vel aliqui vi-
ce omnium, quibus omnes suam voluntatem iudici-
umque subicere, & quod isti voluerunt, tanquam su-
am mentem, cogitatum dictumque habere necesse esset:
Secundo, ut acta eorum, quibus universitas sui jus de-
dit, unde illam repræsentant, habeantur eatenus facta
singulorum, quod singuli ea rata habere, sequi, pro
posse præstare, nulla ratione se opponere aut contra-
dicere debeant: *Tertio*, ut si plures ex constitutione
cœtus personam circa negocia communia sustinent,
iis disidentibus, majoris partis consensui, tanquam
melioris rationis præsumptione præpollenti, stetur:
Quarto, ut à communi voluntate recedere, dissentire,
multo magis factiones, seditiones & tumultus ex-
citare non sit permissum, nec impune.

XLV. Tertium motibus aptum est, ex ambitione
& opinione de se hominum, & adversus hujus pericula
ex jure providentia placuit, *Primo*, ut honorem atque ex-
istimationem integram virtute atque vitæ innocentia
cuique mereri vacet & incumbat; haud tamen jus peten-
di & sibi ut jus quoddam à republ. aut aliis invitis sumen-

di facultas existat: *Secunda*, ut honoris arbitrium non sit nisi totius civitatis, & hanc representantis Imperii, nec aliter, quam ab hoc sumenda & expectanda honorifica, sive in mero honore, sive in publicis muneribus consistant: *Tertia*, ut quem reipubl. nomine & jure imperans honore dignum facit, omnes pro honorato censeant & colant, nec cujusquam, secus de eo opinandi, aut honorem eontrovertendi facultas superfit: *Quarta*, ut quem quisque honorem publico judicio capit, eo non tantum inter suos cives, sed ubique gaudeat, & quomodo singulæ gentes suæ virtutis & nobilitatis venerationem ubique optant, ita vicissim alieno judicio eandem tribuant: *Quinta*, ne alii quam toti civitati, & ob hanc imperio sit incujusquam famam potestas, ideo nec infamia aliunde, quam ex lege aut judicio publico; cætera in istam inania atque sine effectu sint: *Sexta*, ut infamibus nulla sit honorum atque existimationis copia vel occasio, nisi publico judicio aboleatur prius infamia.

XLVI. Quartum salutis publicæ adversum oritur ex delictis contra jus seu gentium commune, seu ejusque populi proprium commissis, quibus ea lex posita, *primo*, quod ut delicta per naturæ jus punire æquum, impunita non relinquere ex gentium jure necessarium sit: *Secundo*, ut delictorum manifestis nullibi securitas aut effugium sit, sed ubique persequendi & supplicia exigendi facultas competat: *Tertio*, ut contra facinorosos ubique jurisdictionis auxilium pateat, & vel persequentibus dedantur, vel ab his, apud quos reperiuntur, custodiam & poenam reformident & sentiant.

XLVII. Quintum est ex controversiis, litibus & discordiis, tanquam fructu injuriæ & fonte turbarum. Quibus per gentes ex his remedium sancitum: *Primo*,
ut

ut jure non vi agatur, & nemo nisi ultima necessitate coactus alteri etiam sub obtentu juris vim inferat: *Secundò*, ut si judicem quis non habeat, tamen vel amicabilem compositionem vel arbitrium admittat, ubi iusta pati altera pars offert, dummodo à non suspecto arbitrio jus dicetur: *Tertiò*, ut quisque paci omni modo studeat, & pro ea, cum necessarium, de jure suo cedat: *Quartò*, ut queis ex turbis voluptas, nihilque pensi habent, dummodo semper belligerent, commune odium apud omnes, ideo per eos oppressis auxilium & pro pace honesta conspiratio sit: *Quinto*, ut cum aliqui in discordias prolapsi fuerint, ceteri penes quos ea autoritas, ad flammam ortam extinguendam mature interveniant, & omnem pro conservanda aut reducenda pace lapidem moveant.

XLVIII. Sextum oritur ex causis, quæ bellum faciunt & ad arma incitant, aut necessitant. Ne tamen illius incendium statim erumpat, communi quodam jure gentes evitatum voluerunt his legibus veluti positis, *Primo*, ut non omnibus armorum jus sit, sed solis, qui superiores non agnoscunt: *Secundo*, ut non in alios, quam qui judicem nullum habent, vel non patiuntur: *Tertio*, ut non nisi iusta ex causa ad arma perveniatur: *Quarto*, ut saltem ex necessitate, quia alia ratione juris consecutio non possibilis, aut valde difficilis atque desperata: *Quinto*, ut denuntiatio belli præcedat, quo integrum sit denunciato, an cedere & iusta facere, quam armorum fortunæ se submittere malit.

XLIX. Septimum est, ut si ad arma bellique statum deventum fuerit, in eo superstes sit usus juris naturalis, & facilis reditus ad statum pacatum. Propriore gentium mos etiam inter bella servat, *Primo*, ut licentia armorum humanitate temperetur, sicque belli

belli jus exerceatur, ne contra jus naturale inhumana perpetrentur: *Secundo*, ut virtute & fortitudine, non per scelera & turpes artes bella gerantur, ideo bellum non legitimet, quod naturaliter inhonestum: *Tertio*, ut licentia belli intra finem hujus consistat, nec ultra cum innocentes per arma sæviatur aut vastatio fiat, ex quo temperamentum bellici juris circa eadem, captivitatem, prædam, aliosque ejus effectus: *Quarto*, ut non valeat duretque ultra victoriam; post eam captis, deditis, miseris parcatur, tanquam non amplius ex parte hostium, sed ut suis jam existentibus: *Quinto*, ut inter hostes relinqvatur negotiorum, queis bella egent, commercium, ideo hujus instrumentis, per quæ exerceatur, sit utrinque securitas: *Sexto*, ut fides, hostibus data & ab iis recepta, non minus in bello quam extra illud sancta sit, & servetur: *Septimo*, ut non ultra sit in homines vel res belli jus, quam in hostium potestatem perveniunt, ideo ab hac quæ manent libera, vel cum sub illa fuissent, ad libertatem revertentia à belli effectibus eximantur. Illud ob cessans jus belli, quod ex occupatione ineipit; Hoc ob jus postliminii à Gentibus introductum.

L. Quo facilius sit ad pacem reditus, pro jure inter gentes observatur: *Primo*, ut non nisi pacis causa bellum geratur, & ubi ista justa & secunda haberi potest, hoc non præsumatur, nec pacem, quæ haberi potest, aspernari sine crimine sit: *Secundo*, ut pro pace colloquia, interpositiones & oblationes non rejiciantur: *Tertio*, ut cum ista placuerint, sint secunda & commoda, nec talium fiducia cuiquam periculo vel damno sit: *Quarto*, ut quæ pro reparatione pacis conveniunt, induciæ sancte fideliterque observentur: *Sexto*, ut queis instrumentis amicitia vel conservatur vel reparatur, sint inviolabilia, ideo legati etiam hostium sancti, plena ubique

ubiq; securitate, suoq; honore mediâ inter arma gaudent: *Septimo*, ut si complacent tractatus pacis, pro iis loca & subsistendi media sint tuta, nec ullis armis infesta.

LI. Hæc præcipua & prima gentium juris secundarii elementa, tanquam cæterorum, quæ de isto in pleniore commentario trademus, fundamenta in prodromo nostro principiis jurisprudentiæ communis delineandis destinato, prænotare oportuit, ut ex iis præliminarie cognoscatur, quo studium nostrum collimet. Ex istis procedunt collectiones, per quas jus gentium ultrâ in singularibus statuitur. Ne circa istas aberres, hæc tibi semper considerata sunt: *Primo*, quid finis istius, qui, ut vidimus, est jus & pax, necessario deponat: *Quem* cum nemo non populorum velit, seu velle debeat, inter suos & cum aliis ubiq; omnibus justum, quod pro fine necessarium; injustum, quod contrarium: *Quod* in medio versatur, extra necessitatem civilem, ideo nec justum nec injustum est, ut propter his vocibus utimur, sed arbitrio singulorum relictum, ideo quod ex eo fit, vel non fit, iusti nomen ex eo accipit, quod facere vel non facere injustitiâ caret; seu quia nec mandatur, nec prohibetur, sed liberum est: *Secundo*, quæ mediâ ad illum finem non modo apta, sed & ita necessaria, ut sine his ille obtineri nequeat, Ea necessitudo inducit communem quandam legem: *Alia* ethi congrua, tamen à jure, atque injuria absunt. Adhibentur & omittuntur justè, sed non ea justitiâ quæ inter gentes nexum habet, sed tali jure, quod licentiam non prohibitorum dicimus. Est de eo statuere dextræ rationis; argumenta sumentis ab iis, quæ ad societatem hominum in civitatibus colendam pro sine suo requiruntur. Cum accedit his populorum usus atque observantia, ex communi velut judicio declaratur, quod ratio colligit, inde ex eo argumen-

tum.

tum ejus juris non leve creditur. Ut breviter indicia juris hujus complectar, facio finem normam; necessitatem ducem; medium assequendi instrumenta; ratione magistratam; usum lucem. Finis ostendit, quid justum esse debeat, necessitas eo ad ducit, media adjuvant, ratio informat, usus declarat. Non aberrabit circa jus illud, nisi qui in his errat.

LII. Ad ista, quæ gentium juris dicimus, est quædam in populis obligatio. Nec enim sine ea tali, quæ necessitatem aliquam observantiæ inducit, jus vere esse, & dici potest. Existit ipsa cum inter eos, qui sunt ex eadem civitate, tum qui sunt ex diversis, seu qui communis societate civili & eodem imperio non tenentur. Illos devincit ad observantiæ, ipsa in quam coierunt societas. Cujus lex fundamentalis est, cum qua cœpit, & colligata est quævis civitas, ex qua sustinetur & consistit, ut quod civitati placuit, omnes servent. Id pactum primitivum, seu naturale omnium civitatum, ex quo omnes, qui harum aliquam assumunt, tanquam ex communi sponsione devinciuntur, non modo ad ea, quæ quæque civitas sibi constituerit, sed & quæ ex naturali gentium jure requiruntur. Sine hoc non futura est vita socialis secunda, constans & fini suo apta. Ut igitur qui civitati se sociat, ad illam colendam non modo, sed & pacatam, securam, tranquillamque servandam tenetur, ita etiam obligatur ad id, sine quo is finis haberi nequit. Quæ sunt, quæ hactenus civitatis propria & confectaria diximus. Quæ ergo juris gentium sunt universalis, leges sunt simul cujusque civitatis, ad finem suum componendæ, ad quas unusquisque civis tenetur.

LIII. Diversorum populorum circa ista obligatio non omnibus apparet, aut certa videtur. Reperi-

periuntur, qui superius gentium juri ascripta tantum referunt ad singularum civitatum placita, ideo eatenus saltem obligatoria putant, quatenus in iisdem reperiuntur recepta. Exemplum præbere dicunt non legem, relicto imitandi arbitrio, extraque id liberam facultatem, nisi accesserit conventio. Quem errorem peperit non congrua definitio gentium juris, ex qua deinde pro tali existimata, quæ non sunt talia. Nec enim promiscue, quæ à multis usurpantur, statim gentium juris dicenda sunt, sed quæ cum aliquo vinculo. Sine hoc à pluribus populis receptum, etsi ex imitatione aliorum, vel ex usu seu æquitate, seu utilitate, saltem plurimum jus civile est, non jus gentium commune. Distinguendum itaque inter ea, quæ pluribus seorsim communia sunt, & quæ conjunctim. Illa exemplo in communionem, hæc ex vinculo aliquo in communicationem pervenerunt: Illa non habent necessitatem observantia diutius, quam placent; Hæc vero talem perpetuam inferunt. Reperto autem vinculo quodam communi constat de necessitudine, quæ jus facit. Reperietur in superioribus facile, nec unum, sed multiplex, consideratis cum quæ gentium juri causam dederunt, tum quæ ex causa ista sunt profecta.

LIV. *Primum vinculum*, quod circa prædicta ad observantiam gentes obstringit, est in ratione omnibus communi, quæ ut Cicero *lib. 1. de Legib.* ait *communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate.* Hæc dum nemini non sana mente prædico dicitur, quæ societas hominum pro consequendo jure & servanda pace exigit, quæque pro hoc fine jus reddita sunt, in commune esse justa, bona, salutaria, simul talium, tanquam orbi debitorum reverentiam ubique insinuat.

Alterum,

Alterum accedit ex necessitate communi, dum sine iis nec gens, nec ex gente quisquam jure & securitate frui potest: Cum enim per naturam ista legis vi polleat, non potuit non velut naturali lege gentibus injungere, ut quod ad salutem & pacem communem necessarium, unaquaque observaret. *Tertium* est istorum vinculum apud omnes ex singulorum indigentia, ut cum nulli possint esse incolumes, securi & quieti, nisi observato isto jure, quo fundantur & conservantur civitates, omnes ad id teneantur. *Quartum* descendit ex cujusque populi usu & desiderio, ut dum nemo non cupit, cum intra sua, tum ab aliis talibus potiri, etiam cum aliis non secus ac ex isto jure agere, seu alia justa putare debeat. Haud potietur quippe illis, nisi & alios vicissim, cum quibus res est, iisdem frui patietur. Quæ igitur in statu mere naturali, in quo omnibus jus fuit ad omnia, necessitas fuit cedendi de jure suo, ut reliqui usus sit imperturbatus, eadem est, ad submitendum se communi alicui juri, ut sui quisquam fiat, & maneat compos. *Quintum* præbet commune de istis judicium, dum nemo pro eo rerum statu, in quem jam orbis & quidquid in eo est devenit, ex iis quæ isti necessario accommodanda sunt, improbare, aut secus quam apta, justa & necessaria dicere potest. Inde fit jus apud omnes, dum nemo secus ac judicat facere, aut ut fiat, ab alio exigere debet. Aristoteles lib. 10. Nicomach. cap. 2. ὁ γὰρ πῶς δοκεῖ τῆτο εἶναι φαινὲν ὁ δὲ ἀναίρεσι τούτην τὴν πρὶν ἢ πανὶ πιστῶτα ἔχει. *Quod omnibus ita videtur, id ita esse dicimus. Qui vero hanc fidem velis tollere, nihil credibilius ipse dicit.* Judicii de iis communis non leve argumentum est, ex judicio de legibus Romanis ubique benigno, ut & Turcæ atque Judæi, Christiani nominis hostes,

lau-

laudent, & sequi non dedignentur, ea nempe ex ratione, quod ad jus naturale & sociale proxime accedunt, & affirmant, pro vitæ usibus commoda singularibus compendiis. Hinc nascitur *Sextum*, consensus gentium, qui constat ex usu. Quidquid Historiæ de gentibus scripserunt, argumentum est adamatæ ubique societatis, pro ea constitutæ civitatis, suscepti imperii, ad juris consecutionem & pacem compositarum legum, omniumque receptorum, quæ pro his in commune faciunt. Si deprehenderis aliquos secus sensitisse, in alios mores abiisse, simul reperies eos aut barbaros esse, aut aberrasse opinionibus à recta via. Quæ ex istis subsecuta sunt inordinata, incomposita, turbida, iniqua, & alia societatis vitia aut corruptelæ, nec non ex his exorta in populis mala, indicant, cum jus ipsum, tum ex eo vinculum, cujus violati pœnas dant, qui eam perniciem experiuntur. Usus, dum peperit consuetudinem universalem, tandem fecit adjectivum ex ea vinculum, ut simul inter gentes ubique sœta non minus juris inter illos certitudinem facerent, quam in civitate efficit legem. Ex eo frequens ad consuetudinem gentium inter gentes provocatio, argumentum hujus necessitudinis. His spectatis, non ineptè dictum putabis, tacita quadam gentium conventionem niti jus gentium secundarium. Quod multoties in historiis legimus, populos & principes diversarum civitatum de iis, quæ juri gentium assignamus, se invicem reos agere, accusare, indignari, indicium est inter illos vinculi communis, quo sine justa exigi aut ut injusta improbari nequeunt.

LV. Ex his cape discrimen juris gentium primævi, quod naturale dicimus, & secundarii, quod ad istius differentiam hoc nomine vulgo insignimus, quod non perinde ab omnibus animadvertitur, inde igno-

ratum

ratum, aut exactius non dijudicatum, errores non leves peperit. *Primo* differunt origine. Illud à natura & cum natura cœpit; hoc ex gentium consensu post naturam depravatam. *Secundo* causâ. Illud à DEO, qui condito homini illius præcepta indidit, & naturalia effecit; Hoc ab homine, qui pro usu vitæ humanæ id construxit: *Tertio*, subjecto. Illud datum homini ut rationali creaturæ; Hoc isti ut sociali, postquam in societatem civilem venit. *Quarto* objecto. Illud rectitudini mentis & actionum probitati; Hoc juri, paci atque commoditati societatis intentum est. *Quinto* formâ. Illud est in mero rationis connatæ dictamine, ad cuiusq; vitæ integritatem directo; Hoc in collectione ratiocinationis ad socialis vitæ necessitatem, vel utilitatem concludente. *Sexto* fine. Illud format hominem, ut coram DEO, se & hominibus, ambulet rectus in probitate & innocentia; Hoc instruit civem, ut societati sit aptus, studio pacis & comparatione erga socios. *Septimo* opere. Illud hominem informat, & ducit ad justa, dehortatur ab iniqvis; Hoc juri naturali ministrat, ut quisque societatis beneficio jure fruatur, & ab injuriis tutus sit. *Octavo* modo & effectu obligationis. Quæ illius ex sola natura sine ulla hominum voluntate & factò; hujus ex tacito gentium pacto. Quod discrimen notat Aristoteles 1. *Rhetor.* 13. sic discernens, quod illud extra communionem sine pacto, hoc ex societate cum pacto obligat.

INSPECT.

INPSECTIO SEXTA,

De potestate Civitatum & Imperantium in & circa jus naturale.

- I. *Quomodo non sufficiat jus gentium nosse, sed circa ejus praxin versari oporteat, & quae in eo difficultas.*
- II. *Singulis nihil circa illud relictum, nisi quod ex libertate naturali superest.*
- III. *De ejus usu inter diversos populos.*
- IV. *Civitas quaeq; juris naturalis dispensatrix est inter suos, & quomodo.*
- V. *Primum ejus officium in custodia istius.*
- VI. *Secundum in cura, ut mentibus civium insinuetur; quod fit.*
- VII. *Legibus;*
- VIII. *Exemplo;*
- IX. *Disciplinâ.*
- X. *Tertium pro recto ejusdem intellectu:*
- XI. *Hoc praestatur per leges:*
- XII. *Per doctrinam & qualem:*
- XIII. *Quibus interpretatio ejus committenda.*
- XIV. *Annon expediat publicâ auctoritate institutiones ejus juris, pro certis principiis praescribi,*
- XV. *Per judicum sententias.*
- XVI. *Quartum in additione vel negatione efficacia civilis, & primum de illâ.*
- XVII. *Quomodo per jus civile vis coactiva juri naturali negatur.*
- XVIII. *De denegatione vana contra transgressores.*
- XIX. *Quintum in adaptatione juris naturalis ad humanam conditionem.*
- XX. *Sextum in concessione licentia eorum, quae juri naturali*

turali non convenire videntur.

XXI. *Septimum in dispensatione contra legem naturalem.*

XXII. *Octavum in ejus subordinatione ad usum civitatum.*

XXIII. *Nonum in formatione eorum, qua juxta jus naturale fieri debent.*

XXIV. *Decimum in modificatione exercitii naturalium.*

XXV. *Undecimum in applicatione, qua est vel juris ad materiam.*

XXVI. *Vel materia ad jus naturale.*

XXVII. *Duodecimum in subducendo juri materiam annullatione vel fictione.*

XXVIII. *Decimum tertium in beneficiorum indulgentia.*

XXIX. *Ex potestate civitatum alia facie jus natura colitur, non fit aliud.*

XXX. *Judex ad discernendum, qua in quavis constitutione juris naturalis & civilis sunt.*

XXXI. *Distinctio juris in internum & externum.*

XXXII. *Abusus distinctionis inter jus poli & soli exponitur.*

XXXIII. *Quid circa jus gentium secundarium civitatibus liceat.*

I.



Entium juris primævi atque secundarii principia hætenus ita breviter exposuimus, uti communem rerum humanarum regulam faciunt. At quando in has incidunt, non tam facile exercentur, quam discuntur, nec sic, ut in genere traduntur, eadem facie in speciebus consistunt. Non minus quippe circa hæc contingit, quod in aliis fieri videmus, ut non omnia regula statim apta sint, sed isti aptare præcipui laboris atque artis, imò aliquando & ipsam regulam, præsertim in casibus indomitæ atque violentis, velut in-

inflectere, & paulatim incurvare necesse fiat, quo ad finem perveniatur. Difficile hoc & ambiguum, imò periculosum. Rectissime scriptum ab Arriano Epicteto lib. 3. cap. 26. *Hæc est causa hominibus omnium malorum, quod non possunt anticipationes seu notiones communes & generales singularibus adaptare.* Commune hoc est naturali jurisprudentiæ cum artibus atque scientiis cæteris. Quæ quidem sua habent fixa & immota præcepta generalia, à quibus quamdiu intra sciendi disputandique terminos Philosophi versantur, vel latum ungvem discedere piaculum ducunt. At cum à scientia ad opera deventum fuerit, nisi inepti & inutiles esse velint, manui & potestati cedere coguntur, & quantum inter artem atque artificium interfit, discunt & docent. Hoc inde oritur, quod quæ sub hoc venit materia, non semper sapientiæ canones atque ingeniorum subtilitates patitur. Quod est in his scientiæ, sit propter istam artis in usum deducere, & cujus gratia scientiam reddiderunt, opus efficere. Vel parum inter negotia versati hoc satis experiuntur, quomodo cum in illa juris præcepta inciderint, non per omnia & in omnibus semet exerceri sinant, quamque longe diversa sæpe sint ista ab usu. Non ut plane seponenda sint, sed quo apte & commode applicentur. Quod non nemo scripsit, multum differre, Politicum in libro, & Politicum in curia, quia illius saltem est, politica præcepta nosse, hujus, suæ id applicare reipubl. atque actioni; hoc etiam de JCo recte profamur. Quem longe alium decet esse in negotiis mundi, quam est in conceptu cerebri, vel studiis musæi & cathedræ. Hic suam industriam inter generalia absolvit: Ille hæc specialia reddere, & quod generis per circumstantias infinite differentibus speciebus idoneè adaptare opus habet. In quo contingit,

ut quæ juris naturalis sunt, variam speciem sub nube materiae, quæ jus implicat, assumant, & cum eadem sint, tamen ex applicatione tanquam diversi-coloribus ac aliâ aliâque formâ compositis vestimentis circumdata notitiam eorum, qui generalia præcepta exactè didicerunt, sæpiusculè effugiant. Bene dictum, ab JCo Modestino, quod inter Regulas juris relatum, *Omnis injure definitio est periculosa. Parum enim est, ut non subverti possit.* Quocirca in multis civilibus institutis & decretis, non modo quod iis ex jure naturali subest, non agnoscitur, sed etiam tanquam ab eo aliena atque contraria reprehenduntur. Cujus causa ex ignorantia potestatis, quæ etiam in jus naturale vacat, non modo justa, sed & sæpe necessaria est, quo in humanis rebus atque negociis dextre congrueque exercentur: Quam præter id ipsum omnino scire, & dijudicare oportet, si quid ex naturalibus dictatis adhiberi, vel prætermitti queat, rectè judicare & statuere velis. Ad multa conducet, de eo quædam tradere. Restat igitur, ut antequam Regulæ istius, in singularibus, vim, quæ ad Jurisprudentiæ in singulis tradendæ & exercendæ tractatum pertinet, executimus & demonstramus, adhuc itidem per generalia præmittamus, & ob oculos ponamus, quæ circa communium præceptorum praxin atque applicationem, sint observanda. Nam uti istorum generalem præmissimus notitiam, ita oportet similiter generaliter præscire, quomodo inter humana observantiam habeant atque admittant.

II. Præprimis tenendum singulis hominum, ut civitatis cujusdam membris in dictata naturalia nihil quidquam licere, sed obsequii simplicem necessitatem incumbere, nisi quatenus libertati naturali aliquid in ista relictum, aut ex inevitabili necessitate

non

non declinandum sit. Per quam etiam naturaliter renuntiatio juris sui cuique libera naturalem facultatem aliter faciendi patiendique justificat. Extra talia singulis velut impossibile est, quod à juris naturalis regula vel paulatim recedit: Ut homines quippe humano naturæ juri obnoxii sunt, ut cives autem nihil ultra licentiæ circa illud habent, quam civitas dedit. Ubi vero hæc non dat, manent sub communi omnium hominum conditione, nec ullius legis vel dictaminis rationis gratiam sibi fatere queunt. Quidquid itaque ipsis obvenit, in eo vel obtemperandum naturæ juri strictissime, vel si non possint, relinquendum in medio, & referendum ad eos, penes quos legislatoria potestas residet, ad quam pertinent, quæ ad jus istud, vel temperandum vel interpretandum, vel applicandum, vel emolliendum, vel aliquando seponendum fieri opus est. Quod vel in singulis populis atque civitatibus, vel cū res est inter diversos populos occurrit.

III. Quando inter diversos populos juris quæstio incidit, non multum de ista dispectione laborandum est. Aut oritur ab illis de re vel actu, legibus certi loci, quia ibi possidetur, contrahitur, delinquitur; aut non iis, sed communi tantum hominum juri obnoxio. In priori specie loci alicujus legibus astricta ex iis dijudicanda sunt, ideo quidquid civitas de jure naturali disposuit, vel disponere valet, res vel actus extranei populi totius, vel principum non minus quam singulorum (nec enim inter hos in eo differentia existit,) sequitur. In posteriore interest, utrum de eo agendum in civitate coram ejus judicio, nec aliter quam jurisdictionis potestate impetrandum, an vero ut inter æquales jus poscitur. Si quidem in judicium res populum, seu ejus principem concernens deducitur, ordinem istius sequi convenit, ideoque

& quidquid civile jus circa eum constituit. In quo et si è naturali jure aliqua aliter formata fuerint, tamen obnoxius iis, qui foro submittitur. Merita causarum autem juxta naturale jus perinde dijudicantur, atque si sine judice, ut inter æquales agitur. Et si singuli populi quidquam inter suos aliquo prædictorum modorum constituerint, id perinde non valet, quia alios imperio aut judicio suo non obnoxios, atque si leges extra jurisdictionis fines dicere velint. Est itaque, de illis illorumque rebus & actibus non alia censendi regula, quam jurisgentium naturalis & positivi, seu primarii & secundarii, à quo nihil diversum fieri potest, nisi aut ex mutua conventionione, per quam naturalibus legibus, quatenus renunciantium jus & usum, non meram vitæ honestatem concernunt, in totum, vel pro parte renunciari potest; vel ob manifestam, æquitatem, quæ quod evenit extra mentem & jus legis esse ostendit. Hæc sub ipso jure limitationis instar comprehenditur. Illi liberum, quod singulis civitatibus inter suos cives licitum. Nec enim quod harum jurisdictioni possibile, conventioni eorum, quæ integra libertas naturalis superest, non potest non esse justum. Istud itaque tantum expositione eget, quod singulæ civitates in hoc valent.

IV. Civitas unaquæque, uti hoc nomen pro cœtu sociali sub uno summo imperio unito accipimus, alias Imperium, Regnum, Respubl. vocatur, inter membra sua dispensatrix est juris naturalis, efficiens, ut omnibus & singulis civium jure naturali frui liceat. Nam quando, ut supra scriptum, ideo homines justitiæ securè consequendæ gratia in civitates & sub imperia coierunt, libertatem suam isti posthabentes, ad horum munus atque debita pertinent, omni ope, atque studio curare, ut isto sine quisque gaudeat, ideo singu-

singulari sollicitudine inter perversa orbis eniti, non modo quo jure omnes agant & potiantur, sed etiam media, per quæ obtinetur comparare atque adhibere. Quare Respublica, quæ civitate continetur, velut media est inter gentium jura & homines, quod natura & necessitas justum vel injustum voluit, traducens & derivans ad terræ incolas, ut illius velut ministerio jure utantur. Sic civitas fit juris communis ministra, distribuens, disponens & dispensans in cœtu & inter eos, qui sub illo sunt singulos, quod omnibus commune est. Ex ingeniiis, moribus, assuetudine, occasionibus, commoditatibus & adversitatibus aliisque pluribus inter homines humanorum infinita varietas est. Ista itaque ad æquum & bonum redigere, & quomodo ista id patiuntur sic accommodare, non modici laboris, at civilis studii est. Per ista non licet ubique, aut eadem, aut eodem modo, justa aut injusta determinare. Inde quæ ex natura aut necessitate similiter justa sunt, ad objectorum diversitatem traducta diversam speciem sortiuntur. Ex qua porro fit, ut etiam de iis, quæ juris naturalis vere sunt, post accessum, cum iis civilium rationum legū & decretorū diversus tenor sit. Quo respicit Ulpianus in l. 6. ff. de J. & J. *Jus civile est quod neque in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit, itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium. id est, civile efficitur.* Non secus enim atque artis architectonicæ generalia præcepta sunt, eaque ubique peritus sequitur artifex, sed non simili modo applicat, eas in diversas formas ac structurarum variantes species transfert, sectando capacitatem subjecti; Sic imperantes opus habent, communis juris regulas inter variè dispares civitatum civiumque occasiones & conditiones diversimode dispensare. Ex ea civitatum diversa dispensatione profectum, ut etiam omnibus jura naturalia fiat eadem, non tamen eodem

modo & specie ubique exercentur. Non tantum à singulis populis, sed oppidatim & vicatim jura jam conduntur, eaqve diversissime aliquando & contrarie : Et tamen omnes juris naturalis regulis sua regunt, & defendunt. Nemo non suis legibus æquitate naturalem inde asserere satagit. Pauciores etiam sunt, quibus nihil ex jure naturæ inest. Permittit id ipsum juris naturalis conditio, quæ simplex & generalis ad omnes mundi res & negocia semet applicari patitur. Quemadmodum ex simplicibus Pharmacopæi, per varias mixturas, varias edunt compositiones, quæ etiam contrariis operationibus contrariis malis medentur, istarum tamen indole atque vi non extincta, ita civitatis naturalia jura rebus mundi multum variantibus diversimode immiscentes edunt ejusdem tam diversas species, utut dissimili tenore, imagine, tamen propitiâ natura. Quibus modis id fiat, apparebit porro indagantibus, quod circa jus naturale civitatum fit, & quomodo pro eo attemperetur.

V. Primum earum est in custodia juris naturalis, quo ejus inter cives maneat vigeatque scientia atque exercitium. Cum, ut sæpius monitum, societatum civilium præcipuus finis, ideo in istas coeundi causa fuit, quo post corruptas mentes, dum vix quisquam sponte bonus, nec à quoquam juris & pacis sine metu fiducia esset, istarum beneficio, quod natura condidit, & mentibus indidit jus, inter homines in vita tranquilla servaretur, earundem præcipuum officium redditum curare, quo per eam, & in ea isti autoritas, cultus vigorque suus & cuilibet ejus securitas constaret. Hoc omnium commune votum notabilibus verbis indicat Apostolus *1. ad Timoth. 2. v. 2.* idcirco pro civitate & magistratibus preces fundi inculcans, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & hone-

& honestate. In quo compendium facit omnis felicitatis, quæ per civitatem contingere potest, tres ejus partes constituens, pacem, pietatem, honestatem. Fungitur ista suo officio per imperium, tanquam suæ potestatis ministerium seu instrumentum. Ex quo magistratus *Rom. 13. v. 4.* DEI minister homini in bonum vocatur. Illuc Theologorum dictum spectat, cum hunc custodem Decalogi, ut naturalium legum compendii, dicunt. Ut vero civitatis debitum in custodia, ita ad hanc oportet congruam illi potestatem esse, cujus varias partes in sequentibus explicabimus.

VI. At quia frustra de custodiendo jure naturali sollicitudo laborabit, nisi prius in corda hominum reducto & emendato, quod per depravationem humanitatis corruptum fuerat, ad civitatem atque imperium civile secundò pertinet reparationis studium. In quo prævit DEUS bene observando exemplo. Post lapsum inter primores gentium ad istum usus est spiritu suo, quem animis voluit inhabitare recta suggerentem, & à pravis dehortantem rationem, tanquam reliquam lucem, ad justa informando atque ducendo. Quod fecisse dicitur, cum aliqua contentione seu disputatione, quam de recto contra pravitatem in cordibus per judicium conscientiarum movit, quo juris convicti obtemperarent, uti ea phrasi utitur textus Hebræus *Genes. 6. v. 3.* Ita ante diluvium populorum regimen DEUS non aliud constituit, solam rationem pro rectore reliquit, & suo spiritu instruit & excitavit. Ubi huic obsequi noluerunt, omne genus humanum, præter unum virum cum sua prole probum & in virtute constantem, diluvio extinxit: cum in ejus progenie meliora non redirent, sed robur malitia sumeret, remedium ex Ecclesia & Republ. adhibuit, in populi sui regimen, aliorum exemplum.

de quo Tertullianus in disputat. adversus Judæos pag. 133. *Ante legem Mosis scriptam in tabulis lapideis legem, contendo fuisse, non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur &c. Intelligimus DEI legem etiam ante Mosen, nec in Ore tantum, aut in Sina & Eremito primum, sed antiquiorem, primum in Paradiso, post Patriarchis, atq; ita & Judæis certis temporibus reformatam, ut non jam ad Mosis legem ita attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore DEUS & gentibus exhibuit, & repromissa per Prophetas in melius reformavit. Quidquid à sapientissimo DEO juris inter Hebræos reducendi gratia factum, ad imitationem civitatibus omnibus præluet, tanquam divinitus electis atque informatis emendandæ humanæ depravationis instrumentis. Quod intus cordibus purgandis necessarium, Ecclesiæ concreditum, honestati vitæ atque societati debitum, civitatibus cedit. Illud sacerdotalis; hoc imperatoriæ curæ. Utrique sua cesserunt peculiaris media, modi, functiones, munera distincta, inde nec confundenda. Ad propositum nostrum non spectat, nisi quod pro reparatione posterioris est, quo in societate omnia hominum sint honesta, tranquilla, & sine injuria. Cujus causa civitas imperio eam providentiam committit, ut suppressa pravitate jus naturale hominum animis insinuetur, & quod his contra illud insitum, eradicetur. In populo Hebræo ejusque Republ. reparationis tria DEUS adhibuit media, legem, exemplum, disciplinam. Leges varias, plerasque tamen juris naturalis reduces, per Mosen promulgavit, & perpetuas effecit. Ad exemplum suæ bonitatis, amoris, misericordiæ, justitiæ oculos & animos in verbo suo multoties provocat, & vocat, ut imitationem commendat, atque excitet. Disciplinam forma-*

formarunt ceremoniales & forenses leges, quo perpetuis officiis, curis, molestiis, laboribus Israelitæ innexi, ad prava minus liberi, ubi desciscerent castigationibus corporum & pœnis coercerentur. Intuenti & rationem sciscitanti apparebit, quomodo cuncta ad emendationem pravitatis sint intenta atque præscripta. De quo intimior ac prolixior inspectio nostri non est instituti. Nec pro eo opus est, quid circa illa licitum scrutari, quæ à DEO ipso, ut fonte justitiæ profecta, non scrutinum justii, sed notitiam juris præbent. Nec enim ab essentialiter justo proficisci potuit, quod non sit justum. Tantum ad nos pertinet, postquam Imperantes in civitatibus DEI in eodem studio vices curamque sustinent quærere, quid his pro reparatione naturalis juris conveniat, in quo imitatores divinorum minus errabunt. Exemplar enim bonæ atque salutaris politiæ quis negabit in Hebræa per sapientiam divinam formata & fundata? Quam DEUS ipse in exemplum laudat: Vicinæ gentes ob sapientiam institutorum miratæ, & sequi curiosæ fuerunt. Tria illa imitanda proponuntur, Lex, Exemplum, Disciplina.

VII. Legibus opus est, ad reparandum naturalis juris scientiam atque observantiam. Ignorantia, pravitas mentis, opinio erronea, corruptio morum, ubique efficit, ut illud vel non recte intelligatur, vel perversè exerceatur, præsertim ubi homines suis relinquuntur ingeniis vel sensibus. Incuriosi etiam plerique, quid intrinsecè legis suæ sit, egent magistro, à quo intelligant, & monitore per quem susciterentur ad id, quod dictatis naturalibus decet. Quidquid non in leges redigitur, vulgo parum curatur, imo pro jure non reputatur. Philosophici tantum studii ad scientiam magis, quam ad observantiam pertinere credi-

creditur, à necessitate exercendi alienum habetur. Quomodo errore non levi apud nos hodie, quidquid è naturalibus dictatis in voluminibus juris Justinianæis vel legibus Rerumpubl. non habetur, Philosophiæ relinquitur & fere spernitur. Non est itaque ad rectitudinem remedium præstantius, quam ex legibus civitatum, quæis natura velut incurvata ad illam reducitur, seu quod pro jure dictat animis inculcando, seu quod ex perversitate illa obsistit removendo. Expende de hoc verba Ambrosii in cap 5 ad Roman. *Quia ipsi quodammodo naturæ inserta sunt justitiæ semina, addita lex est, cujus autoritate & magisterio ingenium Naturæ proficeret ad fructum justitiæ faciendum. Sicut enim Nativitas interit, nisi nutrimenta habeat, quibus foeta adolescat: ita & naturale justitiæ ingenium, nisi habeat, quod respiciat, & veneretur, non facile proficit, sed agrotat, & supervenientibus cedit delictis.* Idem Ep. 71. *Propter inobedientiam prærogativa naturalis legis corrupta, atq; interdicta est, ideo scriptum legis testimonium est necessarium, ut vel partem habeat, qui universum amisit & cui perierat, quod nascendo assumpserat, discendo saltem cognosceret, & custodiret.* Sæpius oportet in tabulis exprimere, quod cum natura impressum animis, ut per sensus tanquam animi nuncios in eum reponatur, quod inde elapsum: Fit inde, ut pleraque pars sanctionum in repub. in eo consistat, quod sine iis secundum naturam fieri debebat. Augustinus in Psalm. 139. *Quia peccator oblitus erat se, nec videbat se, data est illi lex, ut videret se.* Idem in enar. Psalm. 57. *quinq. 2. Data est scripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui.* Recole, quæ Hebræo populo per Moysen dictante DEO lata sunt, & veritas constabit. Reperies idem in discussione legum, quas Græciæ civitates sibi condiderunt. Examina le-

ges XII. Tab. & paucissima eorum carent his, quæ naturalis juris existunt. Romanæ, quæ hodie utimur leges, quid aliud in plerisque sunt, quam istius explanationes & applicationes? Nullibi civitatem, quæ suis legibus utitur, reperies, in quâ & hæ non sunt istius pro maxima parte involucra. Quod inde proficiscitur, quia nulla non eget per leges istius, in his quæ ex usu secesserunt, vel non nisi corruptum habent, reparationem: Est in eo huic libertas imperantium, ut quibus velint verbis sensum exponant. Inde mente eadem diversis in locis diverso tenore promulgantur, nec eo minus naturales, quod civilibus verbis profertur. Per errorem imperitorum proficiscitur, quod vel formulis planioribus tantum ornata, vel materiis specialibus applicata inter civilia referuntur, & ex alia facie aliud nomen accipiunt. In quo ne fallaris, materiæ quam formæ potior tibi ratio & indagatio esto. Ut enim quæ compositionem, & promulgationem civilium legum speciem habent, inde etiam nomen accipiunt; haud tamen tales revera sunt, sed naturale jus remanet, ut iis convenit. Sicuti homo non fit alius, & sericeus vel panneus, quia serico pannove vestitur; sub tegumento utut alio humana eadem remanent; sic naturalia in legem civitatum redacta non desinunt sub imagine civili esse talia. Forma exterior nihil ex materia mutat. Quam circa quæstionem de jure naturali potius spectamus. Quod probe notandum, ad differentiam talium à legibus mere civilibus, Quæ saltem ex voluntate imperantium valent, ideo ex eadem cum displicent, & abrogantur. At quæ materiâ suâ sunt naturalia, sine illa etiam obligant, nec perinde tolluntur, tantum ut cives & sciant & observent; imperii vis nervum addit, ex quo tanquam accedente alio vinculo obligant arctius,

non.

non infirmantur citius. Quæ hoc consequens, ut civitas seu Magistratus in legem civilem non aliter naturale jus traducere queat, quam ut sine illa obligat, quia tollere non potest. Quomodo illo salvo quidquam addere, vel detrahere valeat, deinde videbimus.

VIII. Alterum reparando juri naturali in civitate inserviens, est exemplum Regentium, velut commune factum civitatis. Intuentur illorum vitam omnes, tanquam speculum summo loco positum, amantque imitari quod vident, quasi sibi in exemplar præpositum, ideo oculis in illos defixis curiosi, quid agant, quid dicant, quomodo vivant, & per hæc ut rimulas in animum introspiciunt. Magna idcirco exempli ejus vis est, uti cecinit Claudianus *Paneg. 4. de consulat. Honorii*:

Componitur Orbis

*Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.*

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Quomodo de Imp. Augusto Vellejus Paterculus ait: *facere recte cives suos Princeps optimus faciendo docet, cumq; sit imperio Maximus, exemplo major erit.* Quisquis ergo cum imperio præest, cives vult juris naturalis observantes, sic vivat, sic agat, ut naturæ congruum, honeste justeque. Quo illud Tilji lib. 2. de Reb. Gall. respicit: *Imprimis necessarium est, ut Regia-Domus munda honestaq; conservetur, si qua virtutis monumenta Rex in ea constituerit, eadem totum regnum prosequetur: Ut è contrario præceptum in vitia fertur exemplo Regia.* Sunt quidem aliqua naturalis juris, circa quæ Princeps, qui cum imperio est, vel tota civitas, per eminentiam fortunæ, aut vim potentiae, aut rationem reipubl. amplius valeat, & non tantum impune, sed etiam

etiam non injuste aliter utatur, aut aliquando plane omittat, dummodo non legem naturalem, cui & summa orbis potestas subdita, penitus infringet, turpiterque aget. Sed tamen in quibus jure suo prædominante excellet, abstinendum propter subditos exemplo, quod apud illos in scandalum facilius abit, quam in stupam incendium. Propter illud cavendum imperantibus sæpe, ne & jure suo utantur, & licet legibus soluti, tamen legibus vivere ament, secum recte expedientes, quam in maxima fortuna minima sit licentia. De quo ad quæstionem de soluta legibus potestate, in Jurisprudentiæ tractatu plura videbis.

IX. Disciplina tertium renovandæ justitiæ naturalis remedium, in civitate exercetur, tum ad præcavendum, ne peccetur, tum ad puniendum, si peccatum fuerit. Natura quidem conscientiam & pudorem fecit juris sui adjumenta & vincula: Sed quæ intus magis vim habent, exterius non cogunt, nec libertatem hominum ita constringunt, ut malefacere aut non possint, aut nolint. Quæ hoc etiam præstarent, aliunde accedere oportuit. Quod civitatum providentia fecit, obstacula ponendo peccaturis, & transgressoribus malum interminando, ut evitare malint quam peccare. Quæ est vis juris coactiva & exterior. Utriusque cura adjacet Imperio. Illud curatur Politicæ integritate, hoc jurisdictionis severitate. Politia componitur, tum ordinationibus, vitam moresque civium formantibus; tum præcautionibus & repugalis, licentiam intra honesti regulas continentibus. Jurisdictio pœnis, quæ delinquentes emendantur, alii absterrentur, exeritur. In utroque circa ea, quæ naturalis juris sunt, imperantibus multum est arbitrium. Et si enim ne quid contra illud fiat permitti non debet, ut tamen alia aliis facilius, petulantius, turpius per-

pe-

petrantur, ad alia ingenia mores, corruptelæ magis propendent, etiam ex iis aliqua sic inveteratæ assuetudinis aut inter multos diffusæ & pertinacis usurpationis sunt, ita non potest eadem via semper procedi, sed moderamen relinqvendum imperio, quomodo præcaveat vel coerceat. Exinde hoc dignoscas, quod quæ ad disciplinam pertinent, DEus non moralis, sed ceremonialis & forensis, adeoque civilis legis fecerit. Cujus observatio quidem populo necessaria fuit, quamdiu non remissa; imperantibus vero pro circumstantiarum qualitate & varietate arbitraria reddita, inde intermissa aliquando, nonnunquam etiam muta. Exemplum cape ex permissione divortii: Quod juri naturali, ex quo perpetuum & indissolubile conjugium redditum scimus, non congruum, majoris tamen mali vitandi causa à Mose, ut Rege gentis suæ, permissum & variis legibus formatum. Versa ita disciplina ejus ad hoc quod juri naturali incongruum, quo Politicæ, cum melior per mores Hebræorum componi non posset, compositio fieret, ut his conveniret. Pœnæ jus naturale violantium inter populos ubique diversæ, competentis ejusdem arbitrii sunt argumentum.

X. Tertium, quod civitas in naturalia jura habet atque exercet, consistit in explicatione. Inciderunt in tenebras per lapsum perditionis communis, nec intellectu atque voluntate depravatis integrum mansit, sine dexteritate judicii atque singulari industria studii ista capere, atque intelligere. Quod si singulis judicium de iis relinqvendum, non posset non, quidquid justitiæ est, opinionum diversitate atque disceptationum ambiguitate in varias multasque imo infinitas & inexplicabiles controversias & difficultates distrahi atque perturbari. Respice saltem, quid inter sapientes, qui Philosophiam præsentur, contingat;

gat ; quantis sententiarum sectarumque varietatibus vera & iusta traduntur, & incerta obscuraque fiunt. Quid eventurum putabimus, si præter istos & aliis sentiendi statuendique relinqueretur libertas. Quæ non posset non omnem juris non modo, sed & sapientiæ rationem, velut in fluctus disfidiorum objectam, perturbare, convellere, imo penitus submergere. Cujus exempla poterunt ex iis locis tibi constare, ubi, quæ videntur non modo secum sentiendi, sed publice docendi seu disputandi, licentia patet. Huic pesti avertendæ consilium non fuit, nisi ut publica, hoc est, unionis saltem, quæ in cœtu civili per Imperii fasces connectitur, fieret explicatio juris naturalis, nec aliter de illo sentire fas, aut sententia inanis vel improba esset, quam ut publicus de isto sensus proditur. Interpretari quidem ejus est, qui jus condit ; Ideo in naturalibus DEO illud proprium : Qui in sua Republ. inter Hebræos idem exercuit, tum per scripta in tabulis, & dictata ad calamum Mosi, tum per lucem in pectorali summi Sacerdotis ex gemmis coruscantem, juris obscuri indicem, quam Urim & Thumim vocarunt, tum per revelationes Prophetis factas. At postquam, post missum Magnum Prophetam, cum hominibus loqui desit, illum vero divinorum interpretem, qui audiretur, & exemplum, quod imitarentur, fecit, est ad eundem primus recursus : Alter ad rectam rationem. Sed quia quæ hæc sit, sæpius æque in ambiguo, aut sub sapientum disputatione, ad eos pertinet, quibus Deus suas in terris vices commisit. Imperium has divins voluntate accepit, inde habendum naturaliter justum, quod per illud definivit civitas, velut communis legum naturalium interpret. Cui consequens, ut quisque suam de naturalibus præceptis opinionem teneatur publico de iis judicio submittere. Ex quo male scri-

ptum apparet, quod non nemo scripsit: *Philosophiam & Philosophum supra Rempubl. esse; & alius: omni licet libertate è mundo ejecta, eam apud Fbilosophos remanere.* Si quidem ista sentiendi libertas intra cerebrum retinetur, gaudebit cogitationum impuni placito: At extra rempublicam est. Ex illa vero quid secus palam in civitate statuere, profiteri, usurpatum velle, nec est in potestate Philosophantium, nec ex usu publico, ideo coercitum sæpe, & mature coercendum, si iustitia incorrupta & civitas quieta esse debeat. Quod ubi parum curatur, quomodo jure magis quam vitii agrè laboret & infirmetur civitas, possemus vel modernis nostris corruptelis convinci.

XI. Defungitur civitas, & hujus nomine magistratus, explicatione istâ per leges, per doctrinâ, per judicia. Leges pleræque in id tendunt, ut in eo, quod in civitate unaquæque necessarium, commodum vel iusto ordine componendum, juris naturalis æquitatem adhibeant, ideo declarent & observari jubeant. Quomodo videre licet ex juris Romani textibus, quos Justinianeæ volumina continent: quorum potissima pars non mere civiles leges sunt, sed verè naturales, dum naturæ præcepta tradunt, tantum ex autoritate & applicatione istam speciem habent, in se gentium jus complectentes. Quod si cujusvis civitatis statuta excusseris, etsi illa civile jus ejusdem, quia condidit, dixeris, tamen in plerisque, quod naturalis juris est, & quod ad eisdem expositionem atque applicationem tendit, deprehendes. Si in dubitationem incidit, pro quo jure naturali vel civili istiusmodi leges habendæ sint? conciliatio facilis erit, ubi discreveris, quid sit communis ex natura rationis, & quid ex civitate constitutionis. Illa, in qua vis & anima legum residet, naturæ asserit sua decreta, nec sinit ideo alia dici, quod civili modo expli-

explicantur seu applicantur. Adjecta Autoritas & forma tantum civilia sunt, quæ ex potestate civitatis circa jus naturale, imò pro necessitate melioris observantiz, superadduntur, ut certum sensum præceptumque in ea materia naturæ dictamen capiat. Per quam distinctionem te facile breviterque expedies, à multiplici disputatione, de his, quæ in Romanis LL. habentur, cui juri sint attribuenda, dum & ipsimet legum textus de iis dissonant; Eadem sæpe naturali seu gentium, nec non civili juri tribuentes. Quam interpretes vulgo aliis vocibus exponunt, cum scribunt: Aliquid esse materia naturalis, formam modoque civilis juris; quasi illam natura, hanc lex præbuit. Sicuti istam applicant tali quæstioni de nuptiis, de patria potestate, de tutela, de Emphyteusi, de Testamentis. &c.

XII. Alter interpretandi modus per doctrinam civitatis quoque proprius est; ut ejus valde interest de jure naturali non doceri, nisi quod verè ejus existit, atque ut accipi & servari debet, ne pestiferæ & perversæ de eo opinionestradantur, jurisque speciem aliquo pacto assumant, quo ad corrumpendam justitiam turbandamque quietem nihil periculosius evenit. Qua ratione effectum, ut docendi munus in civitate non relinquendum sit liberum, sed autoritate publica capiendum; deinde non nisi in Academiis & Scholis exercendum; his nisi ex imperiali potestate licentia non sit danda; porro quid & quomodo doceatur, non tantum quo eruditi fiant, sed etiam ut rectos sensus informati imbibant; curiosè advertendum, ideo seminaria literarum diligenter visitanda, inquisitionibus docentium institutio; & examinibus juventutis eruditio exploranda. Quod ut in cæteris omnibus, quæ Scholastica studia tribuuntur, diligentiam summa curandum; ita & maximè circa ea, quæ ad jus naturæ pertinent, minimè negligendum:

De quo mens perperam imbuta, non potest non multa injusta in civitatem vitamq; communem inducere. Nihil enim ejus est, quod non multas habeat consequentias, quæ isto pravè insinuato non possunt non pravè succedere, & pestifero velut è fonte pullulare. Sunt, de quibus philosophandi disputandiq; libertas relinqui potest; Sed non ex iis, quæ aliquo modo ad rempubl. faciendæ queunt, quorum postremû non est, quod sanam rectamque jurisprudentiam concernit. Circa quam magna industria cavendum, ne quid opinionis perversæ, sub specie Juris præsertim naturalis, insinuetur iis, qui ad curias vel aulas transeunt, aut publicis negociis gerendis occupantur. Quanto illæ sunt efficaciores, & pertinaciores, insident, & ex persuasione juris, ejusq; naturalis immoti & immutabilis, animos tenent, tanto minus permittendum, ut invadere mentem, aut ex ea in publicum prodire valeant. Quod non frustra monetur hoc sæculo, ubi multi de jure gentium, naturali scripturiunt, & postquam unus & alter scitius pleniusque quam antea ad ejus cognitionem mandeduxit, illi pleniores tractatus moliuntur, eas perversitates studii, quibus hæcenus Romani juris volumina penè corrupta, & ab usu ad abusum deducta fuerunt, ad istud transferunt, in eo studio mire arguti, subtiles, disputaces, scrupulosi, ambigui. Anterioribus sæculis, ubi rudior & civilibus Romanorum legibus velut astricta legalis disciplina fuit, quidquid temporis naturalibus dictatis tributum fuit, Philosophici saltem studii creditum, & inter moralia mera relatatum, minus nocuit, dum minus observatum, in foro nihili factum, legum textibus palliare cuncta posse artis existimatum. Nunc vero, ubi ejus ratio incipit esse alia, & jurisprudentia magis ex naturalis juris atque rationis ductu, quam legum verbis hauriri,

ri, ita moralia præcipuam ejus partem, & velut fundamentum facere atque observare, in opinionem pervasam devenit, longe magis observanda sunt, quæ de eo docentur & discuntur, ut non ita libere, quomodo in Philosophicis ea libertas tanquam Scholastica permittitur, ingenia vagari & errare concedatur. Non enim in juris scientia, ut in cæteris umbraticis studiis sibi solum, sed reipub. errant. Et quidem perniciosus is error est, uti vocat Jctus Paulus in l. 91. §. 3. ff. de Verb. Oblig. scribens: *in bono & æquo plerumq; sub autoritate juris scientia perniciose errari.* Non mihi sumo licentiam, ad exempla eundi eorum, qui recentioribus annis, sub obtentu ex naturalibus axiomatibus & dictatis, civitatum conditionem & jura, civium officia, imperiorum vim & potestatem, subjectio- nis vincula & similia derivandi, atque exponendi, sub specie justitiae, ex natura & populorum judiciis, eas sententias tradiderunt, quibus novis plane locatis juris & societatis principiis, non modo justitia valde corrupta, & mundus pene totus, etsi non in melius, reformatus fuit, sed etiam illæ in vulgus opiniones disseminatæ apud multos hæserunt, quæ publicum privatumque statum perturbarunt, & ecclesiastica ac profana cor- ruperunt, aut in discrimen adduxerunt. Conferas paulisper saltem, quæ ejus generis scripta prodierunt ex Anglia, quæque ibidem turbulente acta cum iis, quæ aut causam dederunt, aut in prætextum sumta sunt, & constabunt experimenta ejus doctrinæ, quæ ab anti- quis legibus & sana Jurisprudencia per sinistra natura- lis juris, seu potius perversæ ratiocinationis argumenta pleraque à republ. plane aliena axiomata abducere contendit, & pervertisset sine dubio, nisi benigniora fata DEus Regno destinans effectum impediisset.

XIII. Est interpretationis pars non eorum, quæ

de jure naturali controvertuntur, aut alias dubia vel obscura sunt, definitio. Istam hucusque Jcti sibi propriam fecerunt, tanquam partem doctrinæ sibi conceditæ, quam non modo informatione in Scholis, sed per commentarios & consultationes exercent. Olim quibusdam publico judicio electis & probatis ea facultas concedita, & responsis juris potestas adjecta est; Ex quo inter juris species Responsa prudentium, referuntur, unde de iis Imp. Justinianus §. 8. *Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. Responsa prudentum sunt sententia, & opiniones eorum, quibus permissum erit, de jure respondere; nam antiquitus constitutum erat, ut essent, qui jura publice interpretarentur, quibus à Casare jus respondendi datum est, qui Jcti appellabantur, quorum omnium sententia & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere à responsis eorum non liceret, ut & constitutum sit.* Non tanta ea superest hodie ex Imperiali concessione potestas, nec eo amplius modo exercetur, sed præterquam si ut ab arbitris vel consultatoribus petitur sententia, (quomodo à Collegiis Jctorum in Academiis responsa adhuc petuntur,) atque si à petentibus, seu iudicibus, seu partibus approbantur, remanet liberum sequendi placitum. Per eam autem, quam sibi in his sumpserunt licentiam, tam discrepantes & contrariæ de jure opiniones ortæ sunt, ut nihil ipso jure incertius magisque dubium redditum fuerit, nec hodie exitus in iis alius quærat, quam ut communiori stetur, & multum de jure lucrati videantur, qui de hac testimonium allegant, quasi non rationum pondere, sed sentientium numero iustitia constet, & jurisprudentia valeat. Pro stabilenda ejus auctoritate hæc per Jctos adjiciuntur axiomata: Opinionem communem legis vice esse: Ubi legis vox deficit, illam observandam: Judicem non minus eam.

eam, quam legem attendere debere: non sequentem, litem suam facere; & similia. Errorum vere pallia, & vero illa ipsa repertu difficilis, dum nulla non pro ut vel placuit, vel pro obviente casu utile fuit, ingentem numerum sectatorum habeat. Unde nunc & de communiore disceptatio, & de communi contra communem, de communiore & communissima frequens memoratio. Horrida vocabula, sed magis horrenda iis, qui jure potiri contendunt, quibus nullum gravius ex iis obstaculum, quanto gratius injuriæ inde tegumentum. Non perperam ideo quis dixerit, hodie ex opinione magis jus existere, quam ex ratione, ubi hoc pro jure habemus, quod plures pro eo venditant. Non potest non à sanioribus hujus rei noxa capi, uti à multis magno suo malo sentitur. Cujus non aliud remedium, quam ut interpretatio juris redeat ad eos, quibus jura condendi potestas, nec nisi horum sit. Ista ut à nemine nisi à civitate, ejusque vice ab imperio, cum necessitate observantiæ sumi & usurpari potest, ita nec aliis relinquenda. Absolum valde, publici juris arbitrium privatæ doctrinæ concedere, quod nihil aliud est, quam in Doctores legislatariam potestatem, & in subditos credendi sequendi que, quod alii sentiunt, necessitatem transferre. Cum jure naturali aliter comparatum, quam cum aliis dogmatibus. Hæc libertatem sequendi vel rejiciendi sinunt, donec sine lege traduntur; illud vero ubi subesse creditur, tanquam congenitæ legi necessitatem obsequii adduxit, & infert, ideo qui ea opinione juris imbuuntur, conscientiam simul suam obstringunt: Quam inter dubia mentibus insinuandi cuiquam licentiam existere valde periculosum. Si, cum quid civilium legum in litem incidit, interpretationem sibi conditores asserunt, tanto magis illis solis circa naturalia tribuenda, quan-

to gravius & perniciosius pravâ & erronea de illis opinione peccatur. Quod in istis Philosophiæ est, huic ab imperio porrigenda approbatio & autoritas. Ridentur forte imperiti, & absurdum credent philosophiæ & moralium præceptorem Principem facere. At audiant hi Platonem, qui si tales forent, beatam rempublicam fore sentit *lib. 5. de Republ.* scribens: *Respublicum futura felices, quando vel Reges philosophantur, vel etiam veri Philosophi regnabunt.* Respicit ille ad hæc, quæ nisi per sanam philosophiam in Republ. non possunt aut constitui, aut usum habere, quorum nihil præstantius est iis, quæ jura omnium hominum ad certitudinem & observantiam rectam deducunt, non aliter assequenda, quam ope Philosophiæ. Et ipsa jurisprudentia ea vera & non simulata philosophia est, ut *Ulpianus* vocat *in lib. 1. ff. de Justit. & Jur.* Ciceronis simile & explicatius Judicium de eo fuit, scribentis: *Philosophiam omnem, omnis seculi, omnium locorum leges ambitu suo continere, & ex intima philosophia JCos leges deprompsisse.*

XIV. Hoc, quod imperio circa naturalia jura non vacat modo, sed etiam per reipubl. rationem incumbit, me ad illam consultationem hic adducit, annon his, qui cum Imperio sunt, svadendum, ut in ea quam regunt Republ. juris naturalis vera & genuina axiomata, juxta rectam rationem, sano judicio & accurato studio colligi, & in compendium quoddam juris redigi curare debeant, quod pro institutis istius juris serviat & servetur? Qui nobiscum in eo conveniunt, civitatum maxime interesse, ut in quo fundamentum omnis juris, & prima jurisprudentiæ publicæ & privatæ regula consistit, sit rectum, certum, planum, nec de eo aut sentiat error, aut statuatur perperam, id quod nemini sapienti aliter videri posse opinamur,

iis juxta facile ob oculos veniet, quam necessarium sit futurum, id ipsum non relinqui singulorum opinio- nibus, aut naturali judicandi libertati, sed publici judi- cii facere, & de eo ex matura & sanæ rationi intenta- discussione certa themata habere. Quorum nihil tale habebitur, quamdiu non publicus & unus de eo sen- sus in civitate erit, sed disputacibus literatorum inge- niis studiisque, velut ex imaginaria ipsorum libertate, aut sibi solum sapiente opinione, arbitrarius quodam- modo remanebit. Multum referet, juventutem in- scholis solide dextreque imbui, & inde sanam senten- tiam in curias, aulas, fora inferri. Non minus in publica luce versantes, luce non carere, aut dum se- argos credunt, in tenebras incidere, & erroribus fœ- cundis involvi, ut accidit iis, qui de jure non recte sen- tiunt. Calamitatis fere omnis in republ. fundus est, quod quæ omnia regere, continere & firmare debet justitia, sub fluctuante jurisprudentiæ studio stationem certam capere, aut intra suos cancellos remanere non sinitur. Quæ malis aliisque multis caput amputa- bitur, ubi publica autoritas certam sententiam, eam- que regulam sentiendi faciendique constituerit. Ad quod leges civiles non sufficiunt. His generaliora sunt, quæ consulendum, & ante eos informatione re- ctâ vitiis scientiæ, quæ pariunt vitia vitæ & fori, præ- vertendum. Ea vera rectaque jurisprudentiæ refor- matio erit, quam multi svident, quæ principia ejus ex natura orta juxta naturam ulterius ad omnia Scho- larum, Aularum, Curiarum, Fori & Campi produ- cenda, in statum certum rediget. Non erit postea multis legibus opus, ubi ista bene collocabuntur. U- nicum ejus, quod communiorum opinionum sapius errorum vi perniciosè circa justitiam peccatur, reme- dium ex ea norma, quæ rationem communem per præ- cepta

cepta recte docet & ducit. Operæ precium duxerunt Principum doctiores, rudimenta bonæ literaturæ, quæ sunt in Grammaticis, Logicis, Rhetoricis præceptis, suâ cura recte componi & in scholas introduci, quod instrumenta omnis artis recte formata & informata huic compendia conficerent. Et aliis Philosophicis scientiis ea de causa, qui cum imperio fuerunt, eam operam cum laude tribuerunt. Quanto decentius & utilius autem id jurisprudentiæ principiis tribuetur, ex quibus justitia & pax in omni Republ. fundanda & firmanda est.

XV. **Judicia sunt officinæ, in quibus jus factis addicitur, ideo quod iis convenit indagatur & declaratur, in quo juris naturalis potissima ratio. Seu enim, quod in iudicium venit, lege civili est definitum, seu nulla de eo lex existit. Legem quidem Judex præcise sequi tenetur; at quousque naturali juri contrarium nihil sit. Si in iis, quæ lex applicanda subest, vel exoritur, quod per jus istud iniquum fit, sic eam intelligit & exercet, ut jure naturali salvo esse debet. Alia quippe mens legis, aut aliud sub hac contineri non intelligitur. Hæc æquitas ista est, quæ judicibus commendatur, consistens in exceptione à lege ejus, quod naturaliter injustum, cujus declaratio apud iudices, ut hujus interpretes. Nulla existente lege civili, juxta æquum & bonum litium fit dijudicatio, relicta iudicium arbitrio, ad normam legis naturalis aut rationis, per collationem illius præceptorum, hujus principiorum faciendâ.**

XVI. **Quartum, quod civitas circa jus naturale exercet, est in additione vel negatione potestatis & efficacitæ in societate civili. Est quidem isti sua vis ad obligandum homines, nec illa inanis: Coram D. E. O. & conscientia patitur qui peccat iudicium, ut inter superiora**

periora vidimus. At ex natura non est exterior ad cogendum potestas, præterquam ex libertate naturali, per quam naturaliter cuique licuit, quo jure sibi competente potiatur, quod *αὐτοχρησθῆναι* vocant. Hanc vero cum pacis inter homines servandæ causa civitates sustulerunt, publicis judiciis, in quibus & per quæ jus diceretur atque tribueretur, constitutis, juxta per easdem definitum, de quibus jus diceretur nec ne, & quomodo circa singula ejus fieret executio. Ex eo per civile jus naturalium aliæ aliis majorem habent auctoritatem, robur atque efficaciam. Quæ in eo consistit, ut non tantum jure naturali, quid fieri debeat, sed etiam per civile debitor adigatur aut puniatur. Duplex inde pro istis accedit medium, actio, & poena. Utraque quidem jus & rationem naturalem sequitur, at vim modumque ex civitatum providentia capit. Ut in foro seu judicio forensi sit de aliquo actio, adeoque ejus obligatio ad agendum efficax fiat, constitutione civili superadditur. Quia quod naturæ est, in forum recipiente accedit à civitate aliud vinculum, & præter vim naturæ directivam adjicitur coactiva, ut non tantum morali aliqua necessitate, sed etiam civili compulsionem facere & præstare oporteat, omittens vel aliter faciens remediis forensibus & civilibus compellatur. Hoc est, quod de naturalibus obligationibus Actorum phrasis habet, eas ex jure civili ad agendum reddi efficaces, non ac si ex iis nulla sit actio, ut generatim voce utimur pro jure petendi, quod naturalibus debitis semper inest, sine eo proprie debita non futuris; sed quod in civitate ad agendum non valeant, tanquam inter forenses actiones non relata. Ex discrimine ejus, quod naturæ atque civitatis est, descendit distinctio eorum, quæ sunt mere juris naturalis, mere civilis & utriusque simul. Cujus insigne

exem-

exemplum in obligationibus, juxta earum divisionem, quæ inter principia juris ab Jctis refertur, quod aliz sunt naturales tantum, quæ ex sola naturali æquitate vinculum habent: Aliæ civiles mere, quæ ex sola lege civili sine illa inducuntur: Aliæ mixtæ, naturales & civiles simul, quæ ex natura & lege vim obligandi simul habent. Idem docet domini triplex olim species, cum aliud fuit bonitarium, aliud Quiritarium, aliud plenum. Ex priori tantum res in bonis esse dicebatur, & vocatur ab Jctis naturale, & erat cum cuiquam res tradita, sed non cum solennitate olim sveta, certis nempe verbis, libripende & quinque testibus præsentibus nuncupata. Alterum, quod quis jure Quiritium per mancipationem seu cessionem injure habebat, & civile, quasi ex jure civili esset, audiebat. Tertium, in quo utrumque jungebatur, ideo majoris roboris erat. Effectu multum illæ species differebant. Prius non nisi ex possessione valebat, actione non petebatur: Vindicationis formula erat, quod ex jure Quiritium quis suum diceret. Imp. Justinianus tandem hanc differentiam expulit, & constituit, ut quisque plenus & legitimus rei suæ esset dominus, *per l. un. C. de nud. jur. Quirit. tollend.* Rediit tamen in multas civitates aliquid ex illo discrimine, ubi solennes dominiorum cessiones vel ascriptiones apud acta requiruntur, inde vis eorum censetur. Ut dominia sic & acquisitio, quod alia ex jure naturali, alia civili, alia ex utroque. Quo Jcti Pauli in *l. 23. pr. ff. de Rei Vindic.* pertinent: *In rem actio competit ei, qui jure gentium aut jure civili dominium acquisivit.* Quomodo origine, forma, ratione, effectis jus naturale & civile, ita & quæ vel alterutrius sola vel utriusque sunt, differunt. Civilis vis non ex legibus tantum est, sed & ex moribus civitatis, qui legum potestate pollent, ex quibus

bus

bus non minus, quam ex istis actio existit, uti ostendunt, quæ ab Jctis de conditione ex moribus scribuntur. Sic vero credimus aut præsumimus, quod omnia juris naturalis civitatum lex vel mos ad agendum reddidit efficacia, ideo ex iis, & ad ea actionem in fore esse, quæ non aut sua natura ab eo aliena sunt, aut per eum expressim derelicta reperiuntur. Inter Romanos quidem olim secus se res habebat, ubi non erat actio, nisi lex vel Prætor daret; ibique hæc potestas civitatum circa naturalia evidentius elucebat. Inde nemo admittebatur ad forum, nisi qui legem aut edictum Prætoris ostenderet. Cætera juris naturalis conscientiæ & pudori relicta manebant, sine coactione: At hodie non est tam stricta jus impetrandi ratio, alio utimur argumento, & quidquid gentium jure naturali debetur, etiam sine lege ex moribus eadem vi potiri sinimus & existimamus. Etsi potuit Civitas aliqua eximere, non tamen fecisse putatur, nisi cum fecit, hoc est, cum de eo aut lex, aut usus sic habet & constat.

XVII. Quomodo civitas sui juris robur præcipuum naturalium aliquibus addit, ita aliis negat vel non concedit, sine coactionis vel pœnarum vi in eo statu, qui naturæ fuit, sinens, demptâ etiam singulis naturali propriæ autoritatis libertate. Convenit Civitatum rationabili arbitrio, quid ex naturalibus in forum receptum & ad agendum efficax velint. Etsi enim potestatem istarum excedit efficere, ne naturâ jus vel debitum sit, aut ut non præstetur, ubi naturali jure proprie sic dicto debetur: subditæ quippe huic sunt, nec & summa potestas ab eo soluta; hoc tamen valent, ut ex ratione probabili, uni vel alteri speciei juris naturalis illud vinculum eamve vim, quæ ex lege civili oritur, non tribuant, vel ubi addiderint, restringant, & pro conditione civilis societatis forment. **Quod pro-**

proficiscitur ex pacto societatis civilis, in quam coitū, ut jure, quod à DEO & natura hominibus conditum, in pace frui liceat, sed ea conditione, ut civitati sic se suaque formare liberum sit, quo non modo jure sed & pace omnes gaudeant, ideo si quid huic fini ex jure non aptum, id posthabere vel bono publico attemperare justum sit. Plura sunt ejus generis, in quibus civitas non eam, quam aliis juris sui potestatem adjicit, etsi alias justa sunt. Primo inter hæc sunt actus mere interni, qui non in actum exteriorem quendam prodeunt. Quævis quidem & bene & male mens agit, sed in civitate, ut ut deinde per confessionem subsecutam aliæ argumenta cognoscuntur, vim juris ad agendum patiendumve non accipiunt, non tantum ex civili, quia civitati ex iis nullum periculum, sed etiam naturali ratione, quod nec societati, ex talibus quemquam obligare, nec humanæ naturæ ea certo intelligere, &, an vel quomodo peccatum, dijudicare congruum. Eo pertinent Ictorum dictæria: Propositum in mente retentum in jure nihil operari: Cogitationis poenam neminem pati. Secundo, quæ virtutes ex coactione laudem suam amittunt, sola spontanea voluntate tales, ut misericordia, liberalitas, gratia, benignitas, gratitudo per civile jus actionem non habent, nisi ubi peculiaris quædam societatis ratio istam addi suserit. Quo pertinet illud Augustini *lib. 2. cap. 83. contra Petilianum*: *Sic igitur, quod contra vos leges constituta sunt, non eis benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini.* Prolixiorem demonstrationem reperies apud Senecam, ubi disputat, an ingrati actio sit *lib. 3. de Benefic. cap. 6 & 7.* & inter alia ejus rei argumenta ait: *Cum honestissima res est, referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria. Non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quam eum, qui depositum reddidit,*

didit, aut quod debebit, citra judicium solvit; Porro: Non est gloriosa res, gratum esse, nisi tutum est ingratum esse. Verum in eo aberrat Seneca, & qui illum sequuntur, quod virtutum istarum naturæ contrarium putant, vel ad illas compelli, vel contraria vitia puniri. Haud ex ista hoc proficiscitur, sed quod præcipuum ex virtute laudemque ex coactione amittunt, nec in actiones venire necessarium, segetem litium super iis facere noxium. Si ex iis aliqua socialis vitæ commoda vel incommoda exigunt, civilem legem superaddi jus petendi ad istarum quasdam præberi, istis adversa coerceri vel plecti non absurdum, nec insolitum. Negari nequit, aliqua istarum ex constitutionibus civilibus aut moribus in judicium aliquando & alicubi adduci, sicut de eo, quod Seneca acriter disputat, in ipso tractatu videbimus, quomodo de ingratitude vitio apud multos populos actio fuerit, & propitia natura esse possit. Sunt ea indicio, quam alia causa sit, quod de iis actio non sit, atque istarum natura. Tertio, quæ nec directe, nec indirecte ad societatem humanam pertinent, civitas tanti non facit, ut juris sui robur addat, velut unice intenta, ut illi bene sit, suæque fine & ipsa & sub se singuli gaudeant, ultra hoc singulis non studens. Quare talia relinquit cujusque conscientia & pudori, de cætero incuriosa, quatenus finis suus non offenditur. Ex quo fit, ut aliqua alias juri naturæ congrua prætermittantur, nec aut fiant necessaria, aut omissa poenam habeant. Quarto, quæ ex hominum vel natura vel ingeniis, vel inveteratis moribus ita sunt comparata, ut mutari nequeant, transmittit civitas; contra ea non sunt actiones & judicia, etsi per naturam criminosa, tanquam iis impar, & malens non attingere ulcus, quod sanare nequit. Plutarchus in Solone: *δὲ δὲ πρὸς τὸ δυνατὸν γράφεται τὸν νόμον, εἰ βίη.*

*εἰ βέλῃσι χρησίμως ὀλίγας ἀλλὰ μὴ πολλὰς ἀχρεΐστας
 κολάζειν: Oportet legem scribi secundum id quod obtineri
 potest, si quis velit paucos utiliter, non multos inu-
 tiliter punire.* Quinto, pro evitanda vel reprimenda
 litium multitudine civitas aliqua destituit, quæ natu-
 ralis juris sunt. Cujus apud Romanos, in componen-
 da Jurisprudentia valde sollicitos, tibi non pauca
 constabunt exempla. Unum sume ex iis, quæ de nu-
 dis pactis leges habent. Dubio caret hæc naturali
 jure obligare & jus petendi in se habere; At civitas
 Romana in suo foro noluit hoc usurpari, itaque sivit
 sine actionum efficacia, ut in regulam transferit, ex
 nudo pacto actionem non dari. Aliquot tantum e-
 jus species exemit, & vi agendi donavit. Simile præbent
 ultimæ voluntates, ex quibus per jus naturæ petitio
 est, etsi nihil solennium habeant, dummodo de iis
 constet: At per civile non aliter inde actio, quam-
 cum præscriptis solennibus eduntur. Cæteris non
 est ejus vis addita, nisi in exceptis paucis speciebus.
 Per jus naturale discrimen non est, quid vel pro quo
 debeat modicum, an magnum sit; Eadem servan-
 di in utroque æquitas: At civilis lex in pluribus de
 modico forum fatigari noluit, ob id actionem ne-
 gando. Est naturale debitum, ut homo homini pro-
 sit: At leges civiles ad id non dant actionem, sed tan-
 tum ne obfit. Sunt alia plura, de quibus te plenius
 tractatus noster informabit. Hæc per jus civile dere-
 lictæ species indicant veritatem dicti Seneciani, & a-
 libi relati: *Quam angusta res est, ad legem bonum esse?
 Quanto latius officiorum patet, quam juris regula?
 Quam multa pietas, humanitas, justitia, fides erigunt?
 Quæ omnia extra publicas tabulas sunt.* Ex eodem ori-
 tur distinctio Quintiliani declamat. 102. *Quod aliud
 sit jurare spectare, aliud justitiam, quia nempe hæc omnia*
in.

in universum naturalia complectitur, illis pro civitate conditis multo latior sit. Quare naturæ præceptis alia magis, alia minus corroboret, vel fori jure juvet, civilium legum autoritas, oritur ex ratione civitatis, cui illorum saltem cura, quæ vel ad sui ordinatam compositionem, vel ad tranquillam & securam civium vitam, pertinent. Cætera committit cujusque conscientiæ, nec sine causa prægnante juxta & evidente: quia ista promiscue ad forensia litigia permittere, & eadem ad agendum vi armare, contrarium est tum fini suo; (nec enim litium modus, nec quies aut civibus, aut tribunalibus unquam futura, si par ad actiones forenses omnium conditio relinqueretur,) tum naturæ, quæ pleraque illorum sic indidit, & composuit, ut vel judicia de iis non possibile, vel tam civitati quam singulis non decora; tum officio boni viri, quem decet ea, ad quæ per civilem rationem adigere non opus, amore recti potius, quam formidine pœnæ, aliis præstare. Contra hæc male insurgitur, ex defectu potestatis tollendi vel mutandi naturalia. Cujusmodi nihil istis subest. Differt ab eo multum, civilia beneficia vel jura non superaddere. Manet per hoc naturale jus integrum, & in nullo immutatum. Durat ejus obligatio, nec pendet ex potestate aut voluntate humana; qualis fuit, remanet eadem vi, per naturam, quam ea incidit; Non eo minus homines invicem sibi tenentur: Tantum non additur, quod ejus non est proprium, sed publici arbitrii, ut juxta juris civilis modum atque rationem qui debent cogantur: Nihil in eo sit contra Deum, ideoque nec contra conscientiam, nisi quatenus DEUS lege aliqua morali hujus necessitatem magistratui injunxit. Quæ sine sola natura hominem homini, non civitatem singulis, ultra pactum cum ea initum, ad civilia & inde conditas leges devin-

devincit. Non enim, quia quis naturæ dictata observare tenetur, imperii est obligatio, ut quævis alias civitas ad justitiæ exercitium utitur mediis modisque, pro ista utatur: huic integram suæ utilitati, quæ juris civilis mater audit, studere, non necessarium ultra eam de naturalibus disponere. Quemadmodum sufficit his sua relinquere, nec circa ea quid injustum, quam ea tollere, vel mutare: ita competit judicare & discernere, quibus eorum pro bono societatis civiles leges, pro concedenda actione aut irroganda pœna, superaddendæ. Sicut homo homini multum ex illo potest remittere, quod sibi per naturæ leges debetur, aut cum in se peccatum condonare; ita etiam civitati, omnium vices ex communi pacto gerenti, & potestatem ab omnibus, ad ea quæ communiter expediunt, habenti, idem licitum. Non sit ex isto discrimen justitæ secundum naturam, sed quod ex hoc tale in suo genere idem immutabiliter subsistit. Oritur differentia saltem secundum civitatem efficaciam justitæ in & ex illa potestate, quæ discernit justum & licitum, probum & impune, debitum & non petendum, laudabile & non injungendam. Tanto minus in eò culpabile, quando ex justa aut probabili ratione sit, maxime si & ipsius justitiæ causa. Cui aliquando expedit, juxta illud Phisii in Panegyrico: *Nescio an plus moribus conferat Princeps, qui bonos esse patitur, quam qui cogit.* Male inter vitia, aut ad eorum approbationem refertur, ex quo nihil fit, ipsa non reprehendendi, sed tantum sicut in foro super illis, non permitteendi gratia. Pulchre Plutarchus in Cimone vocat si per leges derelicta, ἐξελευατα µετὰ τὸν ἀγερῆς τῆς ἐπιτοῆς, ἢ κακίας ποινεστέυατα. *Deliquit magis virtute abiciuntur, quam ex vitia crimina.* Nihil moratur Scholasticorum disceptatio, an non omnia, quæ juris naturalis sunt, pauci auctoritatis legum civilium sint firmandæ

mandæ, & magistratus illæsa conscientia possit illam & cæteris non addere; postquam ex superioribus apparenjusta ratio, cur istud non fiat, imo vel per ipsas naturâ modum vel per Reipubl. ordinem, salutem atqve tranquillitatem fieri neqveat. Ad conscientiam sufficit, nihil naturali legi derogari, sed omnia sua integra, & singulorum conscientis, ut indita & injuncta relinqui: Qui si neglexerint, sit ipsorummet vitio, sine publica injuria, dum in leges civiles redigendi, nec per naturam, nec per rempubl. ultra quam hujus cum noxa omittitur, obligatio adest. Multo magis excusabilis omissio, quando cum majori incommodo fiet, quam ubi conscientis tantum id relinquatur.

XVIII. Quâ pœnam iis, quæ naturali jure interdita sunt, addendam, civitatum arbitrium est; Ejus irrogandæ potestas per naturam erat singulorum, qui offendebantur, uti in tractatu exponetur, sed abdicata seu abrogata singulis vindicta privata, pœna juris publici civitatum facta. Quibus jus omnium etiam hac in re accessit: Quomodo igitur omnibus & singulis arbitrium fuit in se delicta castigare, vel remittere, ita deinde civitati hoc arbitrium cessit. Ex quo placet aliqua impunia dimittere, quia civitatibus ita commodum. Quo pertinet illud Hieronymi ad Oceanum: *Alie sunt leges Casaris, alie Christi. Aliud Papinianus; aliud Paulus præcepit. Apud illos impudicitia frema laxantur; & solo stupro & adulteria damnato passim per lupanaria & in ancillas libido permittitur.* Multiplex causa non puniendi esse potest, vel ex præpotentia aut multitudine criminorum; vel ex invalescentium criminum robore; vel quia puniri nihil expedit. Pulchra sunt & bene notanda, quæ de eo habentur apud Senecam *lib. 1. de Clement. cap. 22. Ipsos*

facilius emendabis minore pœna: diligentius enim vivit, cui aliquid integri superest. Nemo dignitati perditæ parcit. Impunitatis genus est, jam non habere pœna locum. Civitatis autem mores magis corrigit parcitas animadversio- num: facit enim consuetudinem peccandi multitudo pec- cantium: & minus gravis nota est, quam turba damna- torum levat: & severitas, quod maximum remedium ha- bet, assiduitate amittit auctoritatem. Constituit bonos mores civitati Princeps, & vitia ejus feliciter compefcit, sibi patiens eorum est, non tanquam probeat, sed tanquam in- vitus, & cum magno tormento ad castigandum veniat. Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. Pe- riculosum est, mihi crede, ostendere civitati, quanto plu- res mali sint. In senatu dicta est aliquando sententia, ut servos à liberis cultus distingueret, deinde apparuit, quan- tum periculum immineret, si servi nostri numerare nos cepissent. Idem scito metuendam esse, si nulli ignoscitur: cito apparebit pars civitatis deterior, quanto pragravet. Non minus Principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera. Remissius imperanti melius pare- tur. Naturâ contumax est humanus animus, & in con- trarium atq; arduum nitens, sequiturque facilius, quam ducitur. Paucis idem comprehendit Latinus Pacatus in Panegyrico: Quiescentibus legum minis subiit quemq; privatim sui pœnitentia. Quod autem ex na- turalibus peccatis impune per legem aut rectorem ci- vitem relinquitur, ideo non fit justum, & proprie lici- tum. Crimen haud eo minus est. Abutuntur illa voce, qui impunibus saltem, alias natura vel lege im- probis, adjiciunt. Convenit tantum iis, quæ nec di- vinitus nec humanis legibus prohibentur. Illicita ve- re & proprie sunt omnia iis contraria, etsi nullum in foro humano pœnam habent. Quod à Cicerone Tu- culanorum quintâ, de Cinna loquente, notatum: Mi-
bi

bi contra non solum eo videtur miser, quod ea fecit, sed etiam quod ita se gessit, ut ea facere ei liceret, etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur: id enim licere dicimus, quod cuiusque conceditur. Apud scriptores quidem, tum veteres tum recentiores, sæpius confunduntur, impune & licitum. Quomodo etiam à Cicerone fit ad iudices, pro Rabirio hæc fatus: *Quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis, si enim quod liceat quaritis, potestis tollere è civitate, quem vultis.* Eo sensu dicitur: Regibus omnia licere, quod à pœnis humanis suo fastigio sunt exempti, quæ tamen eadem non sunt iusta, uti, de soluta legibus Principum potestate, in tractatu pleniore scripta exhibent. Simile quod inter dicteria frequentissimum accipitur, quod ea quæ licent, & quæ non oportet, opponuntur. At valde improprie sic dicitur, & inde oritur, quod natura illicitum, quia impune, licitum dicatur. Pro conciliatione non nemo distinxit, inter perfecte & imperfecte licitum. Illud nullo jure prohibitis, hoc injustis quidem, sed impunibus tribuens. Aliter alius naturæ inimica quædam culpam, non castigari. Quo illud Senecæ Patris *Exc. 6. Multum interest, objurges, an punias.* Impunitatis, quæ ex jure civili venit, justitiam controversam fecit quæstio, quam veteres Scholastici dudum moverunt, nec hodie apud omnes indubitata definitionem habet: An magistratus quædam contra jus naturale facta non punire queat? Definienda autem ex necessitate plectendi. Natura per se istam non sanxit, quia ignoravit à principio, nec introduxit magistratum imperium, ideo dici nequit, per istam huic fuisse injunctam. Indidit cujusque conscientie sui vim, & illam judicem atque vindicem suæ malitiæ fecit. Inter divina præcepta non est, quod absolute & indiscriminatim mandaverit naturalium delictorum

rum omnium supplicia. Tantum pro libertate naturali facultas sibi illata vindicandi singulis quædam fuit; sublata his per rationem legesque societatum civilium, quæ in gentium jus transferunt. Post hæc jus illorum, uti hoc pro licentia accipimus, civitatum factum, ea cum conditione remittendi, cum qua olim libertas singulis competiit. Nihil in natura est, quod in eo obstet imperio. Nec Deus aliam necessitatem indefinitam intulit. Cum publicato decalogo nihil ejus imperio injunctum, sed DEO transgressionum supplicium saltem reservatum reperitur. Recepturus enim pro peccatis poenitentiam, plectendi arbitrium integrum sibi retinere voluit. Postea Hebræorum Republ. constitutâ, delictorum poenæ aliis legibus sancitæ sunt, haud tamen omnium. Multa istorum sine poenis, imo sine judicio relicta, in argumentum, quod non promiscue omnia ad jurisdictionem criminalem vocari conveniat. Expendentibus singula apparebit, quam in illa saltem constituta sit puniendi necessitas, quæ vel insigniter abominanda & societati magis noxia, vel pro indole populi coercenda erant, cætera & ibi relicta impunia, etsi turpia & naturalibus legibus contraria. Ortum ex societate civili, ut delinquentes publice punirentur, inde quatenus necessarium vel utile definitionem accipit. Quâ imperialis arbitrii factâ integrum fuit, quædam impunia prætermittere, & de poenis, uti civitati expedit, statuere. In qua aliquorum, etsi natura illicitorum venia sine peccato est, etsi quod non punitur, peccatum sit, dum in ea re non materia facti, sed usus societatis consideratur; nec magistratui incumbit, ideo prohibere & plectere, quia delinquitur, sed quod civitati & civibus facto nocetur, ideo ne fiat coerceri interest. Per quam rationem coercionis ut cessat

neces-

necessitas, ita reliqua est connivendi & non puniendi facultas. Quæ eo minus serupuli habebis, ubi cum ratione exercetur. Tantum hoc extendendum tibi est, ubi lex divina expressim morali lege certam pœnam addidit, eamque servari jusfit; ut ista ab omnibus, ita & pœna necessario servanda est: quomodo de pœnis incantatorum, veneficorum, adulterorum, incestuosorum, homicidii, & similibus per leges divinas sancitis pia est Theologorum & Jurisconsultorum sententia.

XIX. Quintum civitatis circa jus naturale existit in adaptatione istius ad hominum conditionem, prout juxta hanc istud observare possibile. Conditum inditumque id ipsum naturæ integræ & incorruptæ, in qua per vires liberi arbitrii istud servare ac præstare possibile, nec difficile erat. Post defectum à primitiva integritate, inde secutam depravationem mentium, amissasque vires concreatas, desit illa integritas, & cum illa legem naturæ perfecte implendi facultas. Multa inde ejus facta impossibilia, & verbis valde notandis Paulus *ad Romanos 8. v. 3. ait*, servari legem impossibile esse factum, quia infirmabatur per carnem, hoc est, quod in hac infirmum etiam isti vim inter homines ademit. Redegit tamen DEUS iterum in Decalogi tabulas aliasque leges. Et cum Reparator humanæ naturæ Christus omnia in integrum restituere vellet, etiam perfectam legis obedientiam exposuit, & exegit. Quare illud, impossibilitate servandi non attentâ, factum Theologi ratiocinantur. Pulchra sunt de eo verba Bernhardi *serm 50. in Cantic. Non latuit præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires, sed judicavit utile, ex hoc ipso sine illos insufficientia admonere, ut scirent sanes ad quem justitiæ finem niti pro viribus oportet. Ergo mandando impossibilia, non prevaricatores homines fecit, sed humiles.* Quia vero lex durat,

etiam reatus remanet. Qvi tollendus fuit, ne hominem ob impossibile damnaret. Coram DEO istum sustulit, qvi à DEO DEUS in mundum venit, pro homine & implevit legem, & passus est legis disciplinam. Inter homines vero præoccupandus fuit de legibus naturæ remittendo, ex observantiæ necessitate, qvòd supra vires humanas fuit, & usque qvo illæ pertingunt, huic modum dicendo. Humano jure impossibilium nulla obligatio: Hæc velle injungere, vocat Diodorus Sículus lib. 17. τῆς ἀνθρώπινης καὶ κοινῆς ἀσθενείας ἐπιλανθάνειν, *oblivisti infirmitatis ejus, quæ communis humano generi.* Fit autem illa juris ad conditionem humanam adaptatio, non istius abrogatione, sed observantiæ tantum extremæ & non præstandæ remissione. Manet quippe lex integra, nec non ejus obligatio: Nec sine usu. Primo valet ad indicandam humanam imperfectionem. Augustinus lib. 3 *contra duas Epistol. Pelag. cap. 7. Virtus quæ nunc est in homine, justo hæcenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem, pertineat etiam ipsius imperfectionis & in veritate agnitio, & in humilitate confessio. Tunc enim secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta est ista parva justitia, quando etiam, quid sibi desit, intelligi gratia DEI tribuit hic studium servandi præcepta, & eadem, si quid etiam in illis præceptis minus servatur, ignoscit.* Deinde est excitatio studii ad possibilem animi morumque emendationem. Habet semper homo, qvò contendat, usque dum qvo contendere debet, non pervenit. Proposita itaqve in lege debita perfectio, qvo ejus memor nunquam ad illuc perveniendum laborare desineret, & si non perfecte bonus fieret, tamen quidquid ex virtute attingi posset, eniteretur. Non potuit hoc in civili civitate sic relinqui, quæ eget legibus servari possibilibus, nec tantum ab uno altero-

alterove sapiente, & adversus affectus per longam
 consuetudinem obfirmato, qui singulare exemplum
 præberet, sed ab omnibus servandis. Quocirca in illa,
 quod ex lege naturali debetur, ad possibilitatem com-
 munem & certitudinem practicabilem, ut ita loqua-
 mur, redigendum fuit. Per leges & mores civitatum
 hoc fieri debuit, quævis justus limes ponitur, quousque
 per humanas vires progredi licet: In quo enim obse-
 quium, quod erga naturam incumbit, consistere dece-
 at, singulorum arbitrio relinquere, foret totum jus
 naturæ pervertere, & hominum voluntati submittere,
 quod quid aliud, quam penitus illud tollere. Esse
 itaque oportuit, unde constaret, quousque observantia
 ejusdem in commune fines haberet, humanis viribus
 congruos. Ista determinatio concredita civitatibus,
 eum legum naturalium custodia, cujus non minima
 pars sic istas disponere, uti per naturæ præsentem sta-
 tum permittitur in actum deducere. Per exempla hæc
 liceat demonstrare. Naturali charitatis legi Chri-
 stus patientiam injuriarum convenire docet. In-
 de vox ejus: *Audistis dictum, oculus pro oculo, & den-
 tem pro dente. Ego vero dico vobis: Ne obstistite inju-
 rioso, sed cadenti te in dextram maxillam, alteram quo-
 que obverte.* Perfectionis foret, supra omnem injuri-
 am generosum hominis animum erectum esse, ut nul-
 lo dolore ejus superari posset. At quia id sufferre,
 nec humanitati possibile, nec vindictam omnem pro-
 hibere societati humanæ congruum, civitatum lege
 ad vindictam, sed in judicio sub moderamine judicia-
 li, super injuriis actiones sunt concessæ: Similiter lege
 naturali homini ab omni cæde abstinendum, præter-
 quam ad suæ vitæ defensionem. Non sumit illam
 charitas ob ullius alterius rei propugnationem, jux-
 ta verba Augustini: *Quomodo apud divinam provi-*

dentem
 T. 5

dentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas con-
semni oportet, humana cade polluti sunt? Lex civitatum
cædis licentiam facit, in periculo mutilationis membri,
& pro defensione quoque rerum, quod nimis magnis
inter homines periculis subjiceretur, si, ne alius pereat,
suæ salutis derelictio necessaria erit. Ex lege naturæ
reputatur Christi dictum Luc. 6. vs. 35. Benefacite, &
mutuum date, nihil inde sperantes; sed quia benefi-
centia, ut cuique libera futura in mutuando rara, in-
de ex aliorum abundantia sine certo fructu inopiæ al-
terius non speranda copia, perverſitati humanæ ac-
commodanda fuit lex, cum permissione certæ usuræ,
uti habet de ea ratione constitutio Leonis 83, Basilii
Parentis prohibitionem usurarum abrogans: Parens
noſter (inquit) æterna memoria, Princeps ſciens uſuras
ubiſq; à ſpiritus decreto condemnari, uſurarum ſolutionem
ſanctiſſime ſua prohibendas putavit: Atq; propter paupe-
ritatem res illa non in melius, quem tamen ſinem legiſlator
propoſuerat, ſed contra in pejus vergit. Qui enim antea
uſurarum ſpe ad mutuandum pecuniam prompti fuerant,
poſt hanc legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere
poſſint, in eos, qui pecuniis indigent, difficles atq; immi-
tes ſunt, quin etiam ad facile jurandum, quodq; id fere
conſequitur ad jus jurandum abrogandum id occaſio-
nem præbuit. Breviter, propter redundantem in huma-
na vita perverſitatem non modo non profuit legiſ virtus,
verum etiam obſuit. Elegancia verba pro demonſtra-
tionem neceſſitatis de jure naturali in civili ſocietate,
quantum non patitur humana perverſitas, remittendi
applicanda ad ſimiles ſpecies. Ex iſta civitatum mo-
deratione proveniunt diſtinctiones illæ circa juſtum,
quæ ſi Theologi, Juriſti & Philoſophi, ad conciliatorem
ejus, quod diverſe & penè contrarie in legibus divinis,
naturalibus & humanis reperitur, uti ſolent; quod A-
 liud

Aliud justum pro emendatione naturæ; aliud pro possibilitate hominum: Aliud naturæ integræ; aliud corruptæ: Aliud justum moraliter; aliud politicæ: Aliud charitatis; aliud civitatis: Aliud obtinere lege naturæ & Evangelii; aliud ex usu politiæ: Aliud esse jus cœli; aliud mundi. Priora istarum respiciunt, quod divinæ voluntatis; Posteriora, quod humanæ imbecillitatis. Non est in iis contrarietas, nec enim justum, ut tale, sibi contrarium esse potest; sed potius justum, juxta naturæ tolerantiam, ad praxin deductio. DEUS postquam constituit, ut omnia secundum perfectam naturam esse debent, deinde sivit per civitates ordinari, quod per humanam conditionem præsentem fieri potest. Fuerunt etiam in Hebræa Republ. talia, quæ à lege naturæ discesserunt, quia per hominum ingenia ac mores servari non potuerunt. Ista licet per legem Evangelii, tanquam divinæ voluntatis interpretem, & pro emendanda natura per Christum expositam, in homine aliter requiruntur, è republ. tamen non tolluntur, nec ejus civibus prohibentur. Non quia Moses aut Christus aliter loquitur, in Politia aliud non potest constitui. Alio fine, uti vidimus, illa dicta sunt, & ut non tollunt, quod alii juri causam dat, ita nec hoc improbant. Evangelium non abolerè politiam, vetus dictum est, & ex sacris literis manifestum, quomodo omnia DEI tendunt, ad pravitatem humani cordis demonstrandam & agnoscendam. Imperantibus autem relinquitur, quod facit ad illam possibili ratione refrænandam, & in civitate innoxiam præstandam. In eo necesse fuit, jus tradere, ut justitiæ divinæ convenit; in hoc statuere, quod per facultatem humanam licet. Quæ inter se bene conveniunt, insigni dogmate id Christus exhibuit, in factis circa adulteram, ad ipsum per Phariseos & Scribas

Scribas adductam *Johan. 8. v. 3. seq.* Isti Christum de libertate per se reducta differentem tentaturi, quæstionem proponebant, illa condemnari, an absolvi deberet? Utrumque justum docebat, at pro diversitate legis, ex qua agendum, diversimode. Primo enim inclinans ad terram ei aliqua, dubio procul, quod exponere volebat, inscribendo ostendit, exteriorem, quæ in judicio fit, condemnationem, terræ opus, hoc est, hominum in terris potestatis esse, ideo huic per se licere, quam legem quodque judicium dicere velint. Deinde instantibus insidiatoribus erexit se, tanquam de sublimioribus & cœlestibus dicturus, ex sua lege respondit: *Qui vestrum immunis est à peccato, primum lapidem in illam conjiciat; innuens, esse adulterium crimen lapide dignum, at non ab homine vindicandum, nisi qui sine peccato sit.* Quando itaque ex lege Evangelii nemo non peccator & damnationis reus erat, etsi idem peccatum non commisisset, ex ea adulteram ream, at singulis de eo non judicium esse testatur. Ad quod etiam, non ad mundanam, alterum illud Christi spectat: *Nolite judicare, & non judicabimini;* Se autem iterum vertens ad terram, eos, quorum judicium criminale fuit, reliquit, & abire scivit, condemnationem non prohibens, nec tamen injungens, libertatem super eo juxta humanam rationem, concedens. Quid vero suæ mentis explicatius deinde declaravit, rogans, nemo te condemnavit? Et cum Rea negaret, addens, nec ego te condemno, vade, & posthac ne peccaveris. Peccatum saltem agnosci, & vitari voluit, quod internæ accusationis atque condemnationis est. Exteriorem non fecit suam, sed publicam; si condemnata fuisset, & talem relicturus; ubi demissa, & ab ista liberam sinens. Chrysoptomi huc spectat dictum in Mattheum, homil. 36. *DEus virtutem*

statem perfectam tibi lege sua monstravit, & quamvis hanc explere non licet, tamen considerandum reliquit, ut recorderis, qualis esse debeas, & quam longe abinde absis, nec non qualis esse potueris, qualisq; post regenerationem ultimum futurus sis. Tua vero depravatio in cælo gratiam, in mundo necessariam indulgentiam accepit, ut licet peccator sis, vir bonus & civis integer habearis, modo prestes, quod corrupta natura possibile. Est DEI erga nos benignitas, ut quam injungit innocentiam, non tamen inter homines ultra humanitatis vires per eundem vult requiri, aut vindicari. Confirmat hæc & declarat Christi de divortio doctrinæ ἐπιφώνημα. *Matth. 19. v. 1.* Docuerat, quid Moses ob σκληροκαρδίαν gentis permiserat, & quid lex naturæ exigit. Quando vero auditoribus videbatur, omnibus à conjugio tolerandis, & tamen eâ retinendâ à conjugio abstinere præstabilius fore, & hoc Christo sic visum, sed pro iis, quibus abstinentiæ donum, non omnibus contingens; cæteris aliquid amplius pro sua infirmitate indulgendum, ostendit lege non obsistente, veluti quæ pro iis sit, qui servare valent, non pro aliis, quibus impossibile, ideo aliud æquum. Posuit in talibus notandum canonem: ἐπάντες χωρεῖσι τὸν λόγον Ἰησοῦ, ἀλλ' οἷς δέδοται: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est;* & aliud ei consequens: ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρεῖτω. *Qui potest capere capiat.* Quid clarior dici potest, quam quod perfectionis est, ideo in legem redactum, non esse omnium, nec ultra quam præstare valent: quod superat vires, imperfectum, sed non ideo inter homines injustum esse. Clariora hæc tibi erunt ex Pauli doctrina *1. ad Corinth. 7. v. 25. seq.* ubi discrimen perfectæ virtutis & possibilis facti, & ex ista laudis in hoc approbationis explicat.

XX. Sextum ex hoc oritur, quod civitas licentiam

tiam aliquando concedit contra ea, quæ naturali iuræ sunt proba & honesta. Quod fit duplici potissimum ex causa: Ex civili necessitate, & pro naturali libertate. Contingunt in cœtu aliquando, quæ aut non admittunt talia, aut requirunt contraria. Ut plerumque evenit, tum per invictam necessitatem; tum per pravaram consuetudinum inveteratam nec cito emolliendam pertinaciam; tum per hominum ingenia, semet vel plane vel nisi tarde emendari non sinentia; vel per negotiorum conditionem, non permittentem, nisi exorbitantia; vel per insolentiam, cui assueti animi ferocius repugnant, & turbant; vel per moræ aliaque pericula; vel etiam aliis ex causis. Ex iis graviora per correctionem metuenda mala, quam ex tolerantia aliqua existere queunt, civitates non adducunt modo, sed adigunt sæpe ad permittendum, quæ mutari nequeunt. Exemplum in Hebræa Republ. ex permissione divortii, naturali legi, ex qua conjugium indissolubile, contrarii, fecit eam Moses ob *οκληγε-καεδίαν* gentis, ut ait Christus *Matth. 19. v. 8.* Simile Jcti inter leges Romanas afferunt *ex l. 27. §. 1. verb. Nam §. in multorum honestorum virorum pradiis lupanaria exercentur ff. de Pet. hered. cui congruit ex ea licentia ortum, quod habetur in l. 4. §. 4. ff. de condict. ob turpi caus. Quod meretrici datur, repeti non potest. Nova ratione, non ea quod utriusq; turpitudine versatur, sed solius dantis. Illum enim turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix. Aliud in concubinato ponitur, de quo Marcianus in l. 2. §. 1. ff. de Concub. Quia concubinatus per leges noster assumptus, ex parte legis parum est. Ad talia & referentur illud Quintilian. lib. 3. cap. 8. sunt quædam non laudabilia naturæ, sed jure concessa, ut in XII. tabulis ab hisce arguo utonare dicitur David dicit. Deinde*

inde licentia datur ad ea, quæ ex libertate naturali non improba sunt, saltem naturali pudori aut ei virtuti, quæ non aliter, quam spontaneo motu, non juris vi exercetur, non congrua. Non tantum lex civilis, uti vidimus, his non addit justæ vim & actiones, sed finit libera & licita, an quisquam aliter facere velit, pudori & conscientiæ relicta, in quibus tamen amplius est atque in his, quæ saltem impunia, quæ, ut superius demonstratum, proprie licita non sunt, quia naturâ vetita manent. Hæc vero, de quibus hic agitur, per leges proprie licita sunt, quia & naturaliter libera sunt, tantum improba, quia pro pudore & virtute aliter melius fieret. Quia jure naturali non est ea faciendi, velut ex lege necessitas, licentia non est injusta. Exemplum habet Ulpianus in l. 1. §. 3. ff. de Peric. & comm. rei vendit. in venditore, cui vinum venditum post præstitutum diem licet effundere, ubi addit, *sitamen cum posset effundere, non effundit, laudandus est potius.* Ex quo proficiscitur, ut jurisprudentia habeat justum, quod licitum saltem, sed non honestam est. Quo pertinet juris Regula, quam exhibet l. 144. ff. de Reg. jur. *Non omne quod licet, honestum est.* Est inde discrimen inter id, quod oportet, & quod decet. Cicero in Orat. pro Balb. *Est aliquid, quod non oporteat, etsi licet.* Ammianus Marcellinus lib. 30. *Sunt aliqua quæ fieri oportet, etiam si licet.* Apud bonos authores & Jctos aliis vocibus id distinguitur, dum illud fas, hæc jus vocatur. Unde apud Senecam in controversiis, *patrem defendi non jus modo sed & fas esse,* scribitur. Utut vero ex legibus moribusque civilibus orta licentia facere vel ommittere, permittit, quod alias rectius, laudabilius, melius aliter fieret, tamen non jubet, aut vetat, ne hoc fiat. *Facere vel non facere ut antea, sed postea libertatis signant.*

finunt, tantum pudori & conscientiæ relinquunt, pro eo jus non dicunt, nec statuunt, nec postulant. Illis potius consulere, quam libertatem sequi inter magis laudanda refertur. Seneca in Agamemnon, *id facere laus est, quod decet, non quod licet.* Nec frustra svidetur. Cassiodorus lib. 4. var. Epistol. 16. *Nam cum prestare, DEO possumus omnia, sola nobis licere credimus laudanda.* Claudianus:

Non tibi quid liceat, sed quod fecisse decebit.

Occurrat mentemq; domet respectus honesti.

Pauli Apostoli illud 1. Corinth. 6. v. 12. illuc respicit:

πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' ὃ πάντα συμφέρει: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Quod exponit

Augustinus ad Pollent. lib. 1. cap. 13. *Cum ergo dicam licere, quia non vetat Dominus, non tamen dico expedire.*

Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate, & ea sunt in officiis nostris gratiosa, quæ cum licerent nobis, tamen causa dilectionis non facimus. Quando au-

tem lex facit licentiam, & si pudor & honestas alio incitant, non existimandum est, per id quod melius omittitur, conscientiam lædi. Non enim ex necessario juris vinculo, sed ex verecundiæ stimulo tantum ea probitas est, quæ per legem negligitur; Ita tantum melius, ut aliud etiam non sit malum. Inter quæ multum discriminis est, uti Plinius lib. 5. Epistol. id eleganter adhibet, & indicat: *Oportet, quæ sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare.* Pudoris & notæ quidquam habent omissa, nihil vero injuriæ, ideo in foro exteriori non modo nihil condemnationis aut improbationis, Seneca Pater 4. *Controvers. 22. Ego reum non laudari (quia quod commisit pudori contrarium) desidero, sed absolvi (quia lege propitiâ id fecit, juxta mores civitatis) contro. 23. in Excepti 6. Non speramus ut probeat, sed ut dimittat;*

—————

sed

sed nec in conscientia interno. Leges humanæ jus verum non inter homines modo, sed etiam apud DEUM præstant, ubi ratione iusta non carent. Quomodo DEUS voluit subditos ex magistratum imperio in conscientia ad obedientiam obstringi, & propter hanc quoque obtemperari, juxta monitum Pauli *ad Roman. cap. 13. v. 5.* ita non potest non ob hoc illa libera judicari, dummodo nihil contra jus divinum manifeste fiat, nec subditus aliter credat, quam juste imperatum esse. In qua quæstione, quæ conscientiam concernit, circa talia, quorum lex facit licentiam, discernere decet, primo quod lex jubeat, vel vetet; deinde, quid lex tollat, poenam an vitium. Poenæ veniæ, etsi iusta, sola tamen non sufficit, ad conscientia tranquillitatem: Ex ea enim tantum facti impunitas, non justitia oritur. Peccatum manet, supplicium remittitur. Ubi præter istam vitium lege aboleretur, desinit quod conscientiam mordet, quatenus de eo legem faciendi potestas competit.

XXI. Septimo, ex eadem potestate jus humanum hominibus aptandi descendit potestas, super illo jure dispensandi, seu ejus aliquam gratiam nonnullis faciendi. Ex se quidem illud ut immutabile, sic indispensabile, & eatenus cum iis loquimur & sentimus, contra jus naturale summæ orbis potestati, seu seculari seu spirituali, jus dispensandi non esse: At quæ subjectum, cui applicatur, eatenus locus ei existere potest, quatenus illud vel juris istius incapax, vel causa accedit, ex qua illum à nexu liberari & debitorem licet, tamen immunem & impunem relinqui æquum est. Hæc facit licentiam remittendi, vel potius non applicandi. Discernenda sunt hæc duo, quæ aliquando male confunduntur, ideo in errores incidunt, jus naturæ mutare, & necessitatem observandi remitte-

tere : Quorum illud ex nulla , hoc ex aliqua causa fieri valet. Cape exemplum à matrimonio , cujus natura fecit indissolubile vinculum & consortium ; At ubi vel pravi sæviqve alterius mores hoc non patiuntur , vel illud altera pars desertione seu perfidia gravi violat , vel impotens est facere aut sustinere , quæ sunt conjugii propria , in isto casu , ob subjecti qualitatem , in illo , ob causæ supervenientis momentum , in hoc , ob inhabilitatem , fit dispensatio , ut quævis singulare continentia donum innocentem cœlibatum non permittit discedere , & iterum jungi , dispensatione civitas seu ejus vice magistratus permittat. Circa fidei observantiam jure naturali sancitam , frequentia sunt dispensationis exempla , ut sub pleniori juris expositione legentur , ab omni orbe per consuetudinem approbata ; ita dispensandi licentiæ argumenta. Ejusmodi dispensationis species sunt in iis , quæ per jura civilia , ex juris naturalis rigore , circa actus humanos remittuntur minoribus , scæminis , simplicioribus , militibus , rusticis , aliisque , in quibus causa est , non tam exacte ut in cæteris omnia justa requirendi. Hoc ad dispensandi licentiam pertinet , ut contra naturæ jus , non nisi ex rationabili eaqve gravi seu urgente causa , fiat. Haud enim DEUS ultra eam potestatem indulget , qui observandi necessitatē fecit , tantum pro contraria necessitate & naturali ratione relaxandi facultati connivet. Non nisi ex tali contra civiles leges dispensationes JCI concedunt , ut ut Principum legibus soluta sit potestas , & ab istis quæ suæ sunt , & semet ut reipubl. caput non obstringunt , discedendi plenius arbitriū. Quanto minus aliter contra naturalia , quæ divina & supra Principē ut hominem sunt , licebunt. Sapienter pieq; movent Theologi , circa dispensationes præprimis respiciendum esse ad conscientiam tum dispensantis , tum ejus qui

qui secum dispensari cupit, ne quid circa istam fiat, quod alterutra sine morbo sustinere nequit. Cujus securitas ex congruentia actus sui cum lege, dum facit quod secundum jus faciendum, vel omittit non faciendum. Illa recta & sensus legis verus sibi invicem respondere debent, si illam retinere velis. Quoties itaque à jure disceditur, conscientia periclitatur: Non ut semper illo discessu saucia fiat, sed quod facile fieri queat, si non adsit, quod vim atque obligationem legis, non modo coram mundo exterius qualivoli prætextu, sed interius in conscientia vero & accurato judicio, tollere ac remittere queat. Accessus causæ, quæ relaxationem legis probat, probabilem reddit conscientiam, qualis in eo cum recta coincidit, quod integra esse potest, etsi non adeo evidentem atque immotam suæ rectitudinis cognitionem habeat, quam quæ certo legis sensui innitur. Probabili conscientia quisquam tuto sequitur sententiam civitatis, seu imperantium, penes quos legislatoria facultas residet, quia illorum judicio sua submittere tenetur, juxtaque credere, justa ratione sapienter atque juste fieri, quod factum à fonte justitiæ. Tutius, ubi maturo consilio seu adhibitis sapientum judiciis constitutum vel indultum. Tantum hoc opus, ut non credat, nec credere debeat, qui conscientiam ex eo vult habere illam, contra jus actum dispensando: de quo opinio alia vel dubitatio istam tranquillare non sufficit: dubia quippe malâ pejor est.

XXII. Octavum civitatibus in jus naturale vacans, est in subordinatione seu submissione istius ad usum eorundem. Postquam enim homines in civilem societatem coherant, juris pacisque causa, ut omnia sua, is etiam jus, quod à natura habent, submitterunt,

non aliter eo uti volentes & valentes, quam ut civitati expedit. Si itaque aut civitati noxæ futurum, aut nisi eo posthabito usus civiles aut publica omnium salus & utilitas non obtineri queunt, Civitati & ob hanc Imperio potestas est, ex pacto omnium communi, non aliter quam iis salvis naturalis juris rationem habere. Restringit supereminens civitatis ob translatum in eam jus omnium in omnia, quod in primævo statu singulorum fuerat, omnia civium jura, non modo quæ ab ipsa habet, sed etiam naturalia, veluti quorum usum nemo secure & quiete habiturus sit, nisi illa incolumi beneque ad finem suum composita. Hinc generalis omnium ex civitatis jure limitatio est. Natura parentibus addicit liberorum subjectionem, reverentiam & obedientiam, liberis parentum amorem, cedunt vero hæc reipubl. & in publicis causis nec patria potestas, nec liberorum officia attenduntur, sed cessant. Natura cuique proprietates suas afferit, & usum liberum concedit; at civitatis necessitates prævalent, ob quas non modo usum cohibere, sed etiam cum pro civitate necesse, ipsas auferre ex istarum lege justum, & in istas hoc supereminens dominiû tribuitur. Ex naturæ lege commerciorum libertas hominibus debetur, at propter civitatum commoda restringuntur, aliquando & prohibentur. Naturæ legum præcipua est, de non quoquam lædendo: At quot modis in personas, vitam, corpora, membra, bona & fortunas à civitate statuuntur vel poscuntur, istius causa, quibus multum ex iis demitur. Sic naturæ lex sui conservationem injungit; ideo defensionem concedit; at non uno modo ei derogatur civitatis causa, pro qua pericula adire, & injuriam pati oportet. Quis recensabit omnes talium species, quæ veritatem axiomatis superioris convincunt. Ex legibus & imperio ita natura-

turale hominum jus limites habet. In quo tamen discernendum est, quod natura jus fecit, pro vitæ honestate, & pro hominum usu. Ad ea, quæ hujus generis sunt, tantum pertinet, quia homini integrum, juri à natura sui causa constituto renunciare, ut factum generali pacto, per quod quisque civitati se suaque omnia submittit. Alia, quæ sunt honestas animi, vitæque humanæ per naturam formata est, non ita sunt in hominum potestate, idèoque non submissa civitatis arbitrio, sed per hanc etiam, quamdiu possibile est, servanda & custodienda. Quo pertinet à Politico recte monitum: *Republ. esse sub natura, non supra eam.*

XXIII. Nonum civitatum est, formam dare iis, quæ sunt juris naturalis, ideo sic formare usum, quomodo videtur utilius, expeditius, tutius. Per naturam voluntati hominum res suas in alium transferre, & tam vivo quam mortuo integrum, & quid voluerit ratum; At civitates tam alienationibus inter vivos, quam ultimis voluntatibus formam addunt, juxta quam procedunt, irritæ hac ommissa. Mentis impotes seu ex ætate, seu ex vitis mentis, seu ex pravis moribus, esse sub potestate & cura aliorum, natura insinuat, sed formam tutelæ & curæ civitas suis legibus componit. Pactis ista obligandi vim, sed hæc formam ex stipulatione aliisve modis tribuit. Sic materia sunt juris naturalis alia multa, quæ ex jure civili formam accipiunt. Cujus ex legibus deinde ea fit autoritas, ut per defectum in hac illa fiant nulla, & in seipso invalida, tanquam ex regula naturali, quod formaliter esse rei; & illa deficiens, vel non faciat, vel perimat secum rei substantiam. Quod non evadit eorum reprehensionem, qui secum conciliare nesciunt, quomodo æternum & immutabile naturæ jus ex civili constitutione, quæ formam externam adjicit,

pendere & informari queat. De quo etiam nodum nectit Aristoteles *de cavillatione*, lib. 2. c. 5. *Nonne jus est, ut sua quisque habeat? Atque ex animi sui sententia, iudex judicaverit, ex lege nam sunt, Erit ergo idem jus & non jus.* Disputatio ideo frequens de iis, quæ ex forma civili nulla sunt, cum natura valeant. At quibus non ignota est civitatum potestas, quam à DEO & populorum consensu habet, & quidem quæ pro jure ad usum suum dirigendo pallent, facile intelligent, quam nihil in eo sit, naturæ aut rationi contrarium. Isti enim adhæret facultas formandi actus humanos, quomodo & recte commodeque perficiantur, & perfecti consistant, suoque jure potiantur. Ideo & iis pro suis necessitatibus naturalia applicandi. Cui consequens, ut non aliter, quam per istam fieri debet & potest, peragi debeant. Frustranea foret suspensio providentia, & periculis, quas civitatum iurit, obnoxia, si in civitate ex forma quidquam negligendi arbitrium sit: Ut futurum si non, cum non adhibentur, actus sunt nulli & irriti. Sunt autem tales tantum jure civili & in foro externo, cui civitas consulit. Non abrogantur, quod naturæ est. Cuiuslibet etiam ea servare integrum, imò honestum. Saltem eatenus non necessarium, ut actionibus compelli debeat, aut actus in civitate justus habeatur. Quæ ratio hæc movet ad certam formam inducendam, eadem proficit & valet, ad ejus non servatæ poenam, aut nullitatem excusandam. Frustra permittitur juri naturali aliquid superaddere, utiliter, si aliter non adhibere liceret, quam inutiliter. Afferunt huc pro declaratione JCI distinctionem, inter forum fori seu externum, & forum poli seu internum, tanquam quæ ex se justa tantum ob deficientiam formæ non solennia in conscientia obligent, & licet civilibus judiciis facere & servare, nemo compellen-

pellendus, tamen per istius dictamen observare astrictus sit. Sed incongrue. Quomodo illa distinctio in ore & calamo Jurisconsultorum frequens dextre capienda sit, sub fine capitis videas. Hic tantum errorem, qui circa formam erratur, notabimus. Hoc extra eam per jus civile manet ex jure naturali, ut non modo impune, sed & bene atque laudabiliter agatur, si quis ob non servata illius solennia seu formalia, quod hoc simplex suggerit, nihilominus observet, veluti si solam voluntatem defuncti secutus, ex imperfecto testamento legata aut fidei commissa præstet; si nuda etiam pacta vel stipulationem non rite factam servet: At ut in foro poli ob illa non præstita, hanc non servatam, reus fiat, minime asserendum. Nunquam enim non quisquam ita facere teneretur, si coram DEO & conscientia integer esse vellet, & male aliquid in eo civili Jurisprudentiæ tribueretur, ubi se fretum in hac vita tantum tueri posset, ad gehennam fauciam conscientiam transmitteret. Aut igitur formæ non est tribuendum, ut ejus neglectus actum irritum faciat, aut vero sentiendum, ut illæsa pietate atque conscientia fiat. Nihil enim fieri debet, nisi hac salva. Præstat autem talem factum civitatis seu imperii. Nam ut in ea obligat, sic & eam liberat. Quando DEUS voluit istam omnium dominam, hos populorum rectores iisque circa negotia humana arbitrium, & ex eo leges condendi jus permisit, subditis obsequii necessitatem injunxit, non potuit non quod illi probabili ratione sanxerunt, ad illam liberandam sufficere, & non minus contra illam, quam contra judicia humana tutos reddere.

XXIV. Decimum civitati competens est, in dicendo modum exercitio eorum, quæ naturale jus dicitur. Simplex hoc est, multumque circa ejus exercitium.

Nam conscientia relicta, inde non adeo certum, praesertim ubi inter homines ex eo jus dicendum est. Expedi ideo illud habere modum, eumque certum, qui pro fine juris atque norma fit. Melius iste praescribitur à civitate, quam à singulis, ideo ut quid hi servare & quousque progredi possint sciatur, hoc ab ista praescribi utile est: Quod sit eorum, quae indefinitae praeccepta vel verita sunt, determinatione, juxta rationem, quae istis inest. Per naturae jus parentibus & liberis incumbit, non tantum dum vivunt, invicem benefacere, sed & post mortem ex bonis quaedam relinquere. Quid quantumque id esse debeat, natura non definit, nec ratio naturalis certitudinem ejus facere potest. Lege autem civili modus dicitur, legitimam constituendo ei que certam hereditatis partem, olim quartam, postea trientem assignando: Ita res juris naturalis est, qualitas & quantitas civilis. Similiter parentibus & liberis integrum, per naturae jus, ob injurias ex heredationem facere, adeoque & legitimam utut jure naturali ortam addere. Civilis autem injuriae qualitatem & modum definit, non ex omni sed certis tantum iisque expressis causis admittit. Per jus naturale rei vel juris sui per tantum temporis; unde voluntas non amplius habendi concluditur, derelictio, aut alterius in re sua juris cum sua patientia usus, alteri acquirendi facultas est, unde gentium consensus praescriptiones induxit. At quantum ad hoc tempus requiratur, per istud sine regula civili lege ad certitudinem redigitur. Unde diversus praescribendi modus, & pro ut pro personarum vel rerum conditione, ex tempore vel breviori vel longiore, derelinquendi animus praesumitur, sic super eo certum quid statuitur; quo certitudini serviens remedium, & ex seipso non sit incertum. Naturae lex est, solve quod debes, & per eandem.

dem omnis ejus mora improba. At quia nec possibile, semper parata habere præstanda, nec judicio congruum, in bona reorum statim pro executione irruere, humanitatis ergo debitoribus spacium quoddam legibus indulgetur, & executioni modus præscribitur. Similiter naturali jure proprietatis suæ usus cuique liber, & donandi licentia est. Lex vero hanc non finit indefinitam, sed modum ponit. Præsertim civitas determinatione utitur, in assignatione & definitione circumstantiarum, puta temporis, loci, personarum, modi, intra quas jus naturæ exercendum, de quibus si nihil DEUS aut natura ipsa constituerunt, arbitrio Imperii relictum est moderamen liberum, quatenus nihil admittitur isti juri vel rationi naturali contrarium. Commune id legibus naturalibus affirmativis atque negativis. Et si enim his vetita semper omittere oporteat, tamen & per circumstantias fieri potest, ut majus vel minus in iis locum habeat, imo & non turpiter fiat. Istius arbitrii sunt pleræque civiles leges, quæ civitati naturalia jura attemperant, pro circumstantiarum qualitate: Multum istud facit, ad juris certitudinem, & litium amputationem. Quæ omnia, quæ juris libertatisque naturalis sunt, inundabit hominum malitia & cupiditas, si non modum istum acceperit. Quem civitate nemo commodius constantiusque dicere potuit.

XXV. Undecimum civitatis circa jus naturale est in ejusdem applicatione, quæ duplex: Altera juris ad materiam; Altera materiæ ad jus. Illa jus in & de alio rerum statu conditum porrigit, ad ea, quæ per civitates placuerunt & introducta sunt, ideo ab origine civilia inventa, sed deinde per jus naturale circumdata, & in illud velut insita & implantata; unde quomodo stirps ex insitione alia arbor fit, sic & illa alia ab i-

pſo jure fiunt, tamen ejuſdem juris & ex eodem eſſentiam & regulam accipiunt. Jus naturæ rebus omnium hominum generi communibus redditis eam legem dixit, ut omnibus uti fas, alicui uſum eripere nefas eſſet. Deſiit per proprietates communio, & cum ipſa lex illa intra hujus terminos. At quando poſt iſtas civitatibus viſum, quomodo antea uſum, ſic deinde poſſeſſionem ſingulis formare; per has ad iſtas jus naturale, illud, etſi iis minime conditum fuit, ita traductum, ut nemini ſuum invito ſine ſuo facto auferretur. Furti inde alia ſpecies: Quod prius erat in privatione uſus communis injuſta, hoc poſtea in contrectatione rei alteri propriæ doſa. Ut vero fuit arbitrarium, dominiis modum, & effectum dicere, ſic etiam jus illud applicare. Ingeneravit natura erga parentes, ex quibus ortus, amorem, reverentiam, ſubjectionis & obſeqvii neceſſitudinem. Poſtquam diſciplina domeſtica non ſuffecit hominum regimini, ſed in civitates coitum, imperium civile conſtitutum, parentum & liberorum vicem iſtæ in imperantes & ſubditos, & quod inter illos jus naturale fuit, in hos tranſtulerunt, ut eadem invicem deberentur, ex quo proſectum, ut Theologorum judicio de parentibus & liberis decalogo comprehenſa, de imperantibus & ſubditis, dominis & ſervis intelligantur & explicentur. Et duxit illuc etiam gentiles ratio, ut eâ ſimilitudine, ad convincenda horum officia, frequenter appoſitèque urantur. Hominis conditi ut ſocialis, ſociale jus natura facit, ſed ſine diſtinctione, quâ omnem, ideo ei quæ quæ generis humani univerſalis eſt ſocietati aptum. Poſtea quæ vero ultra hanc in ſpeciales itum in civitatibus, corporibus, collegiis, tribubus, & his illud additum, & inde velut naturale factum eſt. Ex quo fit, ut licet ad ea materia, cui ab origine natura jus applicuit,

placuit, post mutationem personarum rerumque status ista & plura fiunt alia, tamen ex applicatione eorum jus illud naturale sit, & non secus, atque si ab initio per naturam inditum dictumque esset, proprium fiat, ita voluntarium gentium pactum & civilis constitutio in translatione juris ad sua, tanquam si essent ejusdem, ostendit, quid circa illud valeat. Ille effectus vagatur & dominatur per omnes istas & similes materias, quod non secus ac quæ ab ipsa natura sunt, per illam conformationem, jure naturali censentur, & normantur, præterquam in iis, quæ civitas speciatim pro sua potestate detraxit, vel superaddidit. Unde oritur, quod civitatum inventa ideo ex suo primordio juris civilis per JCos naturali juri tribuantur. Consequens jam scriptis vis argumentorum naturalium, quibus circa ista utimur.

XXVI. Viceversa altera applicationis species, quæ est materiæ ad jus, imperialis actus est, spectans ad eos, qui in unaquaque civitate sunt cum imperio. Naturalia quidem præcepta sunt certa, at non in li- quido semper, quomodo in singulis materiis exercenda. Et harum quædam sic se habent, ut exercere difficile, aut societati valde incommodum sæpius fiat. Variant quoque hæc & mutantur. Non omni in loco, nec omni tempore congruunt, & eodem tenore constant. Cum tamen in iis non tantum conveniat, ut nihil legum naturalium violetur, sed etiam ut aptè dextroque observentur, utique ea res singulari providentia atque definitione eget. Quæ aliter fieri nequit, quam legis civilis constitutione. Quæ idcirco in tali applicatione frequens & sollicita est in omni republ. Duobus autem modis ista fit, tum definiendo, quid sit in rebus & factis juris naturæ, in iis hoc velut declarando: tum civilibus inventis ad exemplum naturali-

turalium formatis, quæ illius sunt addendo. **Prior**,
 modus est quædam velut definitio aut formatio exem-
 pli ad regulam, juxta personarum vel rerum condi-
 tionem, quam in unaquaque civitate habere debent.
 Ex exemplis tibi hæc perspicua erunt; Perpetua & u-
 niversalis naturæ lex stat, de tribuendo cuique suum,
 nec auferendo, quod alicujus semel redditum est. At
 quando infinitæ per civitates diversitatis est, quid cu-
 jusque haberi debeat, & quidem sic haberi, ut invi-
 olabilis naturalis decreti certitudo singulis con-
 stet, utique alia lege opus est, per quam illud de-
 finiatur, eaque juri naturæ applicetur. Ex quo demum
 apparet, quatenus earum rerum, quæ sub societate
 continentur, singula fiant, unicuique securæ, & evenit,
 quod alibi alia sint cujusquam, atque alibi perinde non
 sint, idemque tamen jus naturæ ubique sit, sed diversi-
 mode pro qualitate materiæ exerceatur. Ex mate-
 ria juris, non ex jure id proficiscitur. Sic jus est, de
 suo cuique relinquendo. Quid cuique suum esse de-
 beat, quid alteri in alienis, lex civilis statuit, ideo
 prout hoc definit, sic illud applicat, inde quod alibi
 furtum, alicubi, furti crimine vacat, quia dominio-
 rum jus eiusque applicatio est, sub potestate Imperii.
 Exemplum suggerunt Tartari, inter quos furtum non
 est, cum auferatur alteri, quo quis opus habet. Si de
 eo in iudicium itur, non alia fit pronuntiatio, quam,
 quia opus submissi, retine, sed alteri pro necessitate ite-
 rum jus est. Nihil in eo naturali juri repugnat, sed
 ei tantum non applicatur illa species, quia à jure do-
 minii voluntate gentis fuit excepta. Similiter circa
 præceptum naturale, de non inferenda vi, vel injuria,
 quod perpetuam regulam facit, quæ applicationem
 legis est exponere, in quo vis vel injuria fieri in hunc
 accommodata, quod illius existit, sed non eadem
 modo

modo, verum ut Imperantibus visum, quibus integrum pro conditione atque usu societatis civilis, in quo vis & injuria perpetratur, definire. Furti prohibitio ex lege naturæ est, nec unquam illud naturaliter fieri potest non injustum. At multifariam accidit, ut quia dominia formare atque firmare est legis civilis, atque imperio de iis multum arbitrii relictum, in aliquibus furtum non fiat, ideo naturalis legis vinculum relaxatur. Quomodo apud Lacedæmonios juventuti quædam clam furandi licentia erat, improbitatem furti in ista specie tollens: perperam de istorum lege disputatur ex naturalis juris regula. Nihil ex hac mutatur, tantum ut dominium isti non obsit, lex civilis definiuit, ut facere potuit, dum de eo statuere, & modum dicere licuit. Similiter est de fide servanda lex naturæ perpetua & universalis, at quia exinde oritur, quod ex promissis vel pactis alteri jus nascitur, in jura autem singulorum civili imperio potestas competit, utique per hanc illi fas constituere, ut aliquibus fides non servetur, non tollendo istam legem, sed non applicando materiam legi, cum jus aliquod acquiri per rationem probabilem non sinit, quomodo ex civitatum constitutionibus oritur, ut aliquibus impune fides non præstetur. Damnat jus naturæ homicidia, adulteria, stupra, injurias, & alia multa crimina, sed non perinde constituit, in quibus ista committuntur. Ideo per applicationis modum Imperio superest facultas definiendi, ideo materiam statuendi, in qua ista scelera committuntur. Proficiscitur ea potestas applicationis circa jus naturale ex potestate in materiam, quæ ubi & quatenus subest imperio, ita potest formari, ut vel subsit, vel excipiatur à lege naturali, dummodo tamen sub potestate in materiam nihil ex eo, quod aut ad honestatem naturalem, aut ad finem societatis

etatis pertinet, intervertatur. Nam & his illa astringitur, sicut & imperium inde habet regulam. Quare absoluta non est, nec indiscrete accipienda vel exercenda, sed quatenus honeste atque societati juxta ipsas leges naturales congrue fieri poterit. De quo imperantibus statuendi arbitrium conceditur. Quibus tamen cavendum est, ut in tali materia, quæ juri applicatur, determinatione, lege civili moribusque nihil fiat, aut permittatur, quod aut divinis legibus repugnet, aut intentioni & fini legis naturæ sit contrarium. Exemplum cape ex lege Lacedæmoniorum, ut seni invalido juvenem robustum, pro domus suæ per sobolem conservatione, imprægnandæ uxori, sine adulterii crimine, substituere liceret. Egredi sunt potestatem suam, quam in divina & humana sic intulerunt, ut violarent. DEI quippe positiva non modo, sed naturalis lex concubitus cum muliere alteri junctæ, non propter jus mariti, sed propter honestatem, damnat, ideo & permissionem mariti turpem fecit. Posterior applicandi modus evenit in iis, quæ civitates de novo inveniunt, & in usum deducunt, in quibus quæ juris naturalis sunt valere volunt. Nihil frequentius est, quam in civitatibus novos acquirendi modos formari, & in usum venire. Et si vero in iis juris naturalis nihil est, tamen hoc deinde per applicationem civilem assumunt, ejusque regulas sequuntur, eundem effectum sortiuntur, quatenus legibus civilibus minus aut alias peculiare quid ipsa non est additum. Ita dominium, seu naturali acquirèdi modo, seu mere civili partum, eodem jure pollet, eadem firmitate quæritur & habetur, nec magis hoc etiam à summo Principe, quam illud auferri potest. Et si enim modus accipiendi jus civile, ut suum formavit, acceptum tamè juri naturali subdidit, quod eadem naturalis in hoc ratio, ut nemini sine suo fa-

cto

Et suum auferatur: Ita facere imperii est, cui dispensatio juris naturalis à societate submittitur, idcirco in arbitrio imperantium, quatenus circa ista ob similem rationem naturæ jus simplex servatum velint, cui præter hoc & alia constituere integrum, dummodo naturalibus præceptis atque interdictis inviolabilibus nihil fiat contrarium. Idem circa contractus evenit, qui non omnes ex jure naturali sunt; plerosque jus gentium secundarium, aliquos etiam civile reperit, ut Emphyteuticum, donationem propter nuptias, stipulationem, literarum obligationem &c. Sunt tamen ex his descendantium obligationum eadem, quæ naturalium, & non minor ex iis naturæ lege fides debetur, quam ex his, quod illorum ex applicatione imperiali jus naturale proprium redditum est. Circa liberationum modos non aliud servatur, si quos civitates seu communi seu speciali lege constituerunt alios præternaturales. Nec tantum à civilibus isti obligationibus liberant, sed æquè à naturalibus, quia perinde à fide omnium communi vinculo absolvunt, quod in acceptilatione ab omnibus conceditur. Præscriptioni perperam à quibusdam denegatur, non capientibus, quid in hoc valeat, tum civitatum circa sua inventa, & in applicatione juris naturalis potestas, tum communis ratio etiam isti acquirendi & liberandi modo conveniens, nunc etiam per leges applicata.

XXVII. Est, duodecimo, civilium etiam circa jus naturale operationum, quod civitas communis utilitatis, aut pro alio rerum statu æquitatis causa, ubi jus mutare nequit, ei materiam subtrahit, & potius pro nullis & non entibus aliqua habet, quam ut vel contra naturæ jus fiat, vel iniqua & inutilia eveniant. Quod non fieri potest in jus, locum habet in materia,

quæ

quæ sub potestate imperii est. Supereminens Reipub. dominium jus in personas & acta confert, per quod de iis statuere & inducere licet, quod societati congruum, etsi naturæ & juri aliud sit congruum. Non hoc mutando, sed illa pro suo arbitrio æquitati aptando. Duplici hoc facit modo, tum faciendo, ut non sit, quod est; tum quod non est, ut uti supponendo. Ad illud jus civile utitur, Annulatione actuum; ad hoc, Fictione non factorum. Annulat Jurisprudentia multos actus, per naturale jus alias obligatorias efficiens, ut sua vi nulli redditi obligationem parere non possint, vel agentibus potestatem agendi demendo, quomodo civiles leges, servorum, filiorum-familias, uxorum, subditorum factis vim obligandi detrahunt; vel facta cassando; ut quæ contra leges civiles aut utilitatem Reipubl. fiunt, etsi naturaliter non inepta pro nullis sunt & pro paribus habentur, vel plane non fieri vel illegitimè. Fictio est alterius rei suppositio, quo pro utilitate hominum fiat, aut sustineatur, alias juxta veritatem non obtinendum. Ex quo regula juris civilis, fictionem in casu ficto operari, quod veritas operatur in vero. Ex ea adoptio filiationem confert, naturam imitans, sed à natura aliena, quæ nescit de aliis liberis, quam quorum ortus ex parentibus est naturalis. Per eam legitimatio retrahitur, ut à momento nativitatis legitimi, tanquam sic nati habeantur, & vitium nativitatis purgetur, ac si nunquam ortum.

XXVIII. Decimo tertio, Beneficia lex civilis indulget, etiam contra naturale jus, ubi ejus usus in rigorem, vel ad iniqua devertit. Etsi hoc ipsa æquitas, & summa justitia est, quam DEUS ipse naturæ insinuavit, tamen in applicatione, inter diversa & varia hominum, etiam per naturæ pro-

proprietates differentium, potest accidere iniquitas, cui à Civitate, per temperamentum usus istius juris, constare debet remedium. Minores, ex quo intelligere incipiunt, per acta & pacta sua jure naturali sine respectu damni vel lucri naturaliter obligantur; at necum læduntur teneantur, aut ut in integrum restituantur, jus civile beneficium dedit, secutum naturalem rationem, & ex hoc naturale jus in iis mitigans, *uti exponit Ulpianus in l. 1. ff. de Minorib.* Per jus naturæ à fidei servandæ necessitate non est excepta mulierum pro aliis intercessio: Beneficio autem SCti Vellejani iis exceptio ad elidendum actionem indulta est per jus civile, non tamen sine ratione naturali, quæ permittit temperare in his istius rigorem. Non dissimile exemplum in SCto Macedoniano, per quod odio fœneratorum filiis familias & parentibus contra credita concessa est exceptio. Naturæ jus ex promissis, pactis, creditis omnibus injecit necessarium implendi vinculum, ita ut nihil in homine ejusque bonis, domo, viribus, corpore esse debeat, quod non pro fide liberanda sit impendendum. At quam multa beneficia moratoria & moderatoria debitoribus contra hunc rigorem civilibus legibus indulta exhibet jurisprudentia? Hæc & alia multa similia indicant, tum quomodo naturalium ex simplicitate sua indiscretus usus sit ab æquitate alienus; tum quam sit justa & necessaria imperii ad tale moderamen potestas: Ex qua privilegia & exemptiones à jure naturali indulgere nefas non est, ubi causa non improba, multo magis si pia & justa subest. Admittit enim & illud gratiam atque veniam. Haud tamen ultra justè, quam quatenus ex ratione probabili exercetur. Quæ sine non temperamentum juris, sed mere arbitraria derogatio est, imperii vim excedens. Nec

Aa

enim,

enim temerè, contra naturalem legem, decet beneficia, indulgere, nedum per hæc ipsum jus abrogare.

XXIX. Ex ea potestate, quæ circa jus naturale civitatū est, & inde orta dispositione, applicatione & dispensatione ejusdē inter materias, de quibus jus statui debet, quam hæctenus vidimus, recte dignoscitur, ut opinor, diversa juris circa eandē rem facies; quæ sæpius implicat animos, & in eam opinionem adducit, non modo à jure discedi, sed contra jus agi. Quod non omnibus, quæ ex naturali & civili jure alia sunt, aut videntur, conciliandi dexteritas evenit, sua imperitia, non rei qualitate accidit. Recte considerantibus tum juris conditionem, tum civitatum necessitatem, tum pro hac imperii potestatem obvium est, quam nihil in iis sit contrarium, aut injustum, sed circa justa naturalibus sua essentia, autoritas & virtus in omnibus integra, tantum non omnia eorum æque capacia, ideo usus aliter aliquo illorum modorum, de quibus sub hoc capite explicatio continetur, formandus fuerit. Pro illustratione liceat rudi similitudine simpliciores ad intellectum meliorem deducere. Quemadmodum ligna, lapides, tegulæ, cæmenta, ædium construendarum materia, antequam iis junguntur, applicantur, aptantur, aliam longe faciem habent atque juncta, multum ex iis in aliam formam & imaginem transit, haud tamen aut tolluntur, desinunt, aut in aliam speciem mutantur; Ita simplicia naturæ jussa & dictata cum in compagem civitatum deducuntur, ut in istis justitiam pacemque componant, pro istarum conditione, necessitate & usu vario ad finem istum alia facie foras apparent, sunt tamen eadem, nullatenus immutata, tantum illis pro conditione sua, & cum civitatis tum singulorum recto usu addita & indita. Sunt interiora juris naturalis in exterioribus civitatum, quæ

quæ faciunt & sustinent, tantum aliter in iis construuntur.

XXX. Quæ civitates singulæ circa & præter jus naturale possunt, declarant, quod à Gajo scriptum in *l. 9. ff. de Justit. & Jur.* & ab eo mutuatur Imp. Justinianus § 2. *Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil. Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur.* Non manet in iis commune jus gentium primævum vel secundarium ita simplex & merum, ut ab origine sua hominibus seu à DEO & natura, seu populorum conventionem positum, ut ab eo civile penitus sit distinctum, atque singula in tabulis & speciebus discernuntur, sed fit omnium mixtura variè per eos, quos hæcenus iustravimus modos. Additur vel demitur communi juri multum per civile, & multum civili inest ex naturali, atque fit quod ab JCTo in *l. 7. ff. de Just. & Jur. de Civili Jure traditur, quod non in totum à jure gentium recedit, neq; in totum ei servit.* Manet sub illa conjunctione jus gentium, & fit quoque cum eadem jus civile. Quod per omne jus Romanorum, ut Imp. Justinianus congregavit, scrutanti apparebit. In quo nihil non ferè est, quod non naturali juri superstruitur & ei immergitur, licet ii suæ civitatis proprium voluerunt. Nec tamen ejus id singulare, sed in unaquaque civitate, quæ legibus moribusque suis utitur, sic fit. Quas DEUS per Moysen Hebræo populo tulit, idem habent & ostendunt. Solus Decalogus puram naturæ legem exhibet. Cæteræ, quæ moribus, ceremoniis & judiciis præscriptæ, multa & ex natura & pro peculiari gentis jure continent, & viscent. Quando autem, quæ ex jure gentium vel civili oriuntur atque constant, multum discriminis habent, & tam ad juris naturalis effectus pertinet, quomodo per civile

vile formantur, corroborantur, applicantur, juvantur, disponuntur, quàm ad civilis rationem & æquiritatem, quatenus iis ex naturali quidquam inest, ita utili studio ista in singulis posse reperire & discernere elaborabitur. Quæ legum interpretatio solida, atque optima foret. Cui industria potius tribuenda esset, quam quævis hodiè legale studium occupatur. Difficile vero est, nec cuivis obvium. Latet sub mixtura, quod cuiusque juris est, & etsi idem, tamen aliam inde assumens speciem erroris occasio incuriosis. Etiam Jcti per suas commendationes sæpè obscurius reddunt & confundunt, ut velut ex profundo puteo eruendum sit, & tamen extrahatur sæpius aliena ab essentia imagine, ut non facilius sit distinxisse, quam Ancile è cælo delapsum, à cæteris Murruri artificio tam similibus redditus discerni potuit. Archimedis ingenio & arti similem solertiam ea res poscit, qui in corona, quam Diis votendam ex puro auro conficiendum Hiero locaverat, cum argenti plurimum admistum esset, ipse ponderum, magnitudinum & proportionum scientissimus reperit, quantum ex leviori metallo accessisset, Haud tamen repertu impossibile. Assequetur, cui hæc duo prius erant cognita & certa: Quid circa eam, quam continet materiam, sit naturæ vel civitatis, & quæ ratio legis conditæ. Quo utroque elucebit, quid in ea naturam, quid civitatis usum concernat, cui consequens, quantum ex utroque permixtum, quid prævalet. Exemplo hoc tibi ob oculos ponam, & quidem tali, quod sub variis opinionibus controversum, an & quid sit juris naturalis. Sic de patria potestate ex jure Romano disputatur. Hoc certum, ut sub illa sint liberi ex natura proficisci, ideo legis naturalis esse: At quando non in domo tantum, sed in civitate vita parentum atque libero-

liberorum agitur, hujus causa decessit, & accessit Romæ, quod per naturam istius est, vel non est. Ex hac non est tanta in prolem potestas, ut vitam, corpus, bonâ adimere liceret: At Romana civitas olim jus vitæ & necis, ut & licentiam vendendi concessit. Quâ ratione? nempe civili, quod rigorem domesticæ disciplinæ magnum reipubl. adjumentum putaret, tantoque minus imperio castigandum, quam iste ab improbis liberos contineret. Hoc igitur ei, quod naturæ erat, superadditum, sed civile; quod & ideo non usurpari & mutari potuit. E contra natura parentibus omnem liberorum amorem & observantiam addicit, post DEum nulli per se devotam. At civitas supra omnes sui & singulorum gratia erecta ex ista demit, quod suum, nec tantum exceptit, quæ publici juris, sed etiam permittit, ut patrem reipubl. noxium non honorare, non alere, imo è medio tollere, contra eum reipubl. infestantem arma sumere liceret, sed sui causa ideo civili ratione, quæ tamen omnibus gentibus placuit. Sic illa formata, quæ origine naturalis, juris civilis dicitur, quæ tamen talis verè non est, sed tantum per civile jus quædam alia assumit vel ex istis amittit, de cætero integra sunt omnia ejusdem, quæ aliter non composita. Materia & ratio index est, quid alterutrius juris sit. Sic de similibus judices & procedas, scrutando rei originem, considerando quid additum vel demptum, & an ratione naturali, an civili.

XXXI. Ea, quæ civitas circa jura naturalia usurpat, pepererunt distinctionem juris in internum & externum, quâ Theologi, Jcti & Philosophi ad explicandum juris usum utuntur, ex iisdem rectè intelligendam. Species illæ minimè sunt oppositæ; alias sequeretur, jus naturale per civitates fieri, aut non jus,

aut aliud, quod tam absurdum,quam asserere jus juri contrarium esse, & quod externè justum,internè injustum esse, imo in civitate jus contra jus naturale constitui; Subalternæ tantum sunt, & ita comparatæ, ut simul consistent. Internum est simplex naturæ dictamen, quod intus hominem ad honesta & socialia informat & ducit: Externum est, quod foràs extramentem inter populos,in civitates, curias, forum inducitur, prout civilis societatis ratio & hominum conditio admittit. Quomodo,quæ singulorum hominum sunt, ab universitate differunt, nec quæ iis congrua cœtui peræque conveniunt, sed illa aliter ab iis extra hunc servanda sunt, aliter in hoc,ita se habet utriusque juris discrimen. Ex quo hæc recte dicuntur: Esse interno naturæ jure præceptum, quod per externum jus sine coercitione relictum: Esse ex illo justum, quod in societate hominum servari non possit, ideo per hoc aliter temperandum: Esse illo interdictum, ex hoc impune esse improbum ex illo, non improbatum per hoc: deberi ex illo, sed debitum per hoc coactiva vi destitui. Talia & similia sequuntur ex illo discrimine: At minimè, per externum tolli aut desinere, aut aliud fieri internum, nedum esse inter se contraria.

XXXII. Exsurgit super isto discrimine sæpius dubitatio, anne quæ juris externi facimus, salva conscientia & illæso pudore fieri atque consistere queunt? Quod iis non visum, qui distinctione utuntur, quam veteres Scholastici, circa ea, quæ aliter ex juris disciplina cum suis principiis atque regulis conciliare nesciverunt, adhibent, & in scriptis Juris hodiè non infreqvens est,inter *forum poli* & *forum soli*: asserentes, quædam aliter in isto,quam in hoc se habere, & per civitates constituta in hoc observanda, sed in illo

illo cautius agendum esse; in hoc quædam iusta, quæ in illo damnentur. Verum & imperitè & absurde in eo sensu ista usurpatur, cum quæstio de jure existit. Illud, quia quod juris externi dicimus, divino juri seu naturali, seu positivo contrarium sentiunt, in quo, ut superiora docent, graviter errant: Hoc quia ab omni ratione alienum est, jus aliquod statui seu iustum dici, quod à natura abhorret, in cælo damnatur, non nisi cum saucia conscientia in terris servatur. Sentiendum est & piè & justè, aut quod pio jure civitas habet, in polo non damnari, aut illud pro jure non habendum. Quî enim jus diceret, quod ad tempus quidem in terra te impunem sineret, at æternum in gehennam detruderet? Non tantum Christianum non est, sed nec humanum, ut quod ullo modo damnabile juris speciem facias. Non minus absurdum est, injuriam impunem jus dicere, quam quod DEus & conscientia reprobant, inter iusta referre. Potest quidem ista distinctio usurpari, ubi quod naturaliter injustum Civitas vel tolerat, vel in leges suas deducit: At minimè ita, ut jus faciat, quod in solo tantum, non in cælo jus sit. Liberabit à pœna quidem forensi tolerantia seu constitutio, sed jus non erit, nec faciet. Manebit impietas vel injustitia. Qui de jure ut tali disceptat, ille ideo non dicet, jus externum esse, quod injustum, sed pravos mores & imperii improbum excessum. Sic rectè dicimus, in foro soli quædam impunia & licita sini, quæ in foro poli accusantur & damnantur. At non rectè, jus quoddam esse posse in illo, quod in hoc damnabile: Turpius, in illo posse servari vel fieri, quod in hoc sit detestabile, ideo nec salva conscientia, nec apud DEum sine castigatione faciendum, Externum jus aut oportet non esse tale, aut ita comparatum, ut illasam conscientiam &

propitium DEum & rationem rectam servare queat. Aliàs nomine isto privandum. Falsa est persuasio, quæ distinctionem istam peperit, quod aut in terris quid justum esse queat, quod DEO & conscientiæ adversum, aut jus externum esse improbum, & quomodo ob imperii vim metumque faciendum, ita propter DEum & conscientiam vitandum. Si quid manifeste tale imperans jubet, seu vetat, præceptum & interdictum facit, non jus, nec enim ita ipse statuere aut subditus obedire debet. De cætero, non quod legibus vel moribus civilibus alia specie jus conditur, vel quod Natura dicat, non eodem tenore servatur, ideo naturale jus violatur. In hoc per DEum & Naturam civitatibus earumque imperiis potestas conceditur, illud sic ad usum redigendi, quo societati, justitiæ, paci, pro ingeniorum & circumstantiarum diversitate serviat. Quod cum sit, nihil subest, quacunque imagine etiam appareat, quod DEum offendat, aut conscientiam vulneret, aut rectam rationem violet, quatenus non ad aliquid divinis & naturalibus legibus contrarium sine pia & justa ratione exorbitat. Contrarietas sola factum in cælo & corde damnat. Qualis in jure isto externo non est statuenda. Non abs re est, juris externi improba quædam per aliquos facta imperantium quovis prætextu palliare laborantes dici, sic tamen comparata, ut intus excusari non queant: At non quia illi ita volunt, talia sunt, nec magis spectamus illorum sententiam, quam imperantes injuriam suam jus facere queunt. Sed quæ Civitas aliquo prædictorum modorum ex ratione de naturali jure statuit, aut præter istud permittit, vel impune sinit, hoc nos externi juris dicimus. In quo etsi exteriore facie aliud, quam juris naturalis putatur, repræsentat, tamen multum ex ipso in se continet,

net, dum vel civilia inventa ei prudentia Politica applicat, vel ex iis æquitatem istorum derivat & confirmat. Quod ut exemplo clarius fiat, proponemus, in quo frequentissimè adhibetur fori poli & soli, seu interni & externi juris discriminatio. Hoc fit in præscriptionum materia. Istæ Civitatum inventa sunt, gentium juris reddita, ut plenius tractatus noster explicabit. Prima de iis quæstio esse solet, an insit eis Justitia? Damnantur à nonnullis, quasi contra naturæ jus sua invitis auferant, & ex aliena jactura locupletent. Qui tamen, cum videant ubiqve terrarum inter modos acqvirendi justos referri, pro iis jus dici, recurrunt ad præfatam distinctionem, & in foro soli justas esse concedunt, at in foro poli & conscientiæ effectum & excusationem demunt: si hoc ita se haberet, nemo non, in quo pietas atqve divini timoris aliquid & conscientiæ cura superest, è foro soli impium lucrum profligare posset. Quis justam diceret, quæ injustitiæ mercedem exitiosam sortietur? Inane & modici temporis foret solamen ex foro soli, cum metu perpetuæ æterni DEI iræ & vindictæ conjunctum; sed non opus est ad lubricam illam distinctionem recurrere considerantibus, quod licet externa specie præscriptiones aliquid à jure naturæ alienum continere videantur, tamen non modo nihil habeant, sed consentiente, imo dictante natura justæ sint, dum sequuntur negligentiam possessorum, & quam istarum derelictionis præsumptionem inducit, tum amissionis poenam meretur. Ex qua eis, penes quos jus formandi firmandiqve dominia fuit, non potuit non esse naturaliter æqua ratio statuendi, ut negligenter habitata post aliquod tempus alium dominum haberent, lites desinerent, dominia certa essent. Ubi ex his aliqui convicti in præscriptione nihil naturalis iniquitatis

ultra repererunt, attamen viderent in Civitatibus pro jure servari, etiam scientes, quod secum non suum, sed alienum esse, post longissimum tempus præscriptione juvari, malæ fidei aliquod lucrum fore foedissimum putantes; at contra jura publica disputare non audentes, in foro soli hoc pro jure ita siverunt, at à foro poli ut inexcusable separarunt. Sed simili errore. Quando enim circa jus externum non saltem præscribentis possessio sed negligentis desidia, derelictionis animus & meritum, & quid in & ob hæc æquissime civitatis imperium valeat, expenditur, non potest non præsertim longissimo intercedente tempore æquitas amissionis & jus acquisitionis etiam ex naturali jure defendi, quod si per alia non modo præscriptionum materiæ, sed etiam externi juris exempla transieris & singula accuratius examinabis, eveniet, ut non modo nihil in eis juri naturali contrarium, sed omnia potius congrua reperias, adeoque tandem, si adhuc dubitas, discas, quam ex sola non intimius diligentiusque ea considerantium in curia proficiscitur, ut externi juris quædam injuria, aut in foro poli nulla excusatio falso credatur.

XXXIII. Superest, ut videamus, an civitati ejusque Imperio etiam circa jus gentium secundarium, quid liceat? Discernendum, quod ejus inter diversos populos, Reges & Principes intercedit, & quod ex eo suæ cujusque civitati citra respectum ad alios applicandum erit: Quatenus juris istius cum aliis exteris est communicatio, & hujus aliquod illorum vinculo- rum, per quæ ad juris debitum populos invicem colligari supra vidimus, non superest magis facultas in præjudicium vel incommodum aliorum quidquam immutandi, vel aliter constituendi, quam uni parti paciscentium liberum, invitâ alterâ à communione
con-

conventa recedere. Valet istud jus inter gentes tacita quadam conventionē, ad quam necessitas illas induxit, usus allicit. Unde nec ei renunciare cuiquam ultra licitum, quam id sui merum est beneficium, quo uti nolit. Renunciāns sine aliorum complacito nihilominus tenetur alii genti vel principi, imo omnibus, quæis cum juris necessitudo existit, ad omnia isti congrua. Non est in eo dissimilis ratio populorum inter se, quam singulorum, qui invicem contractuum ac pactorum mutuo nexu devinciuntur. Quæis inhærens constringendi necessitas non sinit alteri sine altero contrarium arbitrium. Non esset verè jus gentium, si hoc superesset, quod omnem ejus rationem faceret inanem & illusoriam. Hoc ne fiat, omnium gentium multopere interest, quarum incolumitas & quies necessitate observantiæ nititur. De qua omnium populorum communem sensum ostendit ad jus gentium, tanquam ad anchoram decursus & provocatio. At ut ex his, quæ istius juris sunt, quælibet civitas in suo cœtu quidquam sibi applicat & suum peculiare fecit, quomodo quamplurima ejus in civiles leges atque mores transeunt, ita subest civitatis atque imperii potestati, qua suos itaque cives isti licet, ut placet applicare, moderari, relaxare, mutare, imo abrogare & in aliam formam transferre. Est enim jus illud secundarium positivum tantum, & velut civile multarum simul & singularum civitatum jus. Mutabile itaque, quatenus expressum tacitumque pactum, mutationis arbitrio non resistit. Ut à pactis, sic & à gentium isto jure ex mutuo consensu disceditur, per quem civitas civitati illud remittere, renunciare, & aliter mutuo pacisci potest. At in unaquaque civitate per populum vel regem vi imperii seu potestate leges condendi, & tollendi, aut consuetudine velut
multa

tacito pacto fit mutatio. Romana Respubl. hujus multa habuit, quorum in Jus Justinianum aliqua relata reperimus, quæ inter suos aliter constituit, & cum exteris aliter servavit: ut te informabunt, quæ de postliminio inter Romanos fiebant in leges redacta, alibi aliter servata, nec non etiam alia quædam castrensis illorum disciplinæ, ut illa in Jurisprudentiâ nostra dilucidius exponentur, & faciunt, ad corrigendum errorem, omnia Romanorum indiscriminatim ad juris gentium dictamen referentium, qui tamen aliqua aliter inter suos, aliter cum aliis ex gentium jure observarunt. Non mireris ejusdem juris diversitatem seu contrarium usum, nec istius iniquitatem arguas. Cum aliis ita observare necesse fuit, quomodo usus populorum tacita velut conventio invicem obstrinxit: In subjectos mutare, & uti suæ civitati aptius commodiusque statuere licuit.

* * * * *

I N S P E C T I O VII.

De eo, quod justum est.

- I. *Juris & justii quæ differentia.*
- II. *Justum in rebus & factis reperire difficile & ambiguum.*
- III. *Unde hac difficultas oriatur, ex variis causis exponitur.*
- IV. *In questione de justo, non tantum lex, sed materia applicabilis consideranda, & quomodo.*
- V. *Justi & injusti nominum diversa significationes.*
- VI. *Justum pro solenni acceptum, quatenus ad justitiam actuum pertinet & facit.*
- VII. *Justum proprie quod, & unde censetur.*

VIII. Con-

- VIII. *Convenientia cum jure alia perfecta, alia imperfecta.*
- IX. *Imperfecte justum inter homines pro justo est, connivente DEO per gratiam & quomodo.*
- X. *Justum reductivè quod & ex qua causa.*
- XI. *Justum ita dictum an idem cum licito.*
- XII. *Ex libertate naturali justum est quod non vitium.*
- XIII. *Quod ejus habendum ideo non injuste fit.*
- XIV. *Mutatio ejus justici rationem mutat.*
- XV. *Ex relaxatione juris justum quid sit, & quibus modis.*
- XVI. *Referuntur ejus cause, è quibus prima, humana infirmitas, juri non par.*
- XVII. *Secunda, Necesitas.*
- XVIII. *Tertia, Civilium societatum ratio.*
- XIX. *Quarta, Utilitas hominum.*
- XX. *Quinta, Lex civitatum.*
- XXI. *Sexta, Humanarum rerum Conditio.*
- XXII. *Septima, Negociorum ratio.*
- XXIII. *Octava, Animus operantis.*
- XXIV. *Nona, aqvitatis.*
- XXV. *Decima, Meritum patientis.*
- XXVI. *Undecima, Majoris mali devitatio.*
- XXVII. *Duodecima, Voluntas injusta patientium.*
- XXVIII. *Injustum juris effectum ex lege vel moribus capiens justum quomodo habeatur.*
- XXIX. *Idem pro diverso significato justum & injustum dicitur.*
- XXX. *Contraria partes quomodo utrinq; justam causam in eadem lite seu armata seu farenst habere queant?*

I.



Ro coronide præliminii, ut quædam *de justo, justitia, jurisprudentia* addamus, superest. Justum à jure aliquo modo differt. Jus est in regula; At justum est in Personis, rebus, actionibus, quarum omnia juxta istam formanda, facienda vel omittenda sunt. Jus quæritur in lege, per quam illud constituitur, & in facultate, quæ ex lege oritur; justum in rebus & factis, quomodo juri congruunt, ut id nomen obtineant. Differentia horum est, quæ inter regulam & quod ex ea probatur vel improbat. Est forma justum in jure; materia in rebus & factis. Quæ utraqve juncta juxta juris regulam operantur in his justum, cum isti congruunt, ubi discrepant, injustum.

II. Facilius longè est jus definire, quod in regula, quam justum vel injustum, quod in rebus & factis. Si Philosopho hoc profundum, discerneret jus in abstracto & concreto. Hoc est illud justum de quo nostra hic inspectio. Vere Andronicus Rhodius 1. Nicom. 3. τὸ κατ' ἀληθείαν δίκαιον δυσχερὲς ἐστὶ τῷ δοκῶντι διελεῖν. *Difficile est id, quod vere justum ab eo, quod male videtur discernere.* Idem quod Neratius ait in l. 2. ff. de Jur. & fact. ignor. Jus finitum & potest esse & debet, facti interpretatio plerumq; etiam prudentissimos fallit. Aristoteles 3. Nicomach. Quid cui anteponendum sit, difficilis sæpe est judicatio. Non frustra quæritur Jctus Paulus in l. 91. §. 3. ff. de verb. obligat. In quæstione de aqvo & bono plerumq; sub autoritate juris scientie perniciose errari.

III. Sed unde hæc dignoscendi difficultas? Ex rebus nempe & factis, eorumque infinita varietate. Adquam juris utut manifesti atque certissimi applicatio

catio non potest non esse difficillima. Nam primo ista nunquam sunt eadem; & fallunt, qui scribunt, nihil sub sole novi. Natura quotidie etiam novas deproperat edere formas; Plures ars & ingenium hominum atq; necessitas vel eventus casuum. Deinde circumstantiarum, quarum vel minima jus variat, infinitus numerus est, & in facto etiam simili multifaria diversitas. Tertio moralium formæ non sunt nec manent ita simplices, ut rerum mere naturalium, sed in varias species se demergunt non modo non eadem imagine, sed nec eadem essentia & virtute, quia materias, quibus insunt, sequuntur. Id quod consideratum ab Aristotele i. *Nicomach.* i. scribente, quod certitudo in moralibus non eque ut in mathematicis disciplinis invenitur, ex eo fieri, quod hæc à materia formas separant, sed ista materiam potissimum respiciunt. Accedit quarto, quod naturalium formæ nihil habent interjectum, sed ut quæque condita, sic in eodem cardine manet, & inde non declinat, medium non admittit, quomodo inter rectum & curvum nullum est. At in moralibus & artificialibus intercedit medium, cum aliqua latitudine, in quo quod consistit ambiguitatem facit, quæ valeat sit: quæ exinde dissolvenda, quid puncto suo propius sit, quod perspectu non magis facile, quam in crepusculo, vel de aqua frigida calefcente, quamdiu tepida dici possit, sub illo dies an nox, hæc frigida an calida sit. Quare cum de naturali rerum forma qualitas exprimenda est, quod rectum sciri statim potest, quia quod non rectum statim apparet. At in moralibus non similiter, quia etsi quid ex lege rectum dicere possim, tamen quod in re vel facto non congruit, non statim possum injustum dicere. Nam est intermedium inter id, quod justum vel injustum, quod licitum dicimus. **Eo respicit Philosophorum illud, in naturalibus**
muta-

mutationem fieri εἰς τὸ ἀντιθέμενον, ut vel tale vel contrarium esse oporteat; in moralibus εἰς τὸ μεταξὺ, ut si non probum, tamen nec improbum esse queat. Ita ab Agathia lib. 3. scriptum: *Non quod in tabulis vos alia legitis, ideo factum nostrum damnare potestis. Latiores istis sunt juris atq; injuria rationes.*

IV. His expensis cognoscitur, quod in justo non spectatur tantum jus, sed etiam materiæ aptitudo ad jus, ideo convenientia vel disconvenientia cum jure. Simpliciter justus Index non est jus seu Lex, sed applicatione, ut ita loquar, juxta qualitatem & habilitatem vel inhabilitatem, capacitatem vel incapacitatem materiæ, ut quod in hac est ad legem congruit, vel legi contrariatur. Si hoc ita comparatum, ut vel ad legem non pertinet, seu sub ejus præcepto vel interdictione non continetur, vel salva lege contingere queat, nec inde justum vel injustum fit vel dicitur. Potest vel ex levissima circumstantia contingere, ut res vel factum juri non congruat, ideo & per eam factum in uno justum, in altero injustum esse. Eo intuitu Alfenus l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil. scribit, *jus in causa positum esse.* Marcianus l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. *Justum ex re constituendum.* Icti ita loquuntur: *Jus ex facto oriri: Minimam circumstantiam jus variare.* In legibus positivis facilius id deprehenditur, quarum verba adsunt, ex quibus primo congruentia materiæ cum iis dignoscitur, ubi illa dubia, ad rationem recurritur, & ut ea rei factove congruit, sic justum vel injustum discernitur. In naturalibus difficilior est aptitudinis æstimatio, quia pleraque in universum non pro certo personarum, rerum vel factorum statu jus posuere. Ratio naturalis circa ea mensura justus est, & prout illa rem factumve comprehendat, ita sibi apta faciet, ideo justa vel injusta dicit.

V. In

V. In illa autem quæstione de justo, ante omnia scire oportet, quid justum sit. Non enim in factis hoc scire aut definiri potest, nisi cognito prius, quid justii nomine veniat: Quod *πολύσημον* est. Quadruplici sensu apud Scriptores usurpatur. Primo significat, quod solennæ; Deinde, quod juri congruit; Tertio, quod ei non contrariatur, etsi etiam non congruit, seu quod non injustum est; Quarto, quod ex se injustum, juris tamen quosdam effectus habet. Addunt aliqui quintam significationem, nempe ut indigitat, merè licitum, quia impune. At nulla ratione illud, ut cætera, quorum jam meminimus, justii nomen assumere potest, in quo nihil justii est. Nam quia quod injustum in civitate non punitur, non ideo fit justum, ut mox videbimus. Nihil ejus impunis licentiæ ad tractatum de jurisprudentia aliter spectat, quam quatenus à licito justum in quæstionibus & materiis cautè discernere discendum. Juxta quatuor acceptiones jam dictas discriminamus justum, & applicamus iis, quæ de isto sunt, inspectionibus. Tanto diligentius autem sunt observandæ & discernendæ, quanto proclivius ex illarum confusione, aut non intellectu propria JCtorum & bonorum autorum mente, erratur.

VI. Justum, ut solenne significat, tribuitur rebus & actibus, qui formâ, legibus moribusve requisitâ rite perficiuntur. Ex hac autem sic fiunt justa, ut tamen extra formam, seu cum secus fiunt, nõ sint plane injusta. Nomen illud accipiunt ratione solennitatis superadditæ. Quæ non tollit ex re vel actu, quod sine se naturaliter justum, sed tantum efficit, ut effectibus, quos ex lege moribusve sua forma instructis tribuit, careant. Testamentum JCti justum dicunt, quod solenne, seu juxta civilis juris formam confectum, & nudæ voluntati

tati ultimæ opponitur. Quando civitas solennia requirit, inter cives ita compositum vult, ideo quod illis caret, eatenus non valet, ut in foro ex eo sit hæreditatis petitio vel retentio. At quæ ex quavis disponentis voluntate per jus naturale est transferendi potestas, ideo non aboletur aut injusta fit. Est ejus & aliqua vis tum in conscientia, tum & ubi seposito jure civili judicatur. Similiter Nuptiæ dicuntur justæ, ex iis uxor justa, ubi ducitur juxta solennia legum, & opponuntur concubinatui & concubinis, ut & contubernio servili, quæ carent istis solennibus. Non tamen ideo hæc injusta sunt. Per naturæ jus valent & obligant non solennes conjunctiones ad individuum vitæ societatem factæ. Bellum jure gentium solenne justum dicitur, quod geritur auctore utrinque, cujus summum est imperii jus, & incipitur ritibus, consensu communi receptis; opponitur aliis armatis actionibus. Inde vero non omnes sunt damnandæ hæc, ut injustæ & illicitæ, etsi nomen illud non convenit. Multis quippe modis fit, ut & aliis magistratibus, & in eos vel in privatos, aut etiam in Reges & populos superiorem non agnoscentes, & sine iis ritibus arma juste sumantur & exerceantur. In eo tantum diversitas est, quod peculiare quidam solennium effectus sunt, qui bellis publicis à gentibus tribuuntur, & bellum ex sola natura non sequuntur, ideo iis proprii sunt, cæteris non conveniunt. Quæ tamen non eo minus naturali justitia probantur, & huic congruos effectus habent. Sic hostes justos dicunt, quibus bellum publicè populus Romanus decrevit, vel ipsi Pop. Romano; & opponuntur piratis, latronibus, rebellibus. Haud eo minus in hos arma justa sunt. Tantum hi non gaudent iis, quæ per gentium jus etiam inter hostes servantur. Apparet hinc, quomodo

modo in quæstione de justo, ea acceptio, quæ solennitatem indicat, non ultra in considerationem veniat, quam quatenus illam vel mos gentium, vel lex civilis requirit. De cætero manet etiam in iis, quæ sic justa non sunt, justitiæ naturalis ratio. Cujus intuitu justa sunt, etsi ob defectum solennium injusta audiant.

VII. In secundo significato justum & injustum definitur ex convenientia vel disconvenientia cum jure, ut legem significat à DEO, Natura vel civitate conditam, quo sit justus index atque regula. Ut ex lege, quæ jus constituit præcipiendo vel prohibendo, vera & genuina est super personis, rebus, actionibus juris censura; ita in his uti unumquodque suæ regulæ exactius convenit, vel longius disconvenit, justum vel injustum dicitur. Ea cæteris magis propria est justus vel injustus significatio, utpote ad justitiam & injuriam propriè pertinens. Juxta illam Cicero *lib. 2. de legib.* leges dicit fontem justitiæ, ex quo hauriuntur justa, & cognoscuntur injusta. Eo spectat & declarat definitio Chryssippi, quam Imp. Justinianus inter suas leges relatam voluit, & reperitur *in l. 2. ff. de Legib.* *Lex est omnium divinarum & humanarum rerum regina. Operet autem eam esse præsidem & bonis & malis, & principem & ducem esse: & secundum hoc regulam esse justorum & injustorum, & eorum, quæ naturâ civilia sunt, animantium; præceptricem quidem faciendorum, prohibetricem autem non faciendorum.*

VIII. Convenientia cum jure vel est exacta seu perfecta, vel deficiens & imperfecta. Jus DEI & naturæ in se perfectum est, uti hanc proprietatem Regius Propheta divinis legibus, sub quibus & naturales complectitur, tribuit & celebrat *Psal. 19. v. 8.* *Lex Domini immaculata, hoc est, perfecta, sincera, integra.* At observantia juris, quæ est in conformatione

ad id personarum, rerum & actionum, non est æque perfecta. In multis deficit, & à jure, prout in regulam conditum fuit, recedit. Quo intuitu Propheta Esaias *cap. 64. v. 6.* universam justitiam hominum instar panni menstruatæ habere scribit, hoc est, in operatione justorum nihil esse integrum, immaculatum, sine sordibus & defectu: Est idcirco non in omnibus, imo raro, & in paucissimis justum, seu quod justitiæ legis sit, exactè conforme. Sequitur exinde, quod aliud sit perfectè seu plene justum, aliud imperfectè. Etsi vero quæ DEUM, qui perfecta omnia poscit, ut ad illa hominem ab initio condidit & aptavit, justum nomen vix obtinet, ἀθαρτώνως tamen, seu ad humanum modum eo nomine potitur.

IX. At non frustra quæres, utrumne quod imperfectè justum rectè justum dicimus? Quod à lege & jure seu deviat, seu non implet, nec ei congruam præstat, quæ justum sit, conciliari difficile. Videbitur nonnullis in adjecto contradictionem, quam Philosophi absurditatis speciem faciunt, esse quid justum, & tamen juri non exacte conveniens. Ut nos extricemus, discernenda hæc sunt: Primo quod legis & quod exercitii est, seu jus & usus juris: Deinde jus internum atque externum: Tertio quod debetur DEO & naturæ, juxta dictamen juris; & quod patitur conditio humana, secundum infirmitatem carnis, vitæque in mundo rationem. Hæc tria rectè considerata conciliabunt; hac in re ἐναρτιόφάνας. Frequens differre jus ab usu atque exercitio. Lex enim fertur de iis, quæ esse debent, & legislator spectat, quæ juxta rationem fieri oportet. Vult illuc omnium studiis & conatibus contendere, ponit scopum, quo omnes colliment & currant, etsi præscierit pauciores illuc deveniuros. Sic à DEO naturæ leges initio homini perfectè

fecte bono inditæ sunt, & cordi inscriptæ; postea pravo licet facto eadem pro regula relicta & iterum præscriptæ atqve inculcatæ, ut unde desciverat, scire & redire omni ope atqve studio eniteretur. Similia inter humanas constitutiones contingunt, ut redigantur ad *ἀκμὴν* justitiæ atqve utilitatis, non quia illuc pervenire semper possibile, sed ut illuc, quatenus potis est, contendere cordi curæqve sit. Quando autem quod humanarum virium metam perfectionis attingere nequit, dum frustra pro jure in praxi erit, cuius sic nulla futura praxis, ne tamen homo sine jure omni agat, illud ipsi jus fit, quod implere & præstare valet. Ad injustum inter homines requiritur legem servandi potestas, & ex lege debita non præstandi voluntas. Per differentiam istam inemendabilem, quæ inter legem & praxin intercedit, gignitur aliud discrimen justitiam, ex jure & pro juris exercitio seu usu: cum per omnem hominum facultatem ad justitiam legis ascendere non licet, sufficit ad justum, quod usui aptum & possibile. Quo nisi admissio omnis è mundo justitia, dum aliter nulla præstari valet, sublata erit. Orta hinc distinctio juris in internum & externum, quam capite proximè superiore exposuimus, & infra declaratur. Cujus illud est, quod ab homine per legem desideratur & debetur: hoc quod juxta hominis societatisqve conditionem præstari potest, & debet. In illo spectatur lex, in hoc possibilis usus. At regeres, quia illud, quod DEUS & natum lege justum definivit, cum utriusqve justitia immutabilis sit, quæ fiet, ut aliud quam isti conveniens justum atqve sine peccato sit? Tertium circa hæc discrimen inter ea, quæ DEO & naturæ debentur, & quæ natura hominum patitur, dubitationem tollit. Ubi cum DEO atqve conscientia res erit, non potest se homo dicere justum, nisi

exactè legi divinæ conformis. Non modo quod contra, sed & quod infra illam est, graviter peccat. Haud enim decet tantum non violare legem, sed etiam exactissimè implere: ita si rigorem divinæ justitiæ spectes, nihil est justum, nisi isti regulæ conveniens. At per DEI gratiam potest esse in eo peccatum, & tamen, etiam quid non injustum. Quod in eo deest homini, DEUS insigni sua gratia addidit, misso filio sui imagine, hominum salvatore, qui legem pro homine imple- ret, ipsum à nexu legis liberaret. Expende quam pul- chrè tibi hoc exhibeat Apostolus in Epistol. Rom. 8. v. 3. & 4. *Quod impossibile erat legi, eo quod infirma- batur per carnem, hoc DEUS misso Filio prestitit, & de peccato damnavit peccatum, ut justificatio legis implere- tur in nobis.* Docet impossibilitatem implendi ejus- que causam in homine, deinde implementi vicem ap- ud DEUM, ejusque autorem. De quo & Roman. 10. v. 4. *Finis legis Christus est ad justitiam omni credenti.* Contentus ea satisfactione DEUS, modo homo per fi- dem apprehendet, sibi que cum pœnitentia applicabit, de cætero eum à legis vi liberum reddidit, justum si- ne lege effecit, inde & sine peccati condemnatione, si quod ipsi non possibile juxta legem transmittit. Præterea vero in exteriori vita, sub societate humana, cum illa conditione agnitionis suæ imbecillitatis & il- lius misericordiæ permisit vivere, uti per corruptos animos moresque licet; ideo quò per impotentiam, naturæ perveniri potest, pro eo quod juxta perfectio- nem fieri debebat, justum facere & habere patitur: ita secundum legem requirens perfecta, & infra hæc peccatum dicens; at præter illam condonans imperfe- cta, pro his justitiæ speciem inter mundana finens. In quo magnum sapientiæ & bonitatis divinæ eminent documentum. Pulchra sunt de hoc verba Augustini,

lib 3.

lib. 3. contr. Epistol. Pelag. cap. 7. Virtus quæ nunc est in homine justo, hætenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat, etiam ipsius imperfectionis & in veritate agnitio, & in humanitate confessio. Tunc enim secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta est ista parva justitia, quando etiam, quid sibi desit, intelligit. Gratia DE I tribuit hic studium servandi præcepta, & eadem, si quid etiam in illis præceptis minus servatur, ignoscit. Similia ferè Bernhaldi Sermon. 50. Cantic. Non latuit præceptorem præcepti pondus hominum excedere vires, sed judicavit utile ex hoc ipso: suæ illos insufficientiæ admoneri, ut scirent sanè, ad quem justitiæ finem niti pro viribus oportet, ergo mandando impossibilia non prævaricatores homines fecit, sed humiles.

X. Tertio justum reductivè ita dictum est, quod non injustū propriè, seu quod juri, ut pro regula moralium eâ voce utimur, non contrarium. Quod itaq; non contrariatur, ita justum est, ut hic accipimus. Est illud veluti medium inter justum & injustum. Vere enim justū non est, quia non convenit juri, tamen nec injustum, quia non repugnat. Tale quid etsi non fiet vel omittetur juxta jus, tamen salvo jure. Non contrarium juri duobus modis dicitur, vel ubi nihil juris est in contrarium, vel ubi est, at non cum eâ efficaciâ, ut factum reddat improbum. Ex quo dupliciter sic justa dicimus; tum quæ sunt libertatis naturalis vel civilis; tum quæ necessitatis quidem cujusdam moralis, sed in rebus vel factis relaxatæ seu remissæ. Quomodo ex utraque specie justum rectè dicatur & habeatur, distinctim considerare non parum utilitatis habet, quia in quæstione de justo, tum quæ conscientiam, tum quæ civitatum regimen, tum quæ singulorum actiones multum momenti habet.

XI. Prius autem præmittendum est, an quod

hoc significatu justum dicitur, idem quod licitum. Sic multis visum, præsertim commentatoribus in jus civile, qui licitum justumque sæpissime confundunt. Discernenda est in hoc verbo ambiguitas. Vel enim tantum denotat, quod est libertatis, seu cujus ex jure relicta est ad habendum faciendum licentia: vel etiam refertur ad prohibita seu improba, sed quæ relinqvuntur impunia. Prior propria est acceptio, & secundum illam rectè dicimus, licitum esse justum, quia non est injustum, hoc est, nullo jure vetitum. Generalius autem acceptum vocabulum liciti, ut refertur etiam ad vetita, sed quæ impunitatem habent, non congruit justis, nec & in reductivo significatu sic licita justa dicentur. Talia ut inde non consequuntur licentiam vel probitatem, ita non desinunt esse injusta. Etsi liciti nomen usu vulgari assumunt, tamen justis capere non debent, nec ideo justa dici possunt, quasi non injusta. Manent talia, etsi non puniuntur. Quæ sit inter licitum, ut juri & ut punibili opponitur, differentia, quamque hoc valdè improprie ita dicatur, inspectione præcedenti sub num. 18. & 20. latius expositum videas. Sub hoc capite justum, uti in factis est, consideramus. Hæc tantum addimus, quod ita licita, quia nihil juris ipsi obest, in foro non modo externo, sed etiam interno justa sunt & conscientiæ tranquillitati sufficiunt: At quæ ideo tantum pro licitis habentur, quia poenæ nulli obnoxia, justa inde non fiunt, nec conscientiam tranquillat. Pro hujus securitate etiam citra poenam bonum esse oportet. Apostolus *ad Roman. cap. 13. v. 5.* de hoc admonet: *Necesse est subiaci non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Manet in factis juri contrariis vitium, nec ideo minus turpia sunt, quod sinuntur impunita. Ratio hujus non est in justo, sed in causa.

extrinseca, ob quam punire non licet, vel non expedit.

XII. Ex non existente aliquo in contrarium jure justum est quidquid libertatis, & præcipue quod naturalis. Hæc à natura jus accepit, ut quisque illa uti frui, etiam sibi conservare & defendere possit. Inde justum, quod quis ex libertate sibi connata facit, imo & quod pro ea retinenda. Inest quippe ei jus prohibendi & resistendi: E contra injustum, quod naturali libertati non abdicatæ adversum. Est ex ista jus hominum velut divinitus cum ista datum. Exinde in quæstione justum primum est, ut indagemus, quid à natura libertatis sit; Id. omne *ἀδιάφορον* & medium velut, quod fieri potest, & non potest, quia alterutrum nemo ex jure naturali debet. Quod ex eo fit, justum est, quia non injustum seu non prohibitum; haud vero ita, uti in proprio significato justum accipimus. Ideo fieri & omitti potest, prout unicuique sui juris homini visum.

XIII. Naturalis libertatis inter humana in rebus & factis dicitur, quod alicui naturali juri non reperitur repugnans. Ex negatione juris cujusdā obligativi oritur licentia; hinc regula: Quidquid naturali jure nō est prohibitū, liberū est, ideo naturaliter justū seu non injustū. Illæsa id sit vel non sit conscientia, dum nihil est, quod istam astringit. Meræ facultatis etiam dicuntur, dum nihil ei obest. Prohibitum ex eo colligitur, quod lege aliqua naturali præceptum vel interdictum habet, isti non conveniens, huic obveniens in humanis injustitia laborat. Est vero vel certum vel incertum. Certum de non superstita libertate testimonium est, sub incerto & hæc ambigua erit. At ut sub hac incertitudine injustum quid sit, ex mente facientis præcipue statuendum. Credens non licere, & tamen faciens,

peccati reus est, juxta illud Paulinum *Rom. 14. v. 23.* *Quidquid non ex fide fit, peccatum est.* E contra in dubio credens, juste fieri posse, bona fide juste etiam injustum, sed sibi incognitum agens, sine peccato est. Et licet Judex aliter opinatur, non tamen ideo innoceenter agentem juste puniet, antequam de ambiguo publica voluntas declarata fuerit. Ab iis autem, quæ penes facientem ambigua manent, si conscientiam vult servare integrum abstinendum, juxta monitum Ciceronis *lib. 1. Offic. Bene præcipiunt, qui verant quidquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum.* Ut ut vero non abstinens secum peccat, tamen ex jure in civitate dubio injuriæ non damnatur, quia judex non potest nisi ex jure certo condemnare, sicut nec antea, quod sit injustum, argui, nisi cum scire & facile potuit & debuit. Tunc ignorantia juris non proficit.

XIV. Quia quod libertatis naturalis mutabile est, non sufficit ista ad justii & injusti argumentum aliter, quam si nihil ex ea mutatum reperitur. Quo circa altera circa istud indagatio est ejus, quod mutari solet, & potest, utrumne exinde è libertate quidquam decesserit? In eo fit injustum, quod ante naturaliter liberum. Fit immutatio justa ex hominum voluntate, qua sine eam auferre tam injuriam, quam ipsi contrarium, illa aut immediate istam à se abdicat, ut sit pactis, quæ libertati renunciatur, seu quod ab ea alienum est recipitur: vel mediate, per actum, ex quo licita quædam super libertate pactio inest; quomodo qui societati se jungunt, ejusdem legibus tam conditis quam condendis, tum & communibus civium pactis & moribus se suaque submittunt, inde quidquid per hæc libertati demitur, tanquam ei renunciatum non amplius valeat. Similiter qui vel bella

ingre-

ingrediuntur, vel sub imperio sunt, quod belligeratur, exinde subortis obnoxii, libertate ultra quam ex ea relinquitur non gaudent. Oriuntur hinc alia justa & injusta regulæ, nempe quod ex libertate naturali lege vel pacto tacito seu expresse sublatum aut vetitum, est injustum: E contra quod ex his non reperitur ita vetitum manet liberum, ideo & justum, eo significato, in quo hic de justo tractamus. Sunt ejus generis, quæ permixta JCTi vocant, quibus per eos juris nomen additur. An rectè & quatenus ea jus faciant, ad pleniorum expositionem sub tractatu Jurisprudentiæ referimus.

XV. Alterum, ex quo justum illud reductivum oritur, consistit in relaxatione juris contrarii. Ubi hoc suam ad obligandum efficaciam amittit, non est injustum secus, quam legibus exigitur, factum. Permittente jure fit, cujus contrarium eodem non exigitur: exigere autem non putatur, quoties obsequii necessitas remittitur. Relaxatio duobus modis fit; vel ex legis sententiâ, vel contra eandem extrinseca quadam ex causa. Illa contingit per interpretationem, ut vocant mentalem, quæ verba legum posthabet, & mentem sequitur; Cui etiam verba adversarii videntur, ab iis tamen discedit, nec eo minus justum est, quod contra verba legis fit, modo menti sit congruum. Ea vero species non pertinet ad hanc justitiam acceptionem. Nam ut in lege non vox tantum, sed mens, & hæc præcipue spectatur, ita non quod verborum corrice exprimitur, sed quod mente comprehenditur, ex lege justum est; ei contrarium, etiam verba in hoc simul sonant, injustum. Altera relaxationis species legem linquit, tantum ei non congruum, ex ratione aliqua tamen non injusta, reddit haberi justum, quia à lege ab eam discedere non injustum. Cujus consideratio facit ad conciliationem
dispu-

disputationum de justo. Quod veteres Scholastici, aliud ex lege aliud ex casu, dixerunt. Molina scribit, justum esse quoddam ex causa, quod non sit ex lege. Idem est quod nos hic intendimus & exprimimus, justum esse contra legem quodammodo, quod ex accedente causa relaxatoria non injustum est.

XVI. Pro justis injustisque in rebus factisque intellectu operæ præcium est indagare atque explicare causas, si non omnes, tamen præcipuas, ex quibus ab eo, quod naturaliter justum, recedere non nefas, minusque eo, imo & aliquando disconveniens & pene contrarium in vita humana actum, non modo non injustum est, sed rationem justis habet. Potissima est in imbecillitate atque corruptione hominum, quam ex lapsu primorum parentum omne genus humanum contraxit, nec unquam deponere aut emendare valet. Per eam, dum perfectionem juris humani assequi non licet, stolidum aut incongruum foret, eo hominem in conversatione & actionibus externis velle adigere. Quæ aut nunquam suscipiendæ erunt, aut sic accipiendæ pro justis, quatenus possibiles. Pro justo homini attribuendum fuit servari præstarique possibile. Plutarchus in Solone: *Oportet legem scribi secundum id, quod obrineri potest, si quis velit paucos utiliter, non multos inutiliter punire.* Illud fieri non potuit, nisi per recessum à jure perfecto & justorum constitutionem in his, quæ homini apta. Unde oritur, ut aliud in lege gentium per naturam communi, aliud in factis justum, & qui in his aliud desiderat, quam per conditionem humanam fieri queat, in hanc injuriam veluti reputatur: Quod Diodorus Siculus lib. 13. vocat *συναδικεῖν τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἀδέσσειαν*, *Injuriam esse adversus communem hominum imbecillitatem*, Alibi lib. 17. *συναδικεῖν τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἀδέσσειαν*, *oblivisci infir-*

infirmittatis ejus, quæ communis est humano generi. Excūtiās omnia, quæ pro jure hominum hodie continet jurisprudentia, de potestate hominum in homines, de dominiis, acquisitionibus, contractibus, juramentis, actionibus, judiciis, pœnis, & in nullo non reperies, quam non pauca devient ab illo jure naturali, quod DEUS ab initio hominum animis concreatum inditumque voluit, quamque longè alia in iis multa justa sunt, quæ per legem naturæ perfectam non sunt talia, quia requiruntur ex isto multo alia. Docebunt te hæc, quæ Jurisprudentia nostra in specialibus explicabit, ubi videbis sæpius iri in comparisonem juris primævi & secundarii, nec eadem utriusque esse. QVOD tibi hic sensus noster fit evidentior, uno exemplo in commune dictum exponam. Exigitur naturali lege hominum mutuus amor & concordia, cui nihil magis contrarium, quam lis & contentio, ideo ex ista litigare atque judicio contendere improbum, sicut etiam Apostolus inter ea, quæ pro reditu ad DEI imaginem hominem non decere scribit, litigia refert, & in Christianis improbat. Non quia coram gentilibus litigare iis pudendum, aut in crimine, sed quia juxta charitatis legem, quæ à natura est, sine peccato non sit. Ita habent ejus verba, 1. Cor. 6. v. 7. *Jam quidem omnino est delictum in vobis, quod judicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Et Christus inter ea, quæ pro restauratione naturæ docuit, in argumentum legis naturæ, tum ab eo humanæ digressionis judicio contendendi studium inter peccata numerat, & prohibet, Matth. 5. v. 40. *Et ei, qui tecum judicio vult contendere, tunicam tuam tollere, permitte ei & pallium.* Non id aut ex nova lege perfectiore, aut consilio Evangelico, sed veteri cum natura orta ei que indita.

Quia

Quia autem ab illa perfectione, in qua sine lite vivi, ideo ista par esse potuit, descitum & illuc deventum, ut contra alios agere, ideo iudicio causam finire juris pacisque gratia oporteat, iudicium factum necessarium, itaque coram & pro eo litigare licitum. Ingeniis humanis hoc non potuit non indulgeri, cum sine eo non possint inter disidia non evitanda acquiescere aut illa sine remanere. Quod igitur ex primæva naturæ lege injustum, ex humana factum non injustum. Etsi itaque; ex illa juxta perfectionem litigare peccatum, tamen ex hac per conditionem sortis humanæ, in quam delapsi, sine eodem est. Et Christus ipse in iudicio tum coram summo Pontifice, cum innocens a lapâ acciperet, alteram maxillam non præbens, sed ad iudicii ordinem provocans, tum apud Pilatum à DEO iudicandi potestatem ei datam passus. Et Paulus iudicium non refugit, ad Cæsarem ipse provocavit. Alia itidem, quæ Christus & Apostoli de magistratibus, iudicibus & iudiciis habent, quam sine quibus hæc non sunt litigiis non insit amplius peccatum, edocent. Nempe quia hominum conditioni permittente DEO debitum, ut lites in iudiciis agere non improbum, aut non valde magnum peccatum, tolerabile tamen sit. Quod Græca vox in Apostolico textu innuit. ἡττημα ibi dicitur, quod in latino delictum vertitur. Monuit rectè ad meliorem conciliationem textuum Theodoretus, minus multo esse vocabulum, quam peccatum, & significare defectum atque imbecillitatem, cui homines quodammodo succumbunt. Oritur enim ab ἡττησθαι, quod succumbere & vinci significat, & pro carnis & luctæ certamine exprimendo usurpatur. Sufficiat tibi hoc ad docendum, quomodo aliud ex lege naturæ jus aliud in factis propter humanam imbecillitatem iustum sit. In pluribus aliis eadem occurrent, cum eo discrimine rectè accipienda. Causa ejus est

in.

in mutatione perfectionis, cui lex adaptata fuerat. Postquam hæc velut infirmata, quomodo Phrasîs Apostoli habet, pro justo id finit, quod pro statu corrupto possibile. Propitio, imo & indulgente DEO, hoc fit: qui suæ gratiæ documenta inter leges Hebræorum à se latas, nec non sub patientia factorum in Republic. sua proprie edidit. Et ordinans aliqua & permittens, quæ à lege naturæ digrediuntur, quia ad ejus fastigium non potuerunt ascendere facta hominum: docet, quam necessarium sit, aliqua aliter quam naturæ incorruptæ convenit, inter depravatos pro jure concedere. Imitatur benignum Præceptorem, præcepta integre tradentem, sed contentum, cum pro captu viribusque ingenii discitur & exercetur, modo nihil per discipuli negligentiam aut contumaciam fiat. Sufficit ipsi super ea labe, quam lapsus intulit pœnitentia & implementum legis ex aliena pro hominibus, Salvatoris nempe, satisfactione, qua per fidem appropriata, de cætero finit societati humanæ pro justis, infirmitati in hac vita per homines irreparabili possibilia. Est in eo species patientiæ, qua DEus erga homines per commiserationem infirmitatis utitur.

XVII. Secundo juris relaxatio existit ex necessitate inevitabili, ideo & aliud quam ex eo in factis facit justum. Unde JCtorum axioma: *Necessitas ex illicito licitum facit; & aliud: Necessitas legem frangit, & ipsa sibi lex est.* Etsi itaque ex lege quædam sint interdicta, ex necessitate fiunt justa, unde Isocrates vocavit *πρόσχημα τῆς ἀδικίας*, velamentum injuriæ; quo respiciens Seneca 4. *Controv. 27.* vocat *magnum humane imbecillitatis patrocinium, quia omnem legem frangit, quidquid coegit defendit.* Nec supra illam est natura aut ratio: Ultramque invicta & indeclinabili sua vi superat. Antipho in *pr. Orat. 7.* *Ipsa necessitas*

ut omnes & contra naturam & condicant & faciant, cogit. Diodorus Siculus lib. 12. *Necessitas naturam vincit.* Curtius lib. 7. *Histor. Necessitas ante rationem est;* lib. 8. *Efficacior in adversis necessitas quam ratio.* Etsi igitur naturæ quid contrarium, tamen ubi necessitas incidit, non est injustum. Quintilianus declam. 260. *Multum contra justitiam valet.* Publius Syrus: *Honestæ lex est temporis necessitas.* Pertinet idem ad naturæ leges Seneca in Troad. *Necessitas plus posse, quam pietas solet.* Exempla si cupis, réperies, cum per omnia jura omnesque necessitates transieris, & examinabis, quomodo in iis per vim majorem justum sit aliud, quam quod jus suggerit. Præsertim vero quæ bellorum sunt, etsi à jure naturæ primævo pleraque abscedunt, tamen justa sunt, cum necessaria & alia salutis, quam in armis eorumque operationibus non est spes. Evenit etiam extra bellum. Etsi lex naturæ injustam hominis cædem faciat, tamen justa multis modis fit, ubi necessaria; non tantum nocentis, sed & innocentis, ubi necessitas salutis propriæ postulat, veluti si vitam fuga aut defensione servare non possumus, nisi cujus persona impedimêto salutis interponitur, interimatur.

XVIII. Tertio per societatem civilem alia juris justique ratio existit, multaque aliter jure naturali constituta, aliter in illa servantur, non tamen ideo, quia ab iis aliquo modo deviant, injusta. Quando illa pro pacis & salutis columine gentibus placuit, eique omnia sua singuli submiserunt, in id consensus omnium pacto quodam coit, ut nihil sibi justum vellet, nisi quod illi congruum & commodum. Quod cum sæpè esset à jure singulorum ex naturæ lege competente alienum, aliquando etiam ei contrarium, non potuit non quæ eos pro injusto haberi naturaliter justum, & vicissim, quod civitatis causa necessarium.

rium vel utile justii nomen & vim assumere. Proce-
dit ex eo, quod legum naturalium praxis in civitati-
bus multo alia & varia, quam quod iis ab origine
proprium. Cedit istis, quod est à natura jus in res
creatas omnium, & cum usus omnibus & singulis li-
ber & non impeditus esse deberet, post dominia ex
societatum jure firmata, nihil istorum mansit, nisi
quod proprium redditum, aut habentium voluntate,
conceditur. Subsunt istis vita, corpus, facultates, &
licet à natura sit & habentibus jus conservationis, &
cæteris non nocendi debitum, per istas pro ipsis in il-
la justum, simplici naturæ lege illicitum; quæ sunt,
pro republ. periclitandi aut pereundi necessitatem,
inferre; bona, cum pro hac necessarium, invitis aufer-
re; onera imponere. Restringuntur pro istis omnia
naturalia debita: Quæ sunt parentum & liberorum,
conjugum, benefactorum & beneficiariorum naturalia
officia, exceptionem ex jure civitatis habentia. Fidem
naturali lege inter homines sancitâ civitatum jus cohi-
bet, & eam nõ poscere vel non servare civitatis causa sit
justum, cum tamen aliud naturâ justû sit. Quis recense-
bit omnia aliter in civitate justa, quam secundû naturâ.
Oritur ea justii diversa ratio, tû ex necessitate societatis
communis, tum ex voluntate se sociantium: Cui liberû
societatis causa suo juri renunciare, seu illud potestati
& voluntati civitatis submittere. Fit hoc assentiente
DEO, qui societates & in iis Imperia & Politias ap-
probat, nec pro sine suo sine justitia voluit esse ejus
media. Inde arbitrium circa justa imperantibus ver-
bo suo concessit. Ratio exigit circa illud, quod pro
civitate justum, discernere, quæ hominum gratia lex
naturæ constituit, & quæ pro honestate. Ut in hanc
hominibus nihil licet; ita nec renunciatione civitas con-
sequi potest, ut aliquod inhonestum ejus causa justû fiat,
nisi

nisi accedente ratione, quæ turpitudinē demit. Convenit tantū cæteris juribus, quæ sunt hominū gratia condita.

XIX. Quartum his consequens, ex quo in factis justum, quod alias injustum, nempe utilitas vel civium vel hominum communis. Ob quam sæpius fit alias ex lege injustum. Inter eas leges, quas Imp. Justinianus in sua volumina redegit, frequenter hoc indicatur, quando contra juris generales regulas & definitiones aliud pro usu vitæ recipitur. Inde hæc formula multoties legitur: *Etsi Jure aliter cautum, tamen utilitatis causa secus receptum esse.* Discimus inde, quam in iis multa sint justa, sed quæ utilitati hominum vel civitatum adversa, haud tamen contra hanc necessario observanda. Non civilibus modo, sed etiam naturalibus hoc evenit: Quorum & aliqua pro communi utilitate hominum sunt posthabenda, ideo quod pro eo fit justum redditur. Tui vel alterius internecio naturæ juri non convenit, justa tamen fit, ubi publice utilis. Mendacia, simulationes, doli, & similia naturaliter improba, cum extra noxam, præsertim si & utilia & pro republ. juris speciem assumunt. Quot extraordinaria & à juris communi viâ devia publicæ utilitati tribuuntur? Pertinet huc Tacitū dictū lib. 14. *Annal. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplū, quod contra singulos utilitate publica rependitur.*

XX. Quintò per civitatum leges multis modis fit, ut aliud pro justo & injusto sit, quam quod simplex hominum ratio pro jure dicat. Idque contingit sæpe numero ex iis, quæ in jus naturæ civitati, & in hac legislatoriæ potestati competere, sub inspectione præcedente prolixius vidimus. Per illius juris explicationem, applicationem, dispensationem, restrictionem, ampliationem, superadditam vel negatam efficaciam, multa in usum veniunt, quæ injuriæ speci-

em.

em sub intuitu naturalis juris præbent. De quibus cum ibi fufius fcriptum fit, & res omnis per adducta exempla pateat, nihil ultra hic addam.

XXI. Sextò per humanarum rerum conditionem non potest non inter injufta aliquid pro jufto reputari, ita ut non fit injuftum, dum per illas ipfas non licet juftum in puncto attingere. Pleræque earum sunt ita comparatæ, ut vel non fcatur, in quo puncto jus earum confiftat, vel fi deprehenditur, in eo non poffit ufus confiftere. Exemplum cape ex inæqualitate in contractibus, quæ non eft fine alicujus læfione, quam natura homini interdicit, inter prima fua præcepta habens, ut nemini noceatur. Ex qua illa lex naturæ oritur, de fervanda inter contrahentes æqualitate. At in quo hæc exacta fit, nunquam in regulam, rariffimè in mentem, nedum in oculos venit, & licet veniret, tamen fervare rerum factorumque infinita difsimilitudo non fineret. Non igitur omnem vel levem & minimam inæqualitatem improbam effe placuit, fed talem faltem, quæ non parva & deprehendi potest. Modice iniquum, etfi naturæ quoque vetitum, tamen inter humana non injuftum, eft ideo reductivè juftum. Similiter inculpatae defenfionis jus, vim vi intra pares terminos oppofitam requiri. Sed nec hi ratione ferò inter humana, in ea re tam variâ & perturbata, nedum fenfu percipiendi. Ideo & juftum habetur aliquanto latius, in potestate propulfandi fumtum. Imo cum & hoc exceditur, fi non dolo aut magna culpa, haud perinde damnatur. In aliis multis eadem occurrunt. Ex eo dictum eft rectè: *In moralibus ficut & in naturalibus punctum non inveniri, fine aliqua latitudine; feu ut alii profantur: Moralia non confiftere in puncto, fed habere quandam fuam latitudinem.* Quo refpicit illud Ciceronis: *Leges iniqua tollunt, quatenus teneri manu poffunt: Philofophi quatenus*

ratione & intelligentia. Simile est illud Synesii, ubi Aristotelis dictum, virtutem in medio, mediocritatem virtutum propriam in puncto consistere, explicat: *Punctum illud*, inquit, *quævis in cognitione virtutis, non in operatione.* *Quis illud agendo tam accuratè observabit & velut acu tanget.* *Cum propè eris, virtuosus habebis, ut ut cum proximus juxta doctrinam non sis.* *Ut summi boni fastigium nemo adhuc ascendit, ita punctum mediocritatis vita sua nondùm quis contigit.* Sic ad justum nobis sufficit, à justo non longius abesse, quam attingere licet. Quod eì contiguum, quia per humanorum modum propius veniri nequit, aut ventum non intelligi, pro justo orbi cedit,

XXII. Similiter septimò per negociorum, quæ homines pro necessitatibus usibusque suis invenerunt & tractant, conditionem, in rebus factisque justus alius modus est, quam qui à simplice meraque natura; Justum illum facere dicereque oportet, cum necessarius & pro fine suo alius esse nequit, si debet esse aptus; & hoc indultum divinitus hominum imbecillitati, ut sibi commoda invenire, ita verò, ut possibile aut utile formare liceat, formatum justum sit, etsi naturæ legi in aliquo disconveniens. Ex hac omnis deceptio improba est; at quando sine aliquo lucro aut commodo nemo cum alio contracturus esset ad hujus usum, quæstum, & pro hoc deceptionis aliquid indulgere, justumque facere necesse fuit. Ex eo dictum Jcti Pauli in l. 22. §. 3. ff. *Locat. Naturaliter* (hoc est, ex consuetudine commercii velut naturali) *concessum est, quod plurius est minoris emere, & quod minoris est, plurius vendere, & ita se invicem circumscribere.* Ulpian. in l. 16. §. 4. ff. *de Minorib. Naturaliter licere contrahentibus se decipere.* Ex natura negocii id oriri docetur in l. 8. C. *de Rescind. empt.* Aliud exemplum cape ex usuris

furis, quas spectato simplici naturæ jure, ex quo gratuitus debet esse usus rerum, quas in commune DEUS condidit, non perinde probaveris, attamen dum quæ inter homines est communicatio sine aliquo lucello, tardè procedet, ideo multi commodis carebunt, quævis indigent, evenit, ut non injustæ essent, quatenus aut compensatoriæ aut punitoriæ.

XXIII. Octavò, ex animo facientis in factis aliud justum, vel injustum existit, quam in jure & lege. Postquam iste à DEO dux & lux actionum homini additus eum effectum habet, ut ex sui judicio vel sententia istæ penes hominem & in ejus actibus qualitatem assumant, & vel bonæ & justæ, vel malæ & injustæ dicantur, ut ille se habet, & ut ex illo prodeunt, ex quo sæpius fit, ut qui injustum facit, sed innocente animo, seu bona fide justum credens, non injustè faciat; vice versa, quod justum re ipsa est, sed injustum existimans, vitiose agat. Quod considerans Aristoteles *lib. 5. Ethic. cap. 10. & lib. 2. Rhetor. cap. 13.* distingvit inter τὸ ἀδικεῖν, *injuste agere*; & τὸ ἀδικαίαι ἀδικεῖν, *agere quod injustum est*, quia hoc agi potest non injustè, nempe pro qualitate animi, quod ad factum accedit. Pro eo explicando Gratianus *in c. Episcopus 11. q. 3.* triplicem facit justitiam, causæ, ordinis, animi. Ordinis illa est, quæ facit justum, ut pro solenni accipimus, sicuti supra vidimus: Causæ autem, quæ est in ipsa re seu opere; Animi, quæ in operante, qui, ut bonus seu malus, ita opus facit seu bonum seu malum. Illustrant hæc tecum, quæ de bonæ malæque fidei effectibus Jurisprudentia tradit, non omnia naturæ juri consona, ut sunt, quod bona fides usucapionem parit, fructus ex aliena re consumptos facit possessoris, tantum possidendi præstat, quantum veritas, & similia, quæ tamen justa sunt, quia ex animo facientis vel ha-

bentis non sunt injusta. Aliud exemplum in iudice, secundum suam opinionem judicante, qui licet injuste judicaverit, tamen injustus non est. Si pars acquiescit, sententia jus facit; si impugnat, etsi superior, ut peritior corrigit, tamen injustitiæ non potest argui, quia ut *Aristoteles ait*, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, ex animi, sententia judicavit, qui ideo *5. Nicom. 12. ait*: *si quis per ignorantiam judicavit, non egit injuste.*

XXIV. Nono, ex æquitate alias injustum justum fit, seu habetur, pro servanda æqualitate, ob quam jus descendit ex alterius in alterum injustitia. Quod enim quis pro se justum contra alium putat & facit, idem & contra se pro alio justum reputare debet, etsi re ipsa injustum fit. Æquitati id conveniens. Ex qua ortum est Prætoris Edictum, quod *sub tit. ff. Quod quisq; jur. in al.* explicatur, ut quod ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur. Ita per talionis & retorsionis jura sunt justa, quæ in se juri non conveniunt, existente jure in æquitate passionis injuriæ, ob injuriam alteri factam, veluti in pœnam. Ista in tractatu plenius explicabuntur, hic tantum pro justis demonstratione levi digito attigisse sufficiat.

XXV. Decimo, ex merito patientis justum fit, alias injustum, nempe si factum meretur facienti justa vicissim non præstari. Et quidem si cui puniendi jus est, ejus in pœnam actio & promeriti passio justa erit, modo delictum sic comparatum, ut par ei pœna sit, amissio juris. Si quidem hæc non iniqua, ut non justum eum qui alii adversa inferit sibi inferendi potestatem sumere, passio quidem justa est, sed non actio, uti exponitur in part. 3. cap. 1.

XXVI. Undecimo, pro evitacione majoris mali contra legem justum fit, alias prohibitum. Quando
DEus

DEus per jus mentibus inditum non modo pietatem, & honestatem, sed etiam utilitatem humanæ vitæ regere voluit, utiqve cum illa salva huic non aliter quam jus primævum negligendo consuli potest, multo magis cum grave incommodum ex juris observantia imminet, permittit non tantum civitati per leges, sed etiam singulis facto contrario ab eo recedere, & majus malum declinare. Id eo significatu, ut hic accipimus, justum est, tanquam non injustum. Exemplum, esto ex divortio, quod naturali jure, ex quo matrimonii indissolubile vinculum nectitur, non convenit, tamen inter Hebræos pro evitandis discordiis & conjugii calamitatibus non injustum fuit. Eo licet sic non amplius inter Christianos permisso, tamen cum sine vitæ vel corporis periculo cum conjuge vivere non licet, separatio justa erit. Sic contra naturæ jus, quod eadem hominum vetat, justum est, ex ea securitatem quærere, ubi magnum periculum ab aliquo imminet, etsi non intentatur. Et alia in personas & res licent, quæ nisi majus malum immineret, illicita forent.

XXVII. Duodecimo, Jure præcepta vel vetita ex voluntate eorum, in quos injusta fiunt, justis rationem accipiunt, quia volenti non fit injuria. Ita quippe remittit & veluti condonat, quod injuste agitur. Ex eo quidam etiam, quæ apud Barbaros in humano more fiunt, justa dicere non dubitant, quod cum eo pacto patientiæ subierunt societatem. Voluntas accedit non tantum ex consensu in factum, sed in approbatione antecedente ejus, ex quo illud oritur. Sunt etiam alia quædam, ex quibus juris cum effectu injustum reddendi non injustum fit relaxatio. At sufficiat, prædicta hic delineasse, ut appareret, quomodo in factis non uno modo justum reductivè existit, quod

juri non congruum. In expositione jurisprudentiæ naturalis gentium non tantum hactenus scripta plenius reperies demonstrata, sed etiam alia.

XXVIII. Quod justum eatenus dicitur, quia ex lege vel moribus est tolerandum, ideo de non resistendo obligationem habet, vere justum non est, sed tantum juris quosdam effectus ex superadditione non injusta accipit, quam facit lex vel consuetudo. Quocirca factum conscientiæ tranquillandæ non sufficit, inter homines securitatem habet. Ita quippe comparatum est, ut nec lex nec mos fieri velit, tantum ubi contingit, nec aut præcaveri aut tolli potuit, non resisti, tolerari & ideo justo facti instar quoad effectus externos æstimari debeat: quia nempe societatis seu hominum communis, seu quæ est in civitate multum refert, atque sic fieri præstat, quam juxta juris regulas in jus vocare. Historia sacra exemplum suggerit ex jure regio, quod Samuel Hebræo Populo Regem poscenti prænunciat *1. Sam. c. 8.* Pleraque ejus à verè justo longè absunt, quæ Regem injusta, nec bonis Regibus probata, at quæ populum ex more Regum pro jure fore præsignificat, quia toleranda, nec aliud remedium, nisi à DEO habitura. Idem est, quod Politici de non resistendo Imperio, utut duro & iniquo tradunt, quia jus eatenus habet; non quia imperator justè facit, sed quia injuriarum patientiam subditi debent. Simili modo in bellis multa justa & jure belli licita dicuntur, etiam à naturali jure alienissima, quia ex gentium jure seu more licentiam faciendi, ex debito patiendi necessitatem acceperunt. Ejusmodi effectus juris accipit per leges sententia, injustè licet lata, & ex ea fit justum, alias injustum, sicut *in l. pen. ff. de Just. & Jur.* Prætor jus reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit. Ita & possessio, etsi injusta,

non

non paucos juris effectus accepit: ex quo oritur, quod nec prædo ista sine legitimo juris ordine privandus sit, interea possessionis beneficiis gaudeat. Nihil in his qua gentes aut civitates, effectum juris etiam quibusdam injustis applicantes, injustum est, dum pro avertenda aut graviori injuria & calamitate, aut pro conservatione communis quietis ita constituitur vel recipitur. Qui finis id facit probabile, & defendit majoris mali gratia aliquam malitiam, sed non operantis conscientiam. In qua securus non est, qui sub Imperii vel belli licentia injusta agit, aut injusta sententia, aliter juris conscius retinet, aut ab iis, quæ non sua sed alterius esse novit, nudæ possessionis obtentu excludit.

XXIX. Juxta diversas justî & injusti acceptiones, apud bonos autores, & in legibus Romanis sæpissimè evenit, unum idemque dici justum vel injustum, nempe pro diverso respectu, cui nomen applicatur. Bellum etsi ex causa injustum, solenni ritu coeptum justum vocatur. Et arma, quæ hoc omisso inferuntur, etsi per causam justam, tamen injusta audiunt. De bellicis item frequentius apud Scriptores reperies. Exemplum sume de occisis, captis vel supplicibus, illos belli jure necari Virgilius, hos belli juri cadere, Tacitus *lib. 3. Annal.* scribit: E contra illis parcere κοινὸν νόμιμα, commune jus, Diodorus Siculus, hos servari bellorum morem Soperater vocat. Non contradicunt sibi hæc, sed juris justique diversa significatione discernuntur. Ex quo & conciliat Augustinus, laudans Gothos *lib. 1. de Civit. DEI Cap. 3.* Quod belli jure fieri licuisset, illicitum sibi esse judicarunt. Prius respicit ad justum reductive, seu quod non est pro negotii conditione, dum aliud sæpè non patitur, injustum, alterum ad justum propriè seu

naturali lege conveniens. Similia leguntur quam plura de iis, quæ de justis inter bella disceptantur, dum in iis multa ideo tantum justa, quia solennia, alia, quia jure non prohibentur, vel juris effectum aut licentiam non inanem acceperunt, id nomen occupant. Quando itaque quaeritur, an hoc vel illud in bello justum, prius considerandum, quomodo in quaestione justitiae vox accipienda sit. Juxta cujus diversitatem fit, ut ex uno significato justum alio tale non sit dicendum, & apud Scriptores in uno improbetur, quod in alio approbatur, idem & in aliis evenit. Est itaque diligenter considerandum, cum justitiae vox vel synonyma apud autores legitur, in quo significato ponitur vel quadrat, ne ex promiscua acceptione incidatur in errores.

XXX. Pro diversitate significationis etiam fit, ut inter adversas planè partes utrinque tamen justè agi dicatur. Per naturam id fieri non posse videtur, quum contraria se mutuo ponant & tollant, & uno posito ut justum, alterum justum dici nequeat. Facultas naturalis ad contraria per rei naturam non datur. Perinde nec moralis. At pro diverso respectu, quem denotat diversus significatus, aliud accidit, ut ex isto contrarietas desinat. In bellis hoc consideres: Ex causa illud utrinque justum esse nequit, potest tamen ita incipi & geri justè, ut hoc refertur ad solennitatem; aut non injustè, per eorum modorum aliquem, quos supra retulimus; aut quia effectus, omnibus armis in bello publico per gentium jus superadditos. Idem accidere potest circa privata litigia, ut aliquo modo utrinque possint esse, & dici justa. Praesertim vero juxta justitiam, quæ ex animo censetur & facta censet, bella & litigia utrinque possunt esse, ut & usque ad finem ex victoria, pace vel sententia haberi justa, dum utraque pars innocente mente ad illa devenit,

venit, & licet alterutra aberret, tamen iuste se agere credat.

* * *
* * *

INSPECTIO VIII.

De Justitia.

- I. *Origo Justitia.*
- II. *Ejus in vita humana necessitas & usus.*
- III. *Πολυσημια vocis.*
- IV. *Species in quas dividitur.*
- V. *De duplici virtutis respectu, & ut eam colit justitia.*
- VI. *Jurisprudentia objectum est illa, qua universalis dicitur.*
- VII. *Ejus definitio.*
- VIII. *Qua ratione dicitur voluntas.*
- IX. *Perpetua ista quomodo ad eam requiritur.*
- X. *Constantia propositi justii pro illa necessaria.*
- XI. *Effectus justitia in tribuendo cuique suum.*
- XII. *Quando ex respectu ad alios bonum alienum est.*
- XIII. *Consistit in mediocritate.*
- XIV. *Proprium est justitia servare aequalitatem.*
- XV. *De aequalitatis diversa proportione.*
- XVI. *Justitia latissima facultas, qua DEum & homines.*
- XVII. *Ejus finis in se ipsa & bonum per se expetendum est.*
- XVIII. *De Aequitate, ut justitia parte.*
- XIX. *De injustitia.*
- XX. *De mediis inter justitiam & injustitiam.*

Jus

I.

Jus justitiæ opus est, & hæc vicissim juris substantia, finis, atque ad semet directrix. Quo homines justii essent aut non injusti, jus conditum & vel insitum à natura, vel præscriptum voluntate divina, aut humana. Ut jus primum rectè constituatur, deinde bene servetur & exerceatur, Justitia effecit: virtus in Justissimo Numine essentialis ab eo in mundum deducta, homini tradita juri dedita, ad justa tendens, injustis resistens. Justitia à DEO, in quo ut in fonte est, ex eo derivata in homines, dum hos sui voluit similes. Quando omnia mundi, præsertim quæ sunt hominum, quorum gratia mundum condidit, & variis rebus nullo relicto vacuo implevit, cum certa mensura, definito ordine creata & ad usum destinata sunt, nec nisi his perpetuis ipsas adeoque nec hominem servari possibile, necessarium fuit usui illi convenientem modum facere, cum quo vita honesta, tranquilla, commoda & sibi & aliis esset. Istius index & rector justitia posita est, quæ intra istum humana omnia contineret, DEO, naturæ, societati rebus congrua præstaret. Quam illa cœperit cum & in homine, prima ejus post creationem ostendunt. Inditi homini divinitus cum natura communes quidam de ista sensus & connatæ prolepses, ad justorum admonitionem, injustorum aversionem. Cum iis implantata ejus notitia, amor, veneratio, metus, divinam originem & in ea quid homine antè ac superius indicantes, & unicuique insinuantes. Intellecta hæc à gentilibus Philosophis, quorum sententiis traditum, justitiam è Jove genitam, Jovis filiam esse; Residere apud Jovem in Cœlis humanarum rerum præsidem; ibi omnia mundi regere, & in cœtum sua decreta mittere. Chrysippus lib 3. de Diis: *Non potest inveniri principium aliud,*

AUT

aut origo justitia, quam ab Jove & communi natura. Inde initium duci debet, ubi de bonis malisque differendum est. Pro recognitione originis, à Jove jus dictum veteres Grammatici crediderunt. Cujus & alia in homine quisquis suos recessus excusserit, reperiet vestigia, nempe conatum DEO per justa placendi, cum peccaverit placandi studium, à DEO felicitatis per ista spes & fiducia, ob injusta divinæ vindictæ metus, DEum circa justitiam imitandi opinio, inde conscientie ob cultum neglectum vis. Ponitur ex ea quædam DEi in homine justo effigies. Clemens Alexandrinus in Admonit. ad Gentes: Non est quidquam DEO similis, quam qui ex nobis fuerit justissimus. Idem 7. Stromat. Imago valdè divina & DEO similis veri justî anima.

II. Justitiæ necessitatem atq; utilitatem demonstrare supervacuum, nemo non intelligit. Cicero lib. 2. de Offic. *Justitia tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere, nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is sibi, ne in latrocinio quidem relinquit locum: ille autem qui archipirata dicitur, nisi equaliter prædam dissipet, aut interficiatur à sociis, aut relinquatur, quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pateant quas observent. Cum igitur tanta vis justitiæ sit, ut ea etiam latronum opes firmet atq; augeat, quantam ejus vim inter leges & judicia & instituta reipub. fore putamus. Macrobius lib. 1. in Somn. Scipion. Rerum omnium Plato & actuum naturam penitus inspiciens advertit in omni sermone suo de Reipub. institutione proposito infundendum animis justitiæ amorem, sine quâ non solum Respubl. sed ne exiguus hominum cæsus, nec domus quidem parva constabit. Ad hunc porro justitiæ affectum pectoribus inoculandum, nihil æque patrocinaturum vidit, quam si fructus ejus*

non

non videretur cum vita hominis terminari. Aristoteles eam gloriosis epithetis celebrat: vocat ἀρετὴν ὄλην, κρείττην ἀρετὴν, καλλίστην, καλλίστην ἀρετὴν. Sine illa nihil in orbe rectum, honestum, stabile, tranquillum securum sapientissimus enim DEUS, quidquid ejus est, intra ordinem suum redegit, conclusit, & omnibus quæ hujus sunt pro justis addixit. Ordo rerum actionumque humanarum in jure & justitia, isque velut naturalis non modo, quia DEUS & natura homines ad hunc condidit. Cicero lib. 1 de Legib. *Omnia, quæ in hominum doctorem disputatione versantur, nihil est profecto prastabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus. Id jam parebit, si hominum inter ipsos societatem conjunctionemque perspexeris.* Sed & quia juxta & ad illam omnia ejus sic condita & comparata sunt, quod talia esse debeant, ut juri conveniunt: Idcirco cum divinitus illi omnia humana sint astricta, quæ abinde recedunt, non possunt non fieri mala & improspera. Avertitur enim DEI gratia, quæ sine tanto magis sub ira nulla potest consistere felicitas, ut intellectum ab Ethnico: Catullus Epigr. 65.

*Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Omnia fanda nefanda malo permissa furore,
Justificam nobis mentem avertere Deorum.*

Pervertitur, quidquid rebus humanis pro regula est, & conjiciuntur omnia in fluctus, veluti ut non habeant, unde certa sint & in quo secure desinant. Invertuntur fundamenta pacis & salutis: Demosthenes in Orat. de Megalopolitis ideo Δίκην θεεπιείναν πόλεων vocat. Cujus verba ita vertuntur: *Justitia nutricula Urbium. Hac re omnia labefactari inveniemus, & hoc principium malorum omnium, quod homines nolunt ea simpliciter agere.*

agere, quæ justa sunt, Subvertuntur tandem & qui injuste agunt, & qui, cum pro justitiæ cultu ad justa cogere, injusta coercere deberent, patiuntur. Turbantur inde & evertuntur societates, tanquam convulsis suis columnibus, quæ DEUS duo fecit: Pietatem & Justitiam. Quod regna validissima juxta & florentissima ab initio orbis experta sunt, subitâ in deterius mutatione: veritatem dicit ejus, quod sapientissimus Regum imperantes admonet: *Injustitia dissipat Solia Regum & devastat terras.* Per exempla didicere veteres, utinam & nos observaremus. Sophocles in Ajace Lorario

ὄπῃ δ' ἰβρίζειν θεῶν θ' ἅ βέβηλα ὠδῶν

ταύτην νομίζεις τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ

Ἐξ ἔριων δεσμοῦσαν εἰς βυθὸν πρῶσιν.

Sed ubi licentia omnis est injuria,

Tunc & statum urbis postmodo tandem illius

Cursu è secundo pessum iturum existima.

Rimantur sæpe Politici rerumpubl. adversos casus eorumque causas, maximè cum ex injuriis, sæpe iis quorum modicus respectus est, illatis oriuntur, & mirantur talem horum vim, itaque de iis scrutantur & aliquando, ne istæ sint per collectiones, affingunt. At ut ea pestis injustitiæ naturalis est, naturalem habens causam, ita non ejus vim sed hoc tantum mirari deet, quod Divina Nemesis pro magna sua misericordia & longanimitate statim non sinit istam sentiri, emendationi locum relinquit.

III. Justitia unde dicta sit, non sumus solliciti. Credunt alii nomen habere, seu quia jus in medio sit, vel quia vim sistit, seu quia juris velut status est, seu quia jus statuit. Nobis petinde erit, etsi. posterio-rem etymologiam præferimus. Non eodem modo dicitur. Aliquando pertinet ad actum, & hunc justum. indi.

indigitat, *Psalms. 4. v. 6. Sacrificate iustitiam h. e. facite iusta. Matth. 8. v. 15. Sic decet implere omnem iustitiam.* In quo significato utitur Imp. in l. 3. c. de Adm. Tut. *Quod à tutoribus bona fide erogatur, potius iustitiam, quam aliena auctoritate firmatur.* Aliquando jus ipsum, quo sensu Jctus in l. 13. § 2. ff. de Excus. Tut. iustitiam naturalem pro jure naturali accipit. Aliquando pro habitu accipitur, & quidem vel generatim, pro omni eo bono, uti hæc significatio in sacra scriptura frequens, sicut ita Sapientia de illa loquitur, Proverb. 8. v. 20. *In viis iustitia ambulo,* vel specialius pro virtute, quæ jus in vita humana colit, exercet & dispensat. In qua acceptione ad jurisprudentiam propriè pertinet, & nostri studii est.

IV.. Justitiæ duplicem speciem Moralium Magistrum faciunt: Universalem & particularem. Utraque sic in ipsa re invenitur. Illa est complexus omnium aliarum virtutum, uti de ea sonat versiculus Theognidis: *ἐν δὲ δικαιοσύνη σὺδδλήβδην πᾶσ' ἀρετῆσι.* *Iustitiæ in sese virtutes continet omnes:* Hæc à cæteris separata & specialis virtus est, de externis suum cuique tribuens. Differunt objectis, actionibus, fine. Illa regit, quidquid in rationem justii vel injustii venit; hæc bona malaque externa, in quibus lucrum vel damnum esse potest. Illa quidquid alicujus virtutis est, efficit; Hæc tantum externa distribuit & commutat. Illa in omnibus, quæ in leges veniunt congruum; Hæc in distributione & commutatione æquitatem servat. Unde illa curat omnia, quæ juris, & vocatur νόμιμος δικαιοσύνη, & ei contrarium vitium ἰσωνομία; hæc ἰσότης, ejus contrarium πλεονεξία audit. Aristoteles lib. 5. *Eth. Nicom. cap. 2.* per quatuor argumenta demonstrat, regimen distributionis atque commutationis specialis alicujus à cæteris distinctæ virtutis esse, ut non est alterius

alterius cujusdam, & tamen non rectè circa illud versari in vitiò, eaqve peculiari à cæteris vitiis distincto, cui opponenda aliqua. Pars generalis justitiæ hæc est, unde Aristoteles τὴν ἐν μέρει, & τὴν κατὰ μέρος δικαιοσύνην vocat. Sub illa cum cæteris virtutibus comprehenditur. Juxta illam quod cujusque virtutis est justum, quod contra unamquamque in vitiò, injustum est. Quæ hanc autem non aliud, quam quod externorum nihil vel aliquid inæqualiter & iniqve tribuit. Particularis justitiæ species duplex ab Aristotele constituitur, juxta duplex objectum, circa quod versatur: Alia dicitur Διανεμητική, distributiva, distributionem bonorum & malorum juxta personas & res pro merito æquam faciens: alia συναλλακτική, commutativa, permutationem rerum ad æqualitatem dirigens ab aliis, ab eodem ἐπινορθωτική seu διορθωτική correctoria vocatur. At latiora sunt hæc nomina, quam quæ particularis justitiæ, nec incongruè iis applicanda, quæ universalis. Quidquid justum, id consistit vel in attribuendò alteri, τὸ πρὸς ἀεμόζον καὶ τὸ πρέπον, id quod ei convenit, vel in explendo, quod deest, in quo ἐπινορθωσις seu correctio. Si ibis per omnia, quæ in definitionem juris incidunt, ad alterutrum referre aptum erit.

V. In omni virtute est tum quod mentem aliqujus rectam & virtuosam facit, & exinde aliquem ut virum honestum atqve sincerum; tum quod cum aliis vel inter alios agendum aut omittendum. Illud virtutis habet respectum erga seipsum, ut reddatur virtuosus: Hoc ad alios, ut cuique per singulas virtutes tribuatur, quod convenit. Est diversitas ex fine & modo isti virtutem applicandi. Quem exponit Aristoteles lib. 5. ad Nicom. 1. & hæc subjungit: *Quid interest inter hanc justitiam & virtutem, ex iis quæ dicta sunt, innotescit; unum enim & idem sunt, sed esse non est idem:*

Dd

qua-

quatenus est ad alium, justitia est, quatenus autem habitus aliquis talis, virtus simpliciter est. Quod vocatur hic esse, non denotat essentiam, ac si hac differret à justitia virtus, quod absurdum, & per ea refutatur, quæ ostendunt justitiam esse virtutem & virtutis speciem, inque hac illam comprehendi; sed respectum, seu considerationem diversam, juxta quam in virtute spectatur aliter ut hominem efformat, aliter ut actiones inter homines regit. Quorum illud virtutis est, ut simpliciter sic consideratur; hoc ut materia justitiæ sit inter homines.

VI. Universalis justitia est tum juris finis, tum jurisprudentiæ objectū. Aberrant valdè & non parū de jure tollunt, qui jus & jurisprudentiam ei speciei, quæ particularis dicitur, tantum addicunt. Non hoc saltem, ut in exterioribus istis tribuendis æqualiter versemur, jurisprudentiæ est, sed ut erga DEum, hominem quemvis alium, & nosmet ipsaque rectè nos geramus. Nec de illo tantum, sed de hoc leges conduntur, & condi necesse est. Consentiunt Philosophi, qui legitimam justitiam particulari sæpe opponunt; justitiæ studiis in curia, foro, domibus dediti facile reperiunt, quam quæ justa & injusta dicenda multo latius patent. Inspicias, quæ Justinianeæ jurisprudentia exhibet, & reperias, quam multa eorum complectitur, quæ extra particularis justitiæ objectum & fines existunt. Et tamen illa strictius longe est his, quæ ad justitiam pertinentia addi debebant. Indicant idem præcepta juris, quæ ex Ulpiano in Instituta retulit Imp. Justinianus: *Honeste vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere.*

VII. Definitio justitiæ varia à Philosophis traditur. Aristoteles *5. Ethic. ad Nicom. 1.* definit, *habitum, quo homines idonei sunt, ad agendum ea quæ justa sunt, eademq;*

eademq; etiam agunt & volunt. Convenientissima, non minus est, quam Icti sequuntur, tradente eam. Ulpiano in l. 10. ff. de Justit. & Jur. quod est *Constans & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendi.* Ad illum rectè intelligendum meretur plenius exponi, veluti quas exprimit, potissimas justitiæ proprietates. Prius præmittendum est, cujus illa sit, universalis an particularis. Huic à plerisque assignatur, præsertim iis, qui ultra Philosophica studia in jurisprudentiam, non sunt progressi, ideo hujus tantum esse opinantur, quod particularis est. In quo quam errent, jam ostendimus. Continet definitio, seu pertinet ad id omne quod juris est. Hoc latius est eo, quod justitiæ particularis, & ad omnes virtutes ut coluntur, in ordine ad alios spectat. In contrariam mentem alios abducunt verba, *jus suum cuiq; tribuendi*, tanquam huic propria, sed non rectè intellecta. Discrimen est, an dicas suum cuique tribuere, & jus suum tribuere. Illud si de externis bonis acceperis, specialis virtutis opus est; Hoc autem longè amplius. Nam jus cuique suum, tribuitur, non modo in bonis externis, quarum distributionem vel commutationem dirigit particularis, vel in negociis, quæ cum aliis ad communicationem intercedunt, sed in omnibus, quæ justitia regit, seu DEO, seu cum hominibus, seu secum res sit. Ut cuiusque jus est, sic justitia tribuit per omnem quæ unquam est virtutem. Et hæc est illa universalis, cui soli non particulari convenit illud generale, ut jus cuique suum tribuatur. Eam sententiam tibi suggerit Ictus Ulpianus, & post eum Imp. Justinianus, uterque sic definiens, ut voluere libris suis expositum. Ea vero est universalis illa, non particularis, quæ latius se extendunt leges voluminibus Justinianeis comprehensæ.

VIII. Proprietatum justitiæ ex ista definitione.

Dd 2

prima

prima est, quod voluntatis habitus est, quomodo Philosophi illam definiunt. Icti Romani Stoicam sectam secuti, in definitionibus sæpè coarctant voces, ut rem ipsam dicant pro ejus qualitate, quomodo Ictus *in l. 86. ff. de V. S.* servitutes dicit prædia qualiter se habentia, quæ sunt qualitates prædiorum. Ita simpliciter pro voluntatis habitu voluntas ponitur. Scita sunt, quæ Aristoteles lib. 6. *Ethic.* discurret, de tribus quæ in animo sunt, Sensu, Mente, Appetitu. Quorum prior recipit ad actionem quod occurrit, in ipsam tamen nequidem per modum principii venit. Altera notitiam ejus quærit de veritate & falsitate intenta, quo de ea cum ratione certa fiat. Posterior incognitis bonum malumque spectat, illius prosecutione, hujus fuga. Hic subjectum virtutis vitiique est, quæ in ea animi potentia resident, in & ex qua actus sunt, quos probant vel improbant. Sic & justitiæ in illa sedes est. Eo pertinet Aristoteles *lib. 3. Ethic. 1. in pr.* cum definit habitum quo justa volumus, illam dicens. Non contenta illa intimiore justorum scientia & contemplatione, sed praxin requirit, rectitudinem actionum respicit. Non ideo justus quisquam est, quia justa scit, intelligit, de iis ratiocinari & disputare valet; sicut nec ideo injustus, quia in illo justii nullæ aut modicæ scientiæ, sed quia juste agit, nec nisi ea vult è contrario injusta fugit. Ad quod requiritur dextra electio, & ad res factæque applicatio. Absunt à justitiâ longè, qui multam juris scientiam sibi comparant, ea sola turgidi, cum nescii velle & agere justa, ut inter Studiosos juris non pauci in hoc deficiunt, in illo scioli, juris scientes sine justitiâ, & Doctores juris sine jure, nempe ut verè hoc nomen in respectu ad justitiâ se habet.

IX. Secunda ut perpetua sit, non patitur intervalla

valla. Continuum poscit juris observantiam. Quo veterum spectat dictum, quod refert Julianus Epist. 21. χρόνος δίκαιον ἀνδρα δείκνυσσι μόνον. *Justum virum longa arguit dies.* Hipparchi monitum hoc refert Plato in Lys. columnæ insculptum, σεῖς δίκαια φεγεῖν, *Perge justa curare.* Cum interruptitur desinit. Non sinit se salvâ injuste quidquam fieri. Ob stare videtur, quod Aristoteles 5. *Ethic. cap. 6. & 8.* tradit, non esse injustum statim, qui injuste facit. Sed discernenda est injustitia actus & personæ seu animi, quomodo est ejus vitium. Illa sinit dicere in actu hominem egisse injuste, at extra ejus respectum eundem justum esse. Illud statuitur ex actu, nec ultra illum facit injustum : Hoc autem ex habitu animi : Quem servat voluntas de cætero. Ea mens ejus, uti Philosophi plenius exponunt, fuit, justum & injustum censendum ex habitu, nec aliter habendum, quam ubi ex hoc fiunt, qui uno alterove actu non existit. Juxta illum sic quidem statui potest, virtutem & vitium non esse de eo, qui habitum non contraxit prædicandum. At quod cum injuste agitur, juste in eodem maneat, qui alias justitiam amat, vel cum aliquando juste non injustus sit, quia semper alias injustitiam exercet, absone dicitur, nec magis congrue, quam furem non esse, licet semel furatur, aut non intemperantem, qui aliquando crapulæ indulget. Nomina vitiorum usu vulgari capiunt, sed non merentur, qui non habitu sed actu peccant, quia virtutis habitum quidem deturpant, at non interruptunt. In eo itaque Aristotelem sequimur, ut bene distingventem, quod non omnis qui injusta agit sit injustus, quia etiam illa illæsa justitia & sine vitio fieri queunt, veluti si ab imprudente in vitio ignorante committuntur. Injusta agens non est injustus, nisi & injuste faciat, quomodo malum faciens

malus non est, nisi & facit male. Illud est nudi facti, hoc animi. Deinde & ea ejus doctrina ratione nititur, quod semel injustus, etsi in facto injusto negligit justitiam, de cætero tamen justus manere potest, talisque censendus, modo justis actionibus delectetur, de injuste actis doleat & desistat: in facto turpi virtus non est, non tamen ex eo virtutis nomen magis quam habitus definit. Quomodo injustus homo ex semel iterumque juste factis non fit justus, ita nec justus ex paucis injustis talis esse definit, ubi porro virtuti cedit. Perpetua voluntas est justitia, ut ejus habitus, ideo per illam fit, ut & injusta agens non injustus sit, & injustè agens illa manente perpetua si non continua justus esse non cesset.

X. Tertia proprietas in constantia, unde constans voluntas definitur. Ex ista sic describit Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. *Justitia quadrata est, omni ex parte æqualis & similis in verbo & facto, in abstinentia à malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nunquam ullo modo claudicans.* Omnis virtutis eam propriam dicit Cicero 1. de Legib. *Virtutem ait constantem & perpetuam ista rationem.* Pro ista necessarium primo pertinax & indefinens studium, non alia nisi justa volendi & agendi. Macrobius 1. Somn. Scipion. cap. 8. *Justitia est, cum superna & divina mente sociari, ut servet perpetuum cum ea fœdus imitando.* Deinde incessabile propositum nunquam alia ac quæ talia faciendi. Desciscens ab isto voluntas injustum reddit, etiam non injusta agentem, quia ejus ut subjectum, ita censura in voluntate. Porro omnis possibilis diligentia justa perficiendi. Nec enim sufficit cogitare & intendere, sed omni conatu & labore contendere, ut rectè pleneque constent. Cui consequens cura justorum impedimenta omni ope removendi. Tandem &

& hoc congruum, ut pro justitia nihil mali reformidetur, justusque miserrima quævis mortemque ipsam patiatur potius, quam ut injusta faciat, aut promoveat, exemplo Papiniani, mori quam parricidium defendere malentis. Cicero lib. 1. de Legib *Nemo justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet, aut qui ea quæ contraria sunt aequitati anteponit.* Offic. 1. 3. *Bono viro id tribuit, ut præferat mortem injustitiæ. Quanto magis ubi illuc redigitur, ut aut tolerandæ aut inferendæ sunt injuriæ, prius præferendum.* Ita docuit Socrates apud Platonem in Georg. *Inferre injuriam malorū omnium maximū est. Si necesse foret aut facere injuriam, aut pati, accipere injuriam quam inferre malim.* Sequitur Aristoteles 1. Rhetor. 7. *Melius injuria affici, quam afficere: Id enim justior eligeret.* Plura de eo monet & s'vadet 5. Ethic. cap. ult. Ciceronis simile dictum, 5. Tuscul. quæst. *Accipere quam facere præstat injuriam.* Constantiam injustitia non possibilem homini esse objicitur ab aliis, ut definitionem proprietatemque ejus disputent. At ideo inepte, quod infirmitas humana non sinit assequi ejus perfectissimum. Ita tradunt sapientes virtutum definitiones, ut sunt, & exhiberi debent, nec ideo minus tales sunt, quod in opere non præstantur. Aliunde venit, quod illuc pervenire non sinit. Abest à vitio, quatenus non per voluntatem fit. Hujus constantia ad virtutem inter humana sufficit. Nec illa impossibilis. Manet etiam cum ad injusta aberratur aut præcipitatur. Eamque ostendit tunc & pœnitentia, & maturus ad meliora reditus. Sic moralia consideramus & accipimus, ut cadere possunt in hominem, seu juxta humanam conditionem, civiliter seu in sensu morali. Quomodo etiam accipienda sunt, quæ Philosophi Peripatetici de virtute perfecta in vita perfecta, quam summum bonum dicimus,

scribunt. Nec tamen ideo putandum, de justitia nos loqui in abstracto, uti eò qui aliter conciliare nequeunt, recurrunt, sic non ens erit: Ut in concreto nominari potest, & sic Jcti tractant. -

XI. Quartum justitiæ proprium est in tribuendo cuique jus suum. Distributrix juris est. Præcipuum in hoc officium ejus. Observa, non in suo tantum cuique, sed jure suo tribuendo occupari, quæ differunt. Est aliquando quidquam suum, quod tamen ei non tribuendum, quia jus ita non finit, dum recipiendi jus non habet, aut habere non debet. Exemplum exhibet Jctus Tryphoninus *in l. 31. pr. ff. Deposit. in Gladio furiosi*, etsi ejus sit, non reddendo. Pluribus ex causis fieri potest, ut & suum cuique non tribuatur, tamen jus tribuatur, quod etiam est in illo denegando aut demendo, sicut per pœnas fit, quæ jus tribuunt, ac multum ex suis auferunt. Juris nomen hic latissimè accipitur pro eo, quod alicui secundum jus, qualecunque sit, naturale vel positivum debetur. Quo respicit illud Aristotelicum 1. Rhetor. 9. *Per justitiam habere singulos sua, ut lex jubet.* Deberi intelligimus, quod cujusque virtutis est, in qua nullâ non est quod debeat, quatenus est aliquis ejus ad alium respectus & moralis necessitas, cujus moderamen assumit justitia, cum se in cæteras virtutes intromittit. Est ideo latissimum justitiæ opus, non particulari tantum, ut supra scripsimus, justitiæ deditum (qui magnus multorum error est) sed & omni honestati, de qua primum juris præceptum est. De qua ut jus, ita quoque ad illam justitiam pertinere consequitur. Aristoteles, qui 5. *Ethic. 2.* suum cuique tribuere particulari saltem justitiæ tribuit, aut tantum intelligendus, ut fere verba loquantur, de bonis exterioris, cum dicit versari, *ἄλλοις ἢ ἑαυτῷ καὶ ἄλλοις ἢ ἑαυτῷ*, quæ sunt istius proprium ob

objectum, & uti etiam supra indicavimus, differunt à jure, suo cuique tribuendo, quod illis multo latius; aut non tanti faciendus, ut rectiora, propter illius autoritatem, utut magnam, tamen ratione non majorem, deseramus. Quousque leges se extendunt, eo porrigitur jus suum tribuendi debitum. Non potest movere, quæ fit ex virtutibus, quarum nulla necessitas, ideo nec jus aliquod tribuendum est, objectio. Quatenus aliquid earum est merè arbitrarium, ad justitiam non pertinet. Ubi ex ratione in eas incidit æquum & bonum, justitia complectitur. Hujus circa illas opus quoddam existit in tribuendo cuique suum, non modo juxta præcepta, sed etiam rationem, quæ legis vice est.

XII. Quintum justitiæ est, respicere tam ad se quam ad alios, seu ut cum aliis communicatio intercedit, quo nihil non juxta regulas suas cuique suum contingat. Etiam cum qua se justum definiendum, fit in respectu qua alios. In eo justitia, quam universalem dicimus, à cæteris, quas tamen comprehendit, virtutibus discernitur, quod potissimum tendunt ad hominum animum moresque componendum, ut ipsi sint virtuosus, quod inde aliis evenit, per consequentiam bene compositi proficiscitur. Illa principaliter societatis & in ea hominum rectæ conversationis regimen respicit, ut quod virtutum est, juste in ea exerceatur. Ita hæ ipsius hominis dicuntur, illa in actionibus cum aliis spectatur. Bonum inde alienum audit, quomodo & vocat Aristoteles *5. Ethic. 1. ἀγαθὸν πρὸς ἑτερον καὶ ἀλλότριον lib. 3. Polit. 8. ἀρετὴν κοινωνικὴν* virtutem quæ cum aliis communicat: Cicero *Justitia tota foras projecta est.* Macrobius lib. de Philosoph. *Virtus cum foras spectat, ut fida speculatrix alienæ utilitatis, justitia nominatur.*

XIII. Sexto, quod omnium virtutum proprium

& formale est, quod consistunt in mediocritate, ad omnem requiritur justitiam. Dionysius Halycarnassensius ita de hoc fatur *lib. 8. Antiq. Roman. Videtur verum esse illud ab antiquis dictum Philosophis, mediocritates non extremitates esse morum virtutes, praesertim justitiam* Nam sive infra modum sit, seu excedat nimium, parum prodest: interdum etiam quosdam in graves calamitates mortalesq; miserabiles & insanabilia exitia conjicit. Marcio sane nihil aliud exitium attulit, ceterarumq; virtutum fructum abstulit, quam summa & exactissima justitia. Judicatum id à veteribus, cum emblemate virginis, altera enssem, altera libram tenentis, illam depingentibus. Expendere ejus est, at hoc solum rectum, quod utramque scalam facit rectam, in medio nihil excedens. Plus vel minus ejus in vitio est. In eo vel excessus vel defectus injustitia fiunt, & uno hoc nomine continentur, cum extrema aliorum vitiorum duplex habeant. In omni enim injusto utrumque concurrat, injuriam facere, quod est τὸ πλεονεχθῆν, & pati, quod est τὸ ἐλατθον ἔχειν. *Mediocritas ista, si naturam virtutum absolutè spectes, in puncto consistit, à quo quidquid devium, in vitio est. Angusta virtutis via, vitiorum latissima. Arduum mediocriter se habere, ut Aristoteles inter problemata habet, Plutarchus περὶ παιδείας ἐν τεχνον τὰ τὴν μέσσην ἐν ἀπάσι, πέμνειν ἐμμηλέεσσι.* *Artis est in omnibus mediam viam tenere accuratissime.* Ut ut vero juxta verba Polybii *lib. 16. Histor. in omni re difficile invenire terminum, ubi sistas,* non tamen plane ejus inveniendi negata est facultas, ut virtutes in hac vita, sub imbecillitate & corruptione humanitatis, inter depravatos mores & indomita vitia, semet exerceri sinunt, medium in quo tales sint consistuere. Inde latius redditum est illud punctum, aut cum latitudine accipitur, sicuti sub inspect. *præced. 7. num.*

21. *exposuimus.* Quæ in quæstione de justitia præprijis ita obtinent.

XIV. Septimo justitiæ propria est æqualitas. Quam rem justissimam esse Agrippa dicit apud Dionem lib. 52. Philo in lib. quis rer. divin. hæres, ἰσότης δικαιοσύνης τοῦ ΦϞ, *æqualitas justitiæ nutritrix.* Respicit illa omnem personarum respectum, omnes eadem æquitate continet, paribus in causis paria jura desiderat & tribuit. Non potest manere talis, ubi in alio alia est, quam aliquando fuit, quia una semper sibi æqualis & æqua in omnes. Aristoteles 3. Polit. 8. *Æqualibus æquale jus esse oportet.* Talia itidem decent ministeria seu instrumenta justitiæ, Leges & Judicia. De illis Cicero 2. Offic. *Leges cum omnibus semper unâ & eadem voce loquuntur.* De his Sisimithres apud Heliodor. lib. 1. *Fastigia dignitatis non respicit æquitas, sed is regnat in judicio, qui probabilioribus rationibus nititur.* Quo quid ab æqualitate recedit latius, tanto de injuria suspectius, odiosus & iniquius habetur. Inter dubia itaque justitiæ id semper propius existimatur, quod magis æqualitatem servat & reducit. In hac justa cujusque fundata reputatur intentio, eiq; inhæretur securè tanquam juste, ex quo proficiscitur, quod inæqualitatem exigenti obstat juris præsumptio, etsi justum obtendere velit, justitiam ejus ex congrua ratione probare opus habeat.

XV. Modus servandæ æqualitatis non semper patet. Et ipsa aliquando est inter inæqualia, haud tamen inæqualis, dum intercedit, quod æquat & jus idem facit. Quod considerandum & servandum est ex proportionem inter illa, quæ æquantur. Aristoteles in Ethicis scriptis valde sollicitus fuit in æqualitate circa justitiam recte formanda, & proportionem constituenda. Omni omnia non posse ævari prævidit, ideo ad Mathematicorum doctrinam, & in ea propor-

tionis

tionis recepta genera, respexit. Ut illi hanc duplicem faciunt, Geometricam & Arithmeticam, quarum illa inæqualem distantiam sed æqualem progressum habet, sic proportionans, quod ut se habent duo ad quatuor, ita se habent quatuor ad octo & sex ad duodecim, quod ut binarius bis est in quatuor, sic hic duplicatus in octo, & quia sex similiter in duodecim. Hæc æqualem distantiam & progressum, qualis est proposito in numeris II. IV. VI. VIII. quorum simile utrumque priorem Aristoteles ait propriam justitiæ distributiæ, quæ versatur circa commoda, onera aliâque communia, singulis civiû juxta diversam conditionem, & quidem eam, quæ in talibus spectatur distribuenda: Posteriori commutativæ, quæ regit debita seu voluntaria seu invita. Ethici non modo sed & Jurisconsultorum plerique sequuntur istam distinctionem. Johannes Bodinus *lib. 6. de Republ. c. fin.* non sufficere utramque; illam putat, sed superaddit aliam, Harmonicam nempe, quam & Musicam, vocat, velut Musicis sœvetam. Quæ singularum specierum sunt, & quomodo in persona & rebus applicatio fiat, prolixè ab aliis exponitur. Non tanti faciendâ puto; ut multum studii iis impendatur. Citius errorum aut intricacionum causa erunt, quam ut explicent æquabilis justitiæ rationem. Si exactius expendis, nec semper Geometrica congruit distributivis, nec semper Arithmetica commutativis. Quam sæpe civitas salva justitiæ lege commoda & onera distribuit Arithmetice: Aliquando & præmia. Et singuli donationes & legata sic dant non injuste. In plerisque talium nec jus est aliis tale, ex quo injuria argui queat, etsi non Geometricè proceditur: Vicissim & commutativæ aliqua comparatam proportionem, qualis Geometrica est, exigunt, uti in societatibus evenit. Non desunt exempla alia. Absurditatem proportionum

num

num indicat Magister Cyri, qui cum hic puero minori tunicam minorem sed alienam, majori contra majorem attribuisset, sic discernit: Tunc quidem ubi constitutus esset arbitrator ejus, quod cuique conveniret, ita agendum esse: At ubi judicandum, utrius esset tunica, id spectandum, utra possessio justior, eumve rem habere, qui vi abstulisset, an qui fecisset aut emisisset. Intermiscentur etiam sæpius, quæ utriusque speciei sunt, & inter tam infinite varia, quæ ad justitiæ cynosuram deferuntur, impossibile quæ mathematicæ certioribus addictæ disciplinæ circa proportionem conveniunt, ad jurisprudentiæ regulas transferre. Melius à talibus, quæ certitudinem perpetuam non habent, in applicatione juris, quod certum esse & alia certa efficere debet, abstrahitur & tutius juris ratio sola indagatur & consideratur. Approbamus eorum sententiam, qui Philosophis relinquentiam putant istam distinctionem, quia in abstracto magis quam concreto justitiam speculantur, ideo facilius fingunt & depingunt, quam facere & præstare licet. *J*ctis, quorum in praxi ars consistit, quod rebus & negotiis mundi convenientius, spectandum cavendumque, ne per artem magis involvantur quam explicentur ad justitiam pertinentia. Non sine provide consilio fit, quod qui hodie Jurisprudentiam tractant, inter sua studia nihil talium habent.

XVI. Latissimum est justitiæ regimen, ad omnia pertinens officia, quæ DEO hominibusque debentur. Quidquid est in humanis, Justitiæ subest, & ex justitiæ Regulam habet. Eo usque pertingit, quo jus: Et in quod jus homines devincit, in illo justitia operanda est. Supremum jus est, quo DEO sumus devincti. Ut DEO in nos jus est, ita in nobis erga ipsum jus est, ex quo ipsi tenemur. An vero vicissim in DEUM nobis ita

ita jus sit, ut justitiam ejus erga nos poscere possimus? disputatum olim & hodie. Qvi societatem aliquam inter DEŭ & homines præsupponunt, ita sentiunt. Disserit de ea Philo in lib. ἀνετηφῆ Νῶε, & ita quidem ac si quæ justitiam sit inter DEum & homines quædam æquatio juris. At recte considerantibus nulla est ea per naturam, sed saltem ex gratia per fœdus, in quod ipse descendit. Ex hoc suam promissionem sanctam fecit, homini autem legem dixit servandi omnia sua jura, præsertim ad fœderis conditionem pertinentia. DEus justus quidem, ut essentia sua, ita & in homines. At sine horum aliquo jure, quod nec aliud habere possunt, quam à DEO, ideo ipsius liberrimo arbitrio adhuc relictum, ut & sine sui vinculo, quomodo summos terrarum dominos suis legibus solutos sentimus. Ut justus, sibi ipsi lex est & norma, non adstrictus ultra quam velit, quia autem sic benignissime vult, jus quasi nobis petendi gratiose concedit, non si nolit, quia & nolle potest pro sua superiore justitia, ut ab invito exigendi. E contra vero homo obligatur DEO, ut superiori, nec potest non justa DEO secundum suam legem præstare, aut si non negligit coerceri. Nec modo in eo nulla est æqualitas, sed nec vere communio, quæ societatis propria. Non inter DEum & homines ea dicitur recte, nisi κατὰ χεῖρας ἰσῶς, & ad quandam similitudinem, sine tamen jure mutuo aut pari. Ciceronis lib. 1. de Legib. axioma est: *Inter quos est communio legis, inter hos est etiam communio juris.* Sed quæ unquam lex facta DEO hominique communis? Omnis DEI superioritatem habet exclusam. Nullius similis juris communicationis argumentum est, quod in DEum peccatum nunquam cadit, nec ab homine, etiam cum acerba & tristitia infligit, arguendi facultas est. Quod David, indica Psalm. 51. v. 6. *Tibi soli peccavi*

cavi, & iniquitates mea coram te, ut justificeris cum loqueris, & purus sis cum judicaris. Quando DEus apud Esaiam cap. 1. v. 18. ad judicium veluti se offert dicens: *Venite & disceptemus*, non homini erga se jus, sed si servant sua mandata, gratiæ Patribus promissæ certitudinem, suamque ab eorum pernicie alienam mentem, indicat, quod perdere nolit, se ipsos per crimina non perdentes. Quæstio parum pietatis memor est, disputans, an sicut se homo habet ad hominem, ita respectu moralium actionum DEum ad hominem se habere necesse, sic eademque utrobique sit actionum norma: Impia plane sententia, quæ sic asserit, DEI amplitudinem, potentiam, libertatem. E contra hominum conditionem ignorant, aut non recte considerant, qui aut DEO certi juris erga hos necessitatem, aut his in illum facultatem statuunt. Juste ille omnia agit, sed pro essentia sua, & voluntate justissima, sine juris vinculo erga hominem, liberrime. Hic à DEO, quæ capit vel petit, obtinet sine suo merito & jure, per gratiam benignissime. Iis quæ nobis DEus revelavit contenti, Scholasticis otiosis scrupulosius de eo vanitates relinquimus. Inter homines juxta justitiam est juris communicatio æqualis inter æquales, inæqualis inter inæquales. Sequitur ista societatis modum, & ut in ea homines differunt, sic & justitia diversa tribuit. Aliud justum est ex æquo inter se viventium, aliud eorum, qui regunt & reguntur. Aristoteles *lib. 5. Ethic. cap. 6.* justitiæ non convenit sententia, jus tantum esse inter liberos homines & proportionem aliqua æquales, ita ut possit inter eos esse vicissitudo dominandi & parendi, unde infert illud inter domesticos non esse ideo, nec locum habere in liberos, uxores, servos injuriam; cum justii aliquid de iis dicitur, καὶ ὁμοίῳ ἡα sic vocari, & quæ sunt simi-

similia. Idem fere est, quod ab aliquibus dicitur, *Wetber und Bauren müssen kein Recht haben/ wann es recht zugehen soll.* At licet eorum, quæ jus constituit inter, dispares, inæqualitas est, haud tamen ideo jus deest, aut saltem est improprie. Leges non tantum, quas natura sed & Civitates de domuum ac domesticorum appertinentiis constituerunt, & quidem de officiis mutuis, indicant non minus inter eos jus esse, & justitia regendos, quam qui in iis præsumunt & subsunt. Quæ sunt inter illos, non modo officiorum vicissitudines ex legum præscripto, sed & cum peccatur actiones, jus & injuriam inter eos evincunt. Totus orbis reclamatur, cum jus & jurisdictionem non minus in domesticis & circa domestica, quam alia requirunt, & exercent. Aut subtiles sunt in eo Aristotelici, aut contra vulgarem usum inutiles. Nihil non est mundo seu inferius seu superius, quod non jure colligatur, justitiâ sustinetur.

XVII. Justitiæ finis est sibi ipsemet. Ideo data est & colitur, ut in rebus omnibus divinis & humanis servetur. Ita bonum est per se expetendum. Assecuta est finem, cum exercetur. Utilitatem post se relinquit in vitæ innocentia, bono societatis ordine, omnium tranquillitate, cujusque indemnitate. Cicero de Legib. lib. 1. scita de eo scripsit, postquam hanc thesin ponit: *Sequitur ut conclusa mihi jam sit hac omnis ratio & jus omne honestum sua sponte expetendum & per propterque, secolendas virtutes; post alia exempla addit: Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum, & æquabilitas, & justitia per se expetenda. Quid nisi iam est justitia, nulla est. Id enim injustissimum ipsum est, justitia mercedem quærere. Quid vero de modestia? quid de temperantia? quid de continentia? quid de verecundia, pudore, pudicitiaque dicemus? Infamiane metu*

NON.

non esse petulantes, an legam, & judiciorum? Innocentes ergo, & verecundi sunt, ut benè audiant, & ut rumore bonum colligant, erubescant, & pudet impudica loqui. Ac me istorum Philosophorum pudet, qui nullum vitium vitare, nisi iudicio ipso mulctatum putant. Similia plane habet Seneca Epist. 113. in fin. Doceat quam sacra res sit justitia, alienū bonū spectans, nihil ex se petens, nisi usū sui. Nihil sit illi cum ambitione famaq; sibi placeat. Hoc ante omnia sibi quisq; persuadeat, me iustum esse gratis oportet. Parum est adhuc; illud persuadeat sibi. Me in hanc pulcherrimam virtutem ultrò etiam impendere juvet; at tota cogitatio à privatis commodis quam longiusimè aversa sit. Non est quod spectes, quod sit justa rei præmiā majus, quam iustum esse. Illud adhuc tibi affige, quod paulò ante dicebam: nihil ad rem pertinet, quam multi æquitatem tuam noverint. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloria. Non vis esse justus sine gloria? at me hercules sapè justus esse debebis cum infamia. Et tunc si sapias, mala opinio bene parva deletat. Deturpat præstantissimam virtutem merces, pro qua juri operam dari ideo inter improba habetur. Quod Ulpianus in l. 1. §. 5. ff. de Extraord. cognit. eo produxit, ut ne juris civilis quidem professoribus jus dicendum putet, addita hac ratione: Est quidem res sanctissima civilis sapientia, sed quæ precio nummario non sit æstimanda, nec debonestanda, dum in iudicio honor petitur. Sinit tamen ab initio offerri, addito, quædam etsi honestè accipiuntur, tamen inhonestè petuntur. Declarant mentem, quæ in §. præced. de Philosophis similiter dicit, quod nec ipsis jus dicendū, quia Philosophia religiosa res sit, & hoc profiteri eā oportet, mercenariam operam spernere. Nempe vetat pro mercede philosophiam, aut iusta docere & facere, in ipsa posito fine studii, ex quo sit mercenarium, honorarium seu salariam officii, quod pro ista præstatur, non-

prohibet. Interest inter solatiū laboris & mercedē justī, quæ discernit finis accipiendi. Alibi inter leges Professoribus & juridicis istud tribuitur. Ex eadem ratione inter turpia per leges Romanas relatū, judicē, ut bene in bona causa judicet, pecuniam accipere, etsi alias non peccet, sed juste faciat, uti Ulpian. tradit *in l. 2. §. 1. ff. de Cond. ob turp. caus.* Est eisdē justitiæ conditioni consequens, circa ipsā non respici ad utilitatem, ultra quam congruit ejus rationi. Etsi enim, uti superius scriptū, in justo etiam aliquando quærendæ societatis hominumq; in ea utilitas, tamen non aliter, quam ob eam justum est, non ut ob ipsam justum fiat alias injustum. Utilitatem justitiæ finem facere, hoc est ipsam corrumpere & pene è civitate tollere, uti edocet Cicero lib. 1. de Legib. *Si justitia sit obtemperatio legibus scriptis institutisq; populorum, & si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt, negliget leges eaq; perumpet, si poterit is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore: ita sit, ut nulla omnino sit justitia, si neq; natura est; ea quæ propter utilitatem constituitur, utilitate illa sublata convellitur.* Alibi lib. 3. *Offic.* ostendit ex eo, quod ad utilitatem ut finem convertitur, esse scaturiginem omnium vitiorū, & tandem veræ justitiæ exilium, reipubl. pestem. At justum utilitati attemperare, & facere, ut & quod justum utile, & quod utile justum sit, ut sine violatione juris licet, id jurisprudentiæ opus, justitiæ nullatenus contrarium nec nocens.

XVIII. Justitiæ pars Æquitas est. Nec enim tantum cum ipsa habet cognationem, uti Aristot. lib. 5. *Eth.* ait, aut asidet justitiæ, ut Diogenes Pythagoreus dixit, *justitiæ assessores esse Æquitatem & Clementiam*, sed ipsamet est justitia, quæ non est talis nisi simul æqua, nec istā à se divelli sinit. Cicero 1. *Offic.* æquitatem justitiæ maxime propriam esse scribit. Errant, qui utramque separant, aut sic tanquam diversas species discernunt. Quod proficiscitur ex confusionē juris & justitiæ. Non ita

huic opponitur, ut juri. Nec & huic aliter, quam ut est strictum, rigidum, durum, inhumanum. Ut de hoc accipiendi sunt juris textus, in quibus juri æquitas opponitur *l. 1. c. de Legib. l. 54. ff. de Pact. l. 16. ff. de condit.* Est ita aliquando aliquid juris, quod non est æquum, & licet spectata lege, quæ permittit, non sit injustum, proprie tamen & vere justum non est, quia vir justus ita facere aut velle non debet, sed de jure illo stricto recedere. Conspicit autem a jure differre æquum bonum, quando lex, quæ generatim cum & de omnibus loquitur, si factio vel casui evenienti applicatur, aut per circumstantias accessorias sit iniqua, aut à mente legislatoris discrepare incipit. In eo deficiit proprie jus, etsi lex de eo loquitur, & quod ex hac jura justumque esse videtur, sit injuria. Illius defectus supplementum æquitas est, quam ita Aristoteles dicit *lib. 5. Ethic. cap. 10.* definit: *ἐπιπέθετα τὸ νομίμῳ δικαίῳ ἢ ἐπιπέθετα δὲ τὸ κατ' ὄλῳ, correctionem juris legitimi (seu ut legis sono comprehenditur) eâ parte quæ per generalitatem suam deficit.* Fit ista per jus naturale seu rationem naturalem, quæ supplet civile jus. Hujus tantum, non illius, sed ex illo, correctio hujus sit, illud est ipsa æquitas, quæ respicit, quod Aristoteles saltem dicit *νομίμῳ δικαίῳ*, juris legitimi seu lege comprehensi. Circa duo æquitas occupata est, quæ ejus officia sunt: Alterum, ut rigorem legis ex mente legislatoris vel ratione naturali temperet, nec cum hæc ab ejus sono differt verbis inherereat, quod Juri de jure suo per æquitatem cedere dicunt, Aristoteles viri boni & æqui dicit; de quo idem *lib. 2. Magn. Moral. cap. 2.* sic loquitur: *Æquitas hominum æquitas est, qui de suo jure cedit, quod ei legibus competit. Nam qui in iis, quæ legum particulatim examinare & ad unguem definire non potest, (in universum enim loquitur) suo jure cedit, idem sequitur, quod voluisset quidem legislator etiam particulatim definire, sed non*

potuit, *is est homo æquus. Quod secus fit, ἀρεσθόδικαον* dicitur, & adeo non convenit justitia, ut inter injurias referatur. Alterum est in dextra & benigna interpretatione verborum, quæ jus dicitur, ut statuatur, quod humanius, cui contrarium *ὀνομασία*, calumnia. Cicero 1. Offic. *Existunt injuria calumniâ quædam, & nimis calida seu malitiosa juris interpretatione. Idem pro Cæcinnâ: Tum auaritia verborum & licentiarum tendiculas in invidiam vocant: tum vociferantur, ex aequo & bono, non ex callido versutoq; jure rem judicari oportere: scriptum sequi, calumniatoris esse: boni judicis, voluntatem scriptoris, auctoritatemq; defendere.* Quomodo in utroq; versandum sit, docebunt, quæ in jurisprudentiæ tractatu habentur pleniora. Disputant Jcti, unde sit æquitas, ex naturali solum, an & civili jure? an sit scripta quædam, an jus mere *ἀρεσθόδικον*; Verû modico usu, & si cum quodam id decernendum est, dextro judicio facile succurret, quam quidem illa potissimû sumitur ex iis, quæ juris & rationis naturalis sunt, quo intuitu naturalis dicitur æquitas, & ratio naturalis appellatur, nec tamen & deesse ejus materiam & argumentum ex civili. Nam & in iis, quæ merè civili ratione constituta sunt, eadem ipsa æquitatem suggerit, cujus collectio quidem fit per naturalem ratiocinationem, quæ malè cum ipso jure naturali confunditur, at id, quod in mitiorem partem concluditur, sæpe ex civili nihilo minus ratione oritur, & civile propterea est. Quod sinant, qui secus sentiunt sibi suggeri ex iis juris textibus, ubi civilis juxta & naturalis ratio sic contra rigorem juris svadere aut monere dicitur. Expressius Ulpianus in l. 1. §. 1. ff. si is qui testam. lib. est. ostendit, ubi vocat *æquitatem aliam naturalem, aliam civilem.* Scriptum jus, si pro eo acceperis, quod in scripturam redigitur, & æquitas non potest non dici scripta, cum multæ æquissimæ leges scribantur, & inter il-

las

illas, quas Romanum jus comprehendit, infinita ex æquitate scripta reperias. Si vero scriptum habes pro eo, quod ex constitutione primitus cœpit, concedimus æqua esse scripturam anteriora, nec jus scriptum rectè dici posse. Pauca vero ejus generis sunt. Nam pleraque legum non faciunt jus, sed quod natura aut societas pro eo dicat, exponunt vel injungunt.

XIX. Justitiæ contraria est injustitia seu injuria, ut generalitèr hoc nomine utimur, *ἀδίκημα*, pro omni eo, quod non jure fit, prout sic generatim illam definit Ulpianus *in l. 1. pr. ff. de Injur.* Jcti Romani specialius deinde suæ artis id nomen fecerunt & appropriarunt contumeliæ seu convitio, quod voce vel factò infertur, Theologi peccatum dicunt *ἀνομίαν*. Ut justitiæ contraria, sic contrarias habet proprietates & effectus. Ethicorum aliqui justitiæ singulare ab aliis virtutibus dicunt, quod cum contra has peccetur in excessu vel defectu, ideo ab utraque parte istarum sint vitia, contra justitiam tantum peccari in defectu; putantes in justo nimium esse non posse, sed ut vulgo loquimur, *Niemand kan zu gerecht seyn, oder zuviel recht thun.* Sed errant. Non excedit quidem justitia, nec nimia est, ut talis, at circa eam non minus, quam contra alias virtutes, in excessu peccatur. Nec illarum ut talium excessus est. Nemo nimis fortis, temperans, liberalis, mansuetus, verax, ut talis: Ideo excedit, quod ab eo, quod virtuti convenit, in nimium dedit. Hoc non virtutis manet, sed vertitur in vitium. Id quod non minus circa justitiam fit. Quæ nimia esse nequit, quatenus intra limites virtutis consistit; at in illis, qui circa jus, dum justii esse volunt, justitiæ limites in nimium excedendo nimis sunt, vitium existit. A quo dehortatur Ecclesiastes hæc sacra sententia: *Noli esse justus multum, neque plus sapere, quam necesse est.* Tale in excessu est *ἀνευθεμία*, quod

quod summū jus dicimus, quam Cicero & Terentius vocat summam injuriam, alius magnam crucem. Non uno modo circa justitiā sub ejus obtentu sic peccatur. In vitio sunt nimius juris rigor, calumniosa legum interpretatio, scrupulosa intellectus earum subtilitas, cæca statutorum observatio, in praxi error, observantia inopportuna & reipubl. noxia. Quorum nihil non fit, tanquam si juste juxta jus ageretur, at excessus justitiæ seu spuria justitiæ sunt, arguentia, quam non modo in defectu, sed & in excessu vitia circa eam existunt, & dum nimium justī esse volumus, nimis injusti reddamur. A quo non minus quam peccato in defectu cavendum. Non minor enim injustitiæ, & injuriæ est, quia potius eo suum non tribuit. Et illuc Aristotelicum quoque pertinet, *ἡ υπερβολὴ κακόν*, quod Quintilianus lib. 8. cap. 3. ita reddit, *Vitium est ubi, quod nimium est.* In eo saltem differentia, quod in nimio, quam in eo vitium minus cernitur, ideo vero periculosus agitur. Isocratis dictum legitur ad Nicol. *Optimum cæcæ quid est, servare modum: sed quoniam is non facile cognoscitur, malia citius resistere, quam ultra progredi: Mediocris enim via magis in ea quod parū, quā in eo, quod nimium, est cernitur.*

XX. Inter justitiā & injustitiā utrum medium quidquam intercedat, in quo non peccetur, à nonnullis disputatum reperimus. Magis tamen ex errore per vocabula justī & injustī non rectè intellecta orto, quam ut quisquam hæc dextrè accipiens de eo sic existimare queat. Superius *Dissert. 7.* ostendimus, qualiter sunt quædam naturaliter & civiliter libera, propriè nec justa nec injusta, sed velut media civitatum, hominumque commodis placitisque relicta, ideo tamen quia non injusta, pro justis haberi solita. Eorum intuitu potest dici esse medium quidquam inter justitiā & injustitiā, nempe non prohibitorū licentiam.

tiam. At quomodo improprie ista nomen justorum assumunt, cum talia verè non sint, utpote ex lege non necessaria, quod istorum proprium habetur, eodem modo & hæc media inter justitiam & injustitiam abusive dicetur. Est ea sententia de tertia, à justitia & injustitia proprie sic dicta differente & aliena, in quam verè non venit de justo disceptatio, quatenus in libertate subsistit. Secus se res habet, quando circa idem objectum de eo quaeritur, utrum inter justa & injusta quidquam medium intercedat, seu ita medie versari liceat, ut etsi justum quod oportet plenè non fiat, tamen & injustum aliquid fieri queat non injustè, si ita fiat ut pro parte justum, pro parte tantum injustum sit. Ut placet aliquando circa eandem rem quædam juris & injuriæ communicatio vel temperamentum. Cujus impossibilitatem Apostolus 2. ad Corinthios. 6. v. 14. docet: τίς γὰρ μέλοζ ἢ δικαιοσύνη καὶ εὐνομία; τίς δε κοινωία θωτι πρὸς ἁμαρτίαν. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* Prohibita quippe, ut talia, & in quo sunt talia, nulla ratione possunt fieri in eadem re licita & non prohibita: vice versa per legem justa ita certi juris facta, in eadem re, quæ jus jubet, non queunt integra lege reddi non justa seu libera. Contraria sic quidem aliquando misceri queant, ut tertium ex iis reddatur, nisi tamen non contrarium, si mixtura valet tollere, in quo est contrarium: sicut in medicaminibus id temperamentum evenit, & aqua calida & frigida miscetur, quo tepida fit. At quæ mixturam non admittunt, aut in mixtura vim non amittunt, aut contrarietatem non tollunt, nec se nec ita misceri sinunt: Ejusmodi sunt virtutes & vitia sic contraria, ut nunquam participant, nec semet compatiantur. Forte regeres, sicut cum aqua frigida & calida mixta tepidam facit, nec frigidam nec calidam manere, sed neutram, & aliquid terni generis, ita

injustum' justo mixtum & si non fiat justum, tamen nec injustum fore, sed ut medium quid consistere. Mixturam etsi ut non frequentem concedimus, tertiamque nescio fere quam anomalam speciem oriri. At cum de eo, quod illicite fit, quaestio est, an ut non injustum fiat, sic jus cum injuria misceri queat? per rectam rationem non potest non negari. Justum injusto mixtum quidem fit injustum, non tamen injustum justo mixtum fit justum. Oritur hoc ex necessitate faciendi justa & ratione justitiae, medio suo tanquam puncto astrictae, à quo omnis discessus fit injustus. Diversitas est, cum quaeritur, an fiat, & an improbe: Quorum illud factum, hoc jus concernit. Fiunt uti Jctus *in l. 12. ff. de Off. Praef.* ait, Romae aliqua, quae fieri non debent. In moralibus non attendimus facta, nisi & sine vitio fieri possint, quia in iis paria non fieri posse per naturam & per justitiam, dum fieri non debent. Non quomodo aqua per naturam ex calida & frigida potest fieri tepida, sic & in justitiae probitatisque tramite tepidum medium habet locum. Nunquam tale esse debet, & si est, non pertinet ad justa. Apostolus Johannes jubetur hoc exponere, Episcopo Laodicensi in Apocalypf. cap. 3. v. 15. *Scio operatua, quia neq; frigidus neq; calidus es, utinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es nec frigidus nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo.* Cense hinc de temperamentis, seu, ut alii vocant, expedientibus, quae multi adhibent circa justitiae exercitium, ad quod saepius recurritur, ubi recta & rigida ejus via reformidatur, aut difficilis est. Quaeritur remedium litium vel medium gratificationis ex tali mixtura, ut jus vel injuria dividatur, & pro parte justa vel injusta fiant, quasi quadam justitiae, injustitiaeque compensatione, tanquam si & injusta & justa omnibus aequa esse deceat, ubi inaequalia sunt, de quibus jus dicendum, quo justitiae rationi nihil magis contrarium, Quibus justa & facere & dicere

necesse est, sic inæer justitiam injustitiamq; mediis & neutralibus, nec secuta conscientia, nec incorruptum jus, nec decus officii remanere potest sub neglectu justitiæ, quæ sine alio respectu personæ aut rerum exercenda est. Nunquam injustum esse licet, nec facere justitiam cum additamento injustitiæ, aut injustitiam legitimare sub pallio alicujus superimpositi justii. Diabolicæ artis est, quod eo modo in prætextum justitiæ affricatur, & qui ei student, imitantur malitiæ architectum, se Angelum lucis simulantem. Error est reputantium, neutri injuriam fieri, dum utriqve pro parte fit, neutri enim fieri debuit, sed utriqve jus dici convenienter. Relinquatur id studium miscendi Pseudopoliticis, qui ejus felicitate sibi blandiuntur, cum scite ut justii utriqve injuriam inferunt. Indignum est jurisperito, qui justa sciens aut scire debens, DEO & sibi sic acturus, ad rationes & vindictam obnoxius redditur: Servus est voluntatem domini aliter sciens & nõ faciens duplex flagellum meritis. Participationis instar habet, quod ab aliquibus in compendium velut judicii assumitur, & mediæ quasi viæ intentum, *quæ fieri nequeunt per viam justitiæ, fieri posse per viam expeditionis*, seu ubi aliquando iniquitatis suæ reus demonstratus reponebat, etsi per viam justitiæ sic fieri non potuit, via expeditionis sustinendum. Nempè quod litem aut præventam aut finitam cupiebat, id quæsitum & quærendum obtendebat. At quia justitia cœli & mundi petendi faciendiq; regulam, jurisdictionis modum, litium exitum in jure posuit, & ex jure hoc reddi jussit, severissima lege hujus observantiam rectoribus & iudicibus injunxit, non magis id excusari potest, quam dici ex virtute quædam posthabenda & supprimenda, ut vitia non amplius culpæ vacet. Apage cum Satanicis istiusmodi justitiæ corruptelis, & justa cum injustis conciliandi mediis, injusti-

tiā mercedem tandem adepturis. Haud tamen refragatur, aliquando posse temperamentum, seu ut vocant, expediens tale & circa justitiam fieri, & per eos, quibus jus curandi & dicendi munus incumbit, admitti imo & promoveri, ubi & juste fieri potest, quod alias est injuria, seu hac ratione aliqua justa obliteratur: nempe si accedit vel libera voluntas istam pati, quam diutius litigare malentis, ut fit sæpè inter transactiones & pacta circa lites, nec enim volenti fit injuria: vel necessitas alias injustorum inevitabilis per justa non declinanda, oppressura nisi equaliter qualiter tolerentur, quia illa illicitū facit licitū: vel injuriam patiendi debitū, ut pro publica utilitate, hoc est & propter hanc nō modo privatas injurias remittere, sed & sua amittere æquum sit. In quibus & aliis similibus hoc spectandum, an quod ad partendum jus & injuriam movere efficere possit, ut injungendum vel dissuadendum accipiat rationem justī, vel ab injuria purgandi vim propitiō jure naturali vel civili habeat. In dubio, quid justum vel injustum præprimis rebus factisque, quibus jus applicandum, existentibus valde intricatis, obscuris & in utramque partem æque propendentibus, ad mediam viam decursus necessarius & æquus est, uti inter illa Juri consulant, medie rem decernere. Cujus exempla Leges Romanæ exhibent plura. In media via justitia tunc creditur, quia in alia injustum non reperitur, sufficitque non injuste agi, ubi justum vel injustum aliud per difficultatem dubiorum certo reperire non licet.

INSPECTIO IX.

De Jurisprudencia.

- I. *Justitia colenda cum singulari prudentia.*
- II. *Jurisprudencia definitio.*

III. *Divisio*

- III. *Divisio & diversa ejus species.*
- IV. *An se in artem redigi sinat?*
- V. *An in Republica sit necessaria?*
- VI. *An expediat esse peculiare, qui profiteantur.*
- VII. *Odiū & vituperium istius & JCozum, hoc undē, an aqum.*
- VIII. *Ad jurisprudentiā necessariā primo rerū natitia.*
- IX. *Secundo justī & injustī sciētia.*
- X. *Tertio rerū justiq, conjunctia.*
- XI. *Proprium jurisprudentie opus.*
- XII. *Functiones ejus diverse, sed raro in eodem subjecto conjuncte.*
- XIII. *Prima in legatione.*
- XIV. *Secunda in gubernatione Reipubl.*
- XV. *Tercia in consiliis publicis.*
- XVI. *Quarta in jurisdictione.*
- XVII. *Quinta in respondendo de jure.*
- XVIII. *Sexta in Causidicina seu Patrocinio litium.*
- XIX. *Septima in doctrina.*
- XX. *De studio jurisprudentia communis.*
- XXI. *De studio jurisprudentia civilis.*
- XXII. *Vitia studii utriusq.*
- XXIII. *Quibus & quando Jurisprudentis seu JCo titulus competit.*
- XXIV. *Jurisprudentia & Politica differentia.*
- XXV. *Questio de JCo & Politici prerogativa ineptē, sicuti apta ut decidenda.*

I.

SUpereſt, ut de jurisprudentia quædam addamus. Prudentiam Aristoteles lib. 6. Ethic. 3. definit, quod est ἐξ ἑκείνης ἀληθείας μετὰ λόγου πρακτικῆ, ἢ τὰ ἀνθρώπων ἀγαθὰ καὶ κακὰ, habitus mentis cum ratione agendi circa ea, quæ homini sunt bona & mala. Est virtus homini maxime propria. Aliquando quidem &

& brutis tribuitur, ob vim illis connatam sibi prospiciendi, uti & facit Aristoteles 1. *Metaph.* 3. At valde improprie, nec ex virtute hæc est, sed ex instinctu nudo. Cicero *lib. 1. de Offic.* ait, *inter homines & belluam hoc maxime interesse, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodq; presens est, se accommodet, paulum admodum sentiens præteritum aut futurum: homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumq; progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusq; presentibus adjungit atq; annexit futuras, facile totius vita cursum videat, ad eamq; degendam præparet res necessarias.* Aristoteles 5. *Ethic.* 6. ait, quod sibi rectè prospiciunt, ex prudentia habere homines. Latissimum ejus objectum est, & circa omnia, quæ vitæ atq; societatis humanæ sunt occupatur, unde Cicero ad Trebat. vocat *artē omnis vitæ.* Aristot. *d. l. 5. c. 8.* dividit & dicit aliam *Φεγνησιν τῆσι αὐτῶν καὶ ἑνῶ* seu privatam, quæ sibi quisq; privatim prospicit, aliam *Φεγνησιν πρὸς ἄλλους*, communem, quæ aliorum bona vel mala respicit. Hanc iterum aliam facit Oeconomicam domesticis, aliam Politicam civilis societatis rebus intentam. Hanc ita subdividit, quod vel est *νομοθετικὴ*, seu *ἀρχιτεκτονικὴ*, legibus condendis dedita, quam dicit jurisprudentiam, vel *πρακτικὴ ὡς καὶ ἐκείνη*, facultas rei publ. administrativa. Hujus duplicem tradit speciem, *βουλευτικὴν*, consultatoriā, quæ futuris, & *δικαστικὴν*, judicariam, quæ præteritis congrua tractat. Si subtilius hæc examinaveris, reperies, quod reprehendes, præsertim quod jurisprudentiam addidit legislatoriæ, cujus non minus est, quæ judicaria; nec consultatoria tantum futuris sed & præteritis consultis: nec judicaria tantum præteritorum, sed & futuri rationem habet: Multo magis legislatoria prudentia. Rectius fiet divisio

visio ex objecto & fine prudentiæ, dum vel commodum & incommodum, vel justum & injustum circa res divinas & humanas tractat & moderatur: Posterior est Politicæ, ut speciatim hoc nomine veimur. Prudentiæ, quæ circa justa versatur, nomen factum est, quod dicitur jurisprudentia, cujus omne illud est, quod ad jus pertinet, quo in omnibus eo frui liceat. Variis nominibus appellatur, nempe scientia legum, ars juris, sapientia legitima; à Græcis *Φιλοσοφία πολιτική*. Disputant etiam Jcti, quid magis congruat, & quod genus ejus sit: sed nullum magis convenit, quam prudentia, tum juxta qualitatem ejus, quod est habitus intellectus practicus, tum juxta usum. Requirit enim juris exercitium, quod per istam est regendum, & in usum convertendum, singularem prudentiam. Provide jus dicendum, ne pro eo surrepat quid alienum, ut sub opinione justii vel injustii tam frequenter quam pernitiöse erratur. Majori providentia jus cum industria didicitum rebus & negociis mundi applicandum, quod cum vel minima ex circumstantia variet, inter infinita & incogitanda circumstantiarum & accidentiũ, quanta circumspeditione opus sit, quamque labi facile, nemo non intelligit. Indicant ejus necessitatem errores circa justitiam, etiam eorum, qui jura omnia se didicisse credunt, & jurisprudentiæ scientiam profitentur.

II. Jurisprudentia ab Ulpiano breviter definitur ars æqui & boni *in l. 1. ff. de Justit. & Jur.* His verbis continetur, phrasi veteribus usitata, omne quod justitiæ est, quæ jus ita vult servari, ut æquum & bonum est. Plenior est ejusdem definitio *in l. 10. ff. ead.* quod est divinarum atque humanarum rerum notitia, justii atque injustii scientia. Etsi non regulis logicorum, rei tamen apta & sufficiens definitio est, comprehendens quidquid ejus est. Jcti in definiendo sufficere putant rem, ut se-
vere

vere habet, descripsisse. Objectum illius sunt res divinae ac humanae: Ut nihil non horum regit justitia, ita quid in his justum & injustum moderari atque attemperare debet. Primum ejus est, res, quæ in quaestione juris incidit, intimius nosse: Alterum quid in iis pro singularum conditione justum injustumque. Prius concernit materiam justitiæ, quæ est in rebus divinis & humanis, ita observandis, ut Deus, natura vel societas vult esse comparatas. Posterius formam in congruentia faciendi committendive cum iisdem, quæ est justum injustumque. In utroque ut recte se cuncta habeant, juxta naturæ vel civitatis ordinem, jurisprudentiæ opus proprium existit.

III. Jurisprudentiæ duplex species est, alia universalis, alia specialis. Illam dicimus, quæ per totum orbem omnibusque populis communis, omnem justitiæ rationem pro usu societatis humanæ tractat; hanc, quæ civilis societatis justa dirigit. Quæ iterum duplex: Altera tradit omni cœtus civilis jura, seu jus civile omnium civitatum: Altera unius alioque populi jura, legesque, pro usu certæ reipublicæ. Prior rectè dicitur communis gentium jurisprudentia, quæ est destinati nostri tractatus materia: Hæc unius civitatis civilis, veluti Hebræa, Græca, Romana, &c. quam potissimum cujusque civitatis Juri expofueunt. Hujus intuitu saltem Antonius Jctum producit, uti Cicero eum differentiam inducit: Differunt inter se instar fluminis totius & rivi, ex isto in certum locum defluentis & refluentis: Ex universali descendunt, quæ specialem faciunt, illa longe strictiorem; specialis autem ad illam iterum per eandem ductum velut ordinem suum revertitur. Quam longè autem hæc procedat & diffundatur, quæ illam tamen minima tantum pars est, & qui hanc saltem proficiantur, velut mundo deserto in angustum locum illam includunt.

IV. Jus

IV. Jus quando ab Ulpiano Ars æqui & boni vocatur, juris vox ibi ut sæpius pro jurisprudentia sumitur. Artis autem nomen vel indicat habitum mentis effectivum, uti Aristoteles *6. Ethic. cap. 5.* definit, quomodo ars juris ea peritia est, quæ in mente jurisperiti residet, & in functiones ejus exterius transit; vel compagem scientiæ juris ex certis justitiæ præceptis, ad istam docendam discendamque. An hoc modo jurisprudentia semet in artem redigi sinat? dubitatum est à nonnullis; quæis applaudunt, qui absolutiorem in Republ. dominationem aut captantes aut foventes pro voluntate & lubidine, juxta rerum occurrentiam & casus, jus ex regentium ratione formari sentiunt. Sed quidquid videatur iis, qui exteriora jurisprudentiæ in exercitio respiciunt, intimiora vel ignorant, vel nõ curant, nõ est quod obistere possit, ut non ex ista prodeat artis compendium. Quorum certa sunt principia & axiomata, quæ fundant scientiam & communem regulam, præbent ad istam pertinentibus, ea in artem quoque redigi posse, dubio caret. Ars enim est collectio generalium præceptorum, quæ certitudinem habent pro certo fine. Nihil horum deest circa jurisprudentiam, quæ habet certas suas principia, vel in natura vel in societatum conditione. Et ex his licet conficere definitiones & præcepta in regulam pro justitia, ut sine suo fervientia, quorum alia sunt generalia, alia specialia. Platonis consilium suo tempore jam fuisse legitur, quæ ad Regimen civitatum legesque spectant, in artem redigendi, & ex eo quædam ab ipso tentata sunt in libris, quæ de Republ. & Legibus scripsit. Aristorelis similis legitur sententia & monitum. Plutarchus Solonem *νομοθετην* struxisse scribit. Apud Ciceronem in libris de Legibus de jure civili in artem redigendo differitur.

Memo-

Memorantur in *l. 2. § 6. ff. de Orig. Jur.* Papirij Flavij aliorumque in id impensum studia. Ex quibus sapientibus id possibile creditum apparet. Magis id ostenderunt veterum Jurorum scripta, & quæ Justinianeæ jurisprudentia in voluminibus, quibus utimur, congestæ. Postea & hoc nostro ævo à pluribus aliis, quorum nomina hodie præclara sunt, pro compositione artis juris labor susceptus est, nec à quibusdam infeliciter peractus, nisi quod plerique civilis magis quam communis præcepta & regulas meditati sunt ac tradiderunt. Non potest arti impedimento, nedum argumentum ejus non possibile esse multitudo legum, etiam tam diversarum & pene contrariarum, non modo apud diversas nationes, sed sub eodem imperio, in eadem civitate. Non ideo principia & præcepta varia sunt & diversa, quod applicatio illorum variat, ex qua diversitas oritur, ideo ab arte non aliena; imo artem ostendit, quæ maxima est, cum sua præcepta in se constantia exterius ad diversa subjecta eorumque, infinite variantes circumstantias deducit. Quæ derivatio fontem non tollit, sed ex eo sequitur. Ex istis procedunt, quæ diversimode personis & rebus induntur, illuc per sui rationem redeunt, originem agnoscunt & ostendunt. Quod exponere artis est. Ut quæ hominum in facie, membris, gestibus, moribus infinite diversa sunt, nihil mutant ex hominum ut talium forma & proprietatibus, quæ in iisdem operantur & dignoscuntur, nec obstant, ut de iis scienda in artem naturalem vel civilem redigantur; ita quæ juris juxta sua præcepta perpetui sunt, remanent sub accidentibus variis eadem ratione, diversa saltem facie & more immersa. Nec mutatio & abrogatio juris semel recepti obsistit de arte juris sententiæ, quia & eadem in contrariis subjectis remanere possunt principia & præcepta nec eorum mutatio oritur ex materia, sed hæc mutata &

& alia aliud jus juxta eadem poscit, & ex simili semper ratione naturali aut civili accipit. Hoc omnium artium & scientiarum commune, ut consent generalibus præceptis; at per hæc variis & diversis rebus serviunt, quæ inde diversimode construuntur. Ut vero non impossibile, quidquid juris est, ad certa redigi principia & præcepta, ita valdè utile & ad emendationem vitiorum, quæ veram jurisprudentiam turbant & vituperant, præcipuum remedium.

V. Quantæ necessitatis est, justitiam in orbe colere, tantæ etiam, jurisprudentiæ studere. Nec enim illa colitur sine observantia juris, quod nec noscitur, nec exercetur rectè sine ratione. Ratio nescit in eo benè dextreque versari sine Jurisprudentia: Non exiguæ illud artis est. Jus etsi certum, non tamen cuivis obvium, etiam non id quod cordibus infixum, nedum quod ratiocinatione colligitur, aut legum recessibus constituitur. Non ut pars juris hominis conata, sic & jurisprudentia. Nec enim & quod ex illo conatum, sine illa exacte noscitur, nedum in usum venit: Multo minus illud, quod est in legibus. Occurrunt de vero legis intellectu, de mente legislatoris, de principiis & ratione constitutionis, seu naturalis seu positivi, in praxi & modo observantia, super vi & effectu, non pauca sine scientia & experientia non intelligenda aut exercenda. Egent omnia doctrinâ & prudentia. Arrogans persuasio est, fiduciam scientiæ & usus de jure sibi sumentium sine juris studio & disciplina, & credentium se jus reperire & discere posse, cum nihil ejus didicerint, iudicii sui naturalis dextertate (quæ tamen nec in his sciolis sæpè est) freti. Non parum hæc proficit iuridicis. At sola minime sufficit; Falso sibi pollicetur quisquam istius aut felicitatem aut securitatem, qui non justitiæ præcepta ex ju-

ris seu naturalis seu civilis fontibus, tanquam principiis, solide hausit & imbibit. Qv̄i aut judicabit de eō, cujus ipsi non est plena scientia? aut certo qv̄i secum statuet & aliis persuadebit, cujus ignorat rationem, regulas & fundamenta? Errorem illorum cito deprehendunt alii; utinam non & cum magna injuria atqve incommodo sentirent, quam sua imaginatione fascinati ipsimet non intelligunt. Etsi quod juris aliquando dicunt, tamen non secus, quam in tenebris, quod obviat, manu tangitur, non conspicitur, nec alio modo quam cum cœci, ideo quia aliquid forte reperiunt, se videre gloriantur. Falso objicitur exemplum Imp. Justiniani, tanquam ἀναλφαβήτης, & tamen totam Jurisprudentiam optime edentis. Fingitur à nonnullis talis princeps verè eruditus, ut fide digni Historici de eo celebrant. Non pertinet ad stabiliendam persuasionem istam, quod conceditur, juris imperitum posse fieri judicem, & sapius esse: Dicitur id, tum quà judicati auctoritatem, & quod ideo iudicium non sit nullum, quod literarum imperitus judicavit; tum quà admissionem ejus, pro qualitate causarum, quarum capax; tum ex necessitate ob defectum magis idonei, uti in oppidulis & pagis leviorum causarum iudicio præficiuntur, etiam qv̄i literas nesciunt. At quam in talibus deest, quod ad juris peritiam opus & quod sæpè ferre oportet; ita jurisprudentiam necessariam esse ex eo, in quo labuntur, aut cum non sufficiunt, apparet. Ut sentiendum sit, melius esse qualemqualem inter controversantes judicem, quam nullum; longe meliorem autem esse jurisperitum, quam nihil ejus edoctum.

VI. Quando vero alicubi sine peculiari titulo colitur per eos, qv̄i functiones ejus in republ. obeunt, videri potest id sufficere, nec ideo peculiare, qv̄i jurisprudentiæ

dentia cultum profiteantur, necessarios esse. Argumento sunt terræ & civitates, in quibus non audiuntur Juratorum, Juris Doctorum, Advocatorum & similia nomina. Caruit iis diu Germania, & quidem dum visa melior. Nec hodie in Svecia, Dania, Polonia, Hungaria, reperiuntur & admittuntur. Et ubi fuerunt, aliquando exire jussi, quæ tamen non eo minus jure reguntur, & sæpè melius, quam ubi istorum hominum farrago: Si quidem iis, qui Reipubl. partibus in regendo, consulendo, judicando, funguntur, jurisprudentiæ tantum ex doctrina vel usu adsit, quantum pro istis satis, ut ipsimet sunt jurisprudentes, ita aliis non egent, & quæ beata est Respubl. quæ à talibus, sufficiente prudentia administratur, ut cæteris non egeat, ita ubi sine istis cuncta recte procedunt, indicium existit magnæ eorū qui ad clavum sedent virtutis atque scientiæ. Cujus & illud commodum, quod quæ ex abusu jurisprudentiæ ab illis hominum genere alibi sentiuntur, sibi metuenda non sunt. At multis in locis alia est & juri-um & jurisprudentiæ ratio intricatior & difficilior, quam ut sine magno studio noscenda, sine insigniore peritia exercenda. Ubi quibus Reipubl. cura in curia, regimine, judiciis committitur, necessaria jurisprudentiæ cognitione non pollent, aut juris legumque ea est amplitudo, ut & conditio, ut nec disci nec exerceri queant sine ductu jurisperitorum, defectus necessariæ in aliis scientiæ aliquos, qui eam disciplina & usu profiteantur, desiderat. Illud deventum est cum Romana jurisprudentia, ut scire & observare, ideo justitiam colere absque iis impossibile repertum sit. Inde esse, qui isti se dedunt, functionibus justitiæ præficere, magnificere & magna autoritate ornare, necessarium redditum est. Pomponius in l. 2. §. 12. ff. de Orig. Jur.

Jus constare non posse, nisi sit aliquis Jurisperitus, per quem possit quotidie in melius produci. Germania, postquam Leges Romanas recepit, idem experta, quam non possibile sit istas sine jurisprudentibus intelligi, coli, servari: Cum istis hi, ubique in Scholas, Curias, Fora recepti, plurimum valuerunt & æstimati sunt. Verum, cum ex Italia plerique primum venissent, & inde simul secum vitia Curiarum forique Romani intulissent, Germanæ integritati seu simplicitati cœperunt fieri exosi. Quare cum sub Friderico III. Imp. de Reformatione Imperii Anno 1441. multa esset deliberatio, inter ejus remedia in consultationem deducebatur, Doctorum juris ejectio, uti eam prolixius refert *Goldastus part. 1. der Reichs-Schwagungen p. 166.* eorumque apud Cæsarem tantum erat odium, ut, referente Cuspiniano in ejus vita, dixerit, juris ab eis æqvitatem inverti, justitiæque fœdari. At ultimæ ejus deliberationes, quarum ex actis memoria est, in eo substituerunt, quod plane jurisperitis carere haud possibile visum, ideo restricta licet, illorum multitudine & facultate Principibus & Civitatibus integrum relinqui debuit, aliquos in peculiari consilio habere, à quibus graviorum decisio sumeretur. Nihil tamen certi conclusum, sed relicta sunt omnia, ut fuerunt: nec anno sequente edita Reformatio, adhuc in codice *Recessuum Imperii* existens, aliud habet, quam jura Romana coli debere, ut per Jurisprudentes approbantur, saltem, quod iis malo more adjectum abrogandum. Nec postea, inter multa de juris & judiciorum emendatione consilia Comitiorum & deputatorum conventuum, ultra quid de eo actum, saltem abusibus corrigendis ea dedita fuerunt. In Gallia & Hispania de his etiam multæ querele, sæpiusque de medela deliberatum, sed non potuit eo res deduci, ut sine Legibus Roma-

Roma-

Romanis aut Jctis agerent. Populi, qui usum istarum, non receperunt, non opus habent tali, qualis Romana est jurisprudentia, nec similibus jurisperitis. Quæ amant & colunt jura simpliciora, breviora, restrictiora, clariora, non tantum studii, sic nec artem tantam nec eos professores exigunt, tabulas & rationem suam habere præceptorem & ducemque sufficit. Non tamen & sine illa, nec sine his omnino justitia ipsis contingit, saltem alio modo & nomine. Ut suo juri convenientius, eligere & formare cuique genti & reipubl. liberum. Nunquam tamen non egebunt naturalium & mundi humanioris legum morumque in formatione, seu sub nomine jurisprudentiæ, seu Politicæ & Ethicæ accipient; ut quod gentium juris est, harum professio & cultus apud illos, qui jurisperitos non admittunt, comprehendere solet, & qui exercere debent, inde petunt idem jus, sed alia via, seu potius titulo discentes & usurpantes.

VII. Nobilissima licet ars sit jurisprudentia, odiosa tamen valdè, & hodie ferè contempta est. Qui profitentur & exercent, non vilipenduntur modo, sed convitiis proscinduntur. Vile nomen justitiariorum: proficiscitur illud tum ex studii virtute, tum ex profitentium vitiis. Virtus est ex justitia, quam colit & exercet. Quæ quia adversatur atque obviat aliorum præsertim fortunæ, præcellentiorum ambitioni, avaritiæ, violentiæ, voluptatibus, libidinibus, & in hæc intentis ausis, qui per jurisprudentiam isti dediti, si rectè officii suis funguntur, his reluctari opus habent, illa conscientia & sine turpitudine assentiri & indulgere nequeunt, inimicos habent quibus obsunt. Et quia cupiditates validiorum cum prætextu, quem & injustissimi ambiunt, justitiæ & sine pudore qui irritat eluctari nequeunt, nisi cum opprobrio & contemptu ju-

risperitorum, è re putant eos,quam licet maximè habere, contemptos & exosos reddere, à republ. removere, sibi præ iis omnia vacua & libera facere. Quod ut apud superiores assequantur, inepta publicis consiliis & functionibus eorum ingenia & studia fingunt, quando in obvenientibus justum atque utile coram iis colliditur; uti hoc isto semper optabilius & gratius, ita dum Politici hoc præferunt, illi justitiæ & conscientiæ magis devoti utile, si injustum posthabendum, sentiunt, occasionem obtrectandi suis desideriis felicem sortiuntur, & facilius odiosa persuadent. Accedit invidia, dum in consiliis & negociis jurisprudentia firmiori talo incedit, quam mera utilitati intenta aliorum Politica. Ut enim argumenta sententiæ ex naturali ratione, bonis legibus & virtutum præceptis moralibus ostendere studet, inde prudentius securiusque consultat & agit, nec qui aliam viam tendunt, utilitatis ostentatione aptud alios, quam qui capiunt aut ejus furore capiuntur, refellere valent, ideo apud bonos in reprehensionem incurrunt, invisam habent eruditionem, dexteritatemque sua calliditate potiore, & dum virtute superare nequeunt, oderunt & per contumeliam suppressere nituntur. Multum etiam odii & vituperii ex vitiiis sibi nomen Infamientium accedit. Quæ ad vituperandum artem ejusque cultores ab osoribus arripiuntur, non sunt illa modica, uti circa functiones inferius exponentur, & merentur ista, quæ maledicuntur: attamen inique, ad improbandam veram rectamque jurisprudentiam, & ejus rectos fidosque cultores, quibus alia est justitiæ cura, adhibentur. Injuriosi sunt in jurisprudentiam, qui ipsam imperitè dicunt litium & altercationum genetricem, Reipubl. legum corruptelam, publicam furatrinam, ideo expellendam, ut Gvilielmus Rossæus de Auct. Reipubl. Christian.

stian. c. 11. §. 11. refert, in Synodo Cabillonensi popularem factionē, Beza applaudente, clamasse, exterminandas esse à Republ. Christiana tres orbis terrarum pestes & quisquillas, Pontificiam Ecclesiam, Nobilitatem, Jurisprudentiam. Non istius ea vitia sunt, quibus ipsa cum sana & recta repugnat & medetur, sed tum bona arte pessime ad alium finem abutentium, tum permittentium, ut vel irreparant, vel ubi invaluerunt, non severis coercionibus castigentur, supprimantur, tollantur. An majore imperantium, qui non sine magna reipubl. clade sinunt, an facientium, qui incititia & lucro suo sectantur culpa, & minori excusatione, sanioribus dijudicandū esto relictum. Si ex abusu artis & vitio abutentiū ipsam improbare, recte utentes simul expellere æquū fiet, quæ ars, qui artifices in civitate consistent. Nihil ejus sine abusu est, & quo hi excellentiores, eo plerumque vitia, moribus, lubricitate, fraudibus deteriores, juxta vulgatum illud: *Scelerati tanto peiores quo doctiores, wie gelehrter / so verkehrter.* Nec ipsa tandem Theologia manebit, & carebimus iis, qui sacra dogmata tradunt: *Quanto magis Politica, dum in modernis abstractivis Politicis non minora imo multo nocentiora, cum clade & corruptela publica eminent, merebitur esse abjectissima.* Præstantiones sunt rationes, quibus illius dignitatem & utilitatem supra evicimus, quam ut ob vitia ipsamet sit expungenda.

VIII. Tria requirit Jurisprudentia, tanquam partes suas: Primo rerum, de quibus jus dicendum, cognitionem; Secundo juris, juxta quod de iis judicandum vel decernendum, scientiam. Tertio, rerum & juris conjunctionem. Frustra de jure quæretur, nisi res & facta, de quibus justum injustumve ex jure sibi constare debet, sint perspecta. Materia juris in rebus est. Notitia rerum, quam prærequirit Jurisprudentia, exiget

multifariam in eo, qui eam profiteri vult, cognitionem. Quidquid scientiarum tradit & ostendit res, de quibus aut jus dicitur, aut in jurisdictione tenenda ratio, jurisprudentiæ operam scitu esse necessariam, non tantum definitioni convenit, sed & quæ istius sunt propria respicienti apparet. Qui circa res quævisquam rectè judicabit, qui ipsas non novit & intelligit? Intimius materia, cui jus attemperandum, quæ originem, essentiam, qualitatis conditionem & efficaciam exploranda. Quod de divinis jurisperito tenendum, hauriendum ex Theologia, quam ut nullum non literatum decet solidius discere, ita maxime eum, qui jura tractabit. Quorum fundamenta & maxima pars ex sacris literis habenda. De humanis Philosophia informat. Et vix ejus ulla pars est, quæ non ad jurisprudentiam multum proficiat, imo necessaria sit. Non abs re dicemus, Juris non posse esse consummatum, nisi bonum philosophum. Non vacat nunc ire per omnes istius partes, alias facile ob oculos ponetur, quod rectè consideranti etiam occurrit, quam fieri nequeunt, ut de istis jus dicatur, quæ Philosophia tractat, & in jurisdictionem aut communicationem juris inter populos & singulos homines aliqua ratione incidere queunt, nisi per istam talium exactior notitia sit. Ex ista hanc comparare, per hanc justitiam sapientiam præparare oportet. Præliminaris est jurisprudentiæ Philosophica scientia. Non dignus est Juris titulo, qui non intimiora istius præcepta cognovit, ut hinc tanquam ex fonte juris originem arcessat, dum naturalia jura naturam rerum maxime sequuntur, & hæc ipsis principia sua præbet. Abutuntur nomine isto, qui meri sunt legales, seu civilium legum notitia ac memoria tantum imbuti, aliarum artium præfidiis non instructi. Longe illi absunt à verâ jurisprudentia, istis

Atis multo latiore, quæ alia requirit. Ipsa vera, non simulata Philosophia est. Non facit injuriam vulgatum hoc, quod meri legistæ meri sunt asini. Ostendunt se non alios, cum rebus, quas litera legis non continet, adhibentur, imò aliquando & iis ipsi, dum res, de quibus constitutio sonat, non intelligunt. Nec mirum, quod ultra non sapientes, etiam si juxta leges in foro magni videntur. Practici, in iis, quæ ultra eis jurisprudentiam ducem & lucem, requirunt, ignari & inepti sunt.

IX. Justi & injusti scientiæ, quæ in rebus cognitæ jus quærit & statuit, duæ partes sunt præcipuæ, Altera in jure rectè noscendo: Altera in cognito divinis & humanis dextrè per exercitium applicando. Seneca Epist. 64. *Pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione, & discas oportet, & quod didicisti agenda confirmes.* Prius comparatur studio. Quomodo jus vel est à natura, vel ex populorum consensu, vel ex civitatum legibus, vel hominum consuetudine, ita jurisprudentiæ operam daturus hæc exquirere & explorata habere debet, ideo maximam curam iis noscendis intelligendisque impendere. Natura quidem sui ipsius præceptor esse potest, cum recta ratione: At illa corrupta, & hæc per depravatos affectus obtenebrata, non est cuiquam secunda ex se ejus notitia, ideo adhibenda sunt adjumenta, ut & ipsam infallibiliter noscas, & quæ per rationem suggerit, sine errore colligas. Cum Pythagoras scripsisset *divinum genus est mortalibus, quibus facta, quæ sunt, natura, pramonstrat omnia*, in eum locum Hierocles addidit: *à DEO ostensa multi non vident, quod communibus notitiis non rectè utuntur, quæ ad sui cognitionem Rationis capaci generi opifex innasci voluit.* Scriptum est, in superioribus, unde naturæ jus resciscendum statuendumque sit.

plex pro eo studium decet: Alterum in indagatione principiorum juris, quo certa sint, & menti tanquam immota veræ justitiæ fundamenta pervadeantur: alterum, ut ex iis tanquam fontibus deriventur per ratiocinationem rectam præcepta & decreta, quæ deinde in singulis rebus divinis & humanis justa, & iis contraria injusta, ostendunt. Non incongruo simili à nonnullis id studium adumbratur, quando ista principia dicunt se habere instar seminum, quæ in aristis includuntur, non visa nisi excussa, excutiendo verò in multa grana se latius dispergentia, & alia iterum ex se præducentia: Ita ex natura quæ juris sunt semina sic eruenda, dilatanda ad ulteriorem profectam derivanda sunt. Ad quod opus est exactiore cognitione moralium dogmatum. Discendo quidem pro præceptis, ut ea tradunt Ethici, quorum præcipuum singulos ad virtutes informare; at juxtim respiciendo & observando, quomodo in societate pro justitia in usum, quæ alios venire debeant. Quod ex consensu gentium jus existit, requiritur communis omnium circa ea, quæ fecerunt justa vel injusta, rationis scrutinium; tum societatum, quæ inter homines sunt, peritiorem considerationem; tum historiarum diligentem lectionem, & eorum, quæ in mundo inter reges, populos & Respubl. longo usu invaluerunt, curiosam observationem. Ex legibus ortum jus positivum postulat considerari verba; inquiri rationem, colligi ex utrisque veram mentem, inquiri observantiam, juxtim edoctum habere civitatis, cujus jura discuntur, statum, populi ingenium, morem, studium, commodum, negocium, quibus quomodo ista oportet esse congrua, ita necesse est esse perspecta. Quod superaddit consuetudo, qui eum facit usus per actus fori & curiæ ostendit & explorandus est. Quæ tum multa & varia ad
 juris-

jurisprudentiam necessario noscenda, & quidem solide cum certitudine indicant, quantum studii, laboris & temporis ista poscat, & quam magna scientia & eruditio in Jcto, si digne id nomen suscipere & teneri velit, requiratur.

X. Tertium jurisprudentiæ est in adjunctione seu applicatione juris ad personas, res, facta, negotia, actiones, ut in singulis fiant justa, devitentur injusta. Ea potissima & difficillima ejus pars est. Facilius discitur jus, quam exercetur. Testes multi doctissimi Jcti, quibus omne jus in scrinio pectoris residere videatur, sed in functionibus jurisprudentiæ præcipuis ineptissimi & pene inutiles. Sunt juris & rerum factorumve pleraque ambigua, nec veritas nec justitia omnibus patet. Inter infinitas circumstantiarum varietates, quæ humanis accidunt, justum dicere & facere, insignioris judicii dexteritate eget, & juris scientissimi in eo sæpe deficiunt & labuntur. Etsi enim quid juris sit in genere ex legibus, moribus, præceptis, aut ratione recta deprehenditur, tamen non ideo justum injustumve in speciebus singulis occurrit. Est ea applicatio in adhibitione rerum ad regulam. Huic congrua pro justis, contraria pro injustis habentur, cætera velut media & adiaphora sunt libertati relicta, ideo proprie nec justa nec injusta, tantum non injusta, quæ ut justis nomen assumant, sub *Inst.* 7. vidimus. At ut talia deprehendantur singula, hic opus hic labor est. Prima circa conjunctionem cura esse debet, ut jus certum habeatur, quo de rebus factisve judicaturus initio securus sit de regula, cui adplicare & secundum quam statuere velit. Secunda, ut constet hæc esse de regula, seu ex illo jure de istis statuendum esse. Post hæc liquida elucet convenientia vel disconvenientia rei judicandæ cum norma. Centrum vero seu medium, in quo jus & res jungi debent, est justitia.

stitia. Ideo jus sic accipiendum & applicandum, pro-
ut justitiæ convenit, & ne quid injuste sub obtentu ju-
ris fiat. Quare quod in legibus moribusque est ad
justitiæ præcepta trahendum: In rebus vero hoc ha-
bendum justum, quod licet legibus moribusque non
convenit, justa tamen ratione alia probabile existit.
Ut hoc variis modis fieri apparet per ea, quæ contra
leges & mores ex peculiari causa justa sunt, aut jux-
ta easdem non justa tamen sunt, quia per rationem
singularem à communi jure abscedunt, non ita tamen
à justitia. Præsertim extraordinaria similem sui ra-
tionem habentia, nempe extraordinariam, justa mul-
toties sunt, etsi à juris regulis vulgaribus aliena, nem-
pe quia quod in alijs juris, in his fit injuria vel iniqui-
tas. Ut res & facta juri attemperentur, jus in rebus
factisque ad justitiam procedat & perveniat, non mo-
dicam requirit solertiam, nec sine accuratiore judi-
cio perficiendum. A paucis id advertitur, ideo & à
non paucis sæpè perniciosè erratur, & nihil minus
quam justum sunt, cum tales se quam maxime esse pu-
tant.

XI. Jurisprudentiæ proprium opus est, justitiam
inducere in societatem hominum seu Rempubl. ad u-
sum omnium, tum qui sub ea sunt civium, tum quibus-
cum intercedit juris aliqua communicatio. Coitum
est in illam, ut jure fruerentur & contra injuriam secu-
ri essent homines, ita justitiæ causa. At ex solo cœ-
tu non est ejus fruitio, sed ut hæc ipsi contingat, ulte-
riori ductu inter eos, qui nisi ducuntur ex lubrico, &
impetu agere malunt, opus fuit, quo homines & noscent
& possent justa velle atque agere. Cujus manudu-
ctio & subsidium à jurisprudentia, indice, duce, præ-
ceptore. Per illum fit, ut omnes justitia regantur,
utantur, fruantur. Ex eo opere veræ & fucata juris-
prudentiæ

prudentiæ existit discrimen. Quidquid sub eo nomine fit, à justitia ejusque in Republ. cultu alienè & superflue, etsi vel hic per illud ostentetur, non est veræ sanæque jurisprudentiæ, sed abusus, corruptela, dedecus: Multo magis quod contrarium. Ut hæc falsa justitiam perdit, Rempubl. corrumpit, semet fœdat, veram deturpat, ita scelerate tractantium conscientiam, probitatem, famam, non sinit integram. Derivat autem justitiam ex suis fontibus, seu naturalibus seu civilibus, in omnia negocia publica & privata, tanquam rivos se in omnem mundum dividentes, & vim suam dilatantes. Habet hujus sui operis ministros, quæ tanquam instrumentis illud promovet, nempe Doctrinam, Religionem, Regimen, Leges, Mores, Judicia. Doctrina, utitur, ut notitiam justæ & injustæ animis hominum per principia & præcepta insinuet, ne ignoti aut non satis intellecti nullâ cura sit. Religionem, poscit & ad cultum deducit, tanquam cui maxima vis inest ad venerationem & observantiam juris, velut à DEO orti & DEUM habentis vindicem. Leges sunt traduces justitiæ, in publicum cum jubent, vetant, permittunt, quæ justæ vel injustæ esse debent: accommodatæ isti, cum justæ, honestæ, faciles, perspicuæ, utiles, populi ingenio congruæ, ideo gratæ, rationem certam habentes, temporis locoque convenientes, in lites non pronæ, sed cohibentes. Mores jus in usum transferunt, & rigorem addunt vel detrahunt. Regimen per sui habenas cives ad observantiam ejus adducit, & pro exigentia rerum publicis privatisque negociis accommodat. Judicia in ea quæ sunt controversa, intromittit jura, ut normam judicandi & finem litium. Sic horum omnia munia sunt justitiæ ministeria, jurisprudentiæ pro opere & fine suo adjumenta, per ipsummet regenda.

XII. Ju-

XII. Jurisprudentiæ pro isto opere suo diversæ functiones sunt. Quasi in omni vita & inter omnia humana, quatenus jure reguntur, diversimodè exercet. Non eodem modo justitia indigemus. Aliquando ea per leges civibus exponenda, ut juxta eas præstent in civitate & civibus observanda, & omnia juste procedant. Aliquando in consiliis exquirenda, ne in publicis privatisque quid fiat injuste. Aliquando inter controversias illa eruenda & definienda est, & ad eam quærentibus aut responsis via monstranda, aut ne aliorum injuriis supprimantur, patrocinio manus præbenda. Quæ omnia jurisprudentum operam desiderant. At non ab omnibus omnis ea functis geritur, nec omnes omni simul apti sunt. Ut sine, usu, studio differunt functiones, ita ingeniis iisdem rarè conveniunt. Ad omnes aut plerasque simul idonei consummatissimi meritè audiunt J. C. Cæteri singulis dediti specialibus titulis discernuntur. Qui eam tantum docent, Jurisprudentes, Scholastici, Professores: In populo legibus condendis emendandisque intenti, Legislatores sunt: In aulis & curiis, inter consilia, quæ de republ. & negociis civilibus capiuntur, de justo sententiam proferentes, inter Consiliarios vel Senatores referuntur: Qui controversias dijudicant & definiunt, Judices, seu juridici: De jure respondentibus, proprie Jurisconsulti; causas in foro agentes & litigiis servientes, Advocati, Oratores, Patroni causarum: Singuli vero, licet partem tandem jurisprudentiæ tractent, occupant tamen omnes Jurisprudentis nomen & honorem. An jure meritoque? non disputamus amplius, postquam semet in possessionem talium intruserunt. Annon aliqui vi, clam, precario, judicent, quibus immeritos de jure deiciendi jus & autoritas erit. Functionum autem harum alia aliam dignitate.

tate superat. Qui rempubl. bonis legibus, moribus, consiliis instruunt, judiciis quietam reddunt, ut officii utilitate publica, ita merito & dignitate potiores.

XIII. Jurisprudentiæ functio, circa ferendas in republ. leges, cæteris præstantior, format rempubl. instruit cives, dicit veram justitiam, unde pars curæ publicæ Architectonica à Platone & ab Aristotele vocatur. Facit illud jus tum constituendo, tum in civitatem inducendo, quod utrumque requirit singularem prudentiam. Constitutio exigit tum investigationem justii & injustii, circa quasvis res & personas; tum illius ad has accommodam applicationem; tum formationem placiti ad observantiam civitati convenientem. Prior opera occupata est in scrutinio juris, ex justii & injustii principiis naturalibus & civilibus, & in consideratione rerum juri subjiciendarum divinarum & humanarum, sub quibus omnia, quæ in leges veniunt, personæ, facta, horum rerumque qualitates & circumstantiæ continentur, quarum considerata & exacta notitia in legislatore præprimis est necessaria; tanto ampliorem requirens eruditionem & scientiam, quo plures magisque variæ & diffusæ sunt, pleræque & abstrusæ. Secunda inducit jus per sui rationem, in personas, res, actiones, juxta earum naturam proprietates & circumstantias, ad locum, tempus, quantitatem, qualitatem, causam, eventum applicando, explorans, quærens & componens juris & rerum seu prædicati & subjecti convenientiam. In quo præcipuum justitiæ & illud ipsum, quod ejus est officium in suum cuique tribuendo; nullibi magis, quam in legum norma bene construendum. Tercia fit prudenti directione ad finem, qui vel specialis in emendatione, vel formatione recta ejus, in quo peccabitur; vel generalis

falis in honestate & utilitate tum publica civitatis, tum singulari civium. Circa quem & promovendum, quod fini aptum, & removendum, quod eidem contrarium, in quo non tantum præteritorum & præsentium, sed maximè etiam futurorum, seu quæ evenire, queunt, consideratio fieri debet. Jus postquam repperitum & compositum, benè in civitatem animosq; hominum inducendi, artis non levioris est, adhibendæ ut in hos influat, cum quadam delectatione, ut lubentes recipiant & constanter servant. Inducitur variis modis, & errant, qui ad id scripturam necessariam, adhuc magis, qui hanc de substantia legis dicunt. Fit illud primo per Exemplum Legislatorum, Regum, Principum, & virorum sapientia conspicuorum, quorum dicta & facta maximopere à civibus æstimantur, & in juris necessitudinem facile assumuntur; per constitutionem publicam, præcipiendo, vetando, permittendo, quod recta ratio suggerit, quæ aut sit scripto, cum ista in publicas tabulas redigitur, inde affixione publicatur, vel sine scripto, sola per legislatoris, aut præconis vocem promulgatione, ut Lacedæmonii suas leges memoriæ tantum infigi, Athenienses scribi volebant. Tertio per usum, qui facit consuetudinem, quæ legis vim & instar habet, ex eorum, penes quos legislatoria potestas est, patientia, moribus non sine discretionem permittendam. Quarto legum abrogatione vel mutatione, quæ contrarii continet inductionem. Quinto derivatione ex legibus aliis, tum ex mente harum per collectionem istius, quod in se inest, tum per consequentiam, quæ idè in alia specie infert, tum ex similitudine non habente diversam rationem. Quam tacitam legislationem non nemo vocat. Horum omnium nihil est, quod non singularem prudentiam requirat, & indicet, quanti laboris ac dexteritatis

reritatis sit, bonam, justam, congruam legem condere. Præstat id sola Jurisprudentia.

XIV. Secunda hujus functio, in gubernatione reip. quæ est magistratum; Ut leges muti magistratus audiunt, ita Magistratus sunt leges loquentes, sicut ideo Plato veram perfectamq; Reipubl. Legem appellat. Si omnes tam sapientes rectiqve corde & opere essent, uti esse deberent, civitas legibus non egeret, præstaretqve per illos, quam his regi, ut id plenius, circumspectius aptiusqve fieri, & quæ de legibus dubitationes atq; disceptationes exurgunt, vitari possent, uti sub primæva gentium simplicitate, inter omnia adhuc integriora, paucæ leges erant, ex arbitrio Rectorum agebatur. At quando nec omnes artem imperandi sciunt, nec qui sciunt, adversus perturbationum casuumqve vim satis constantes & considerati sunt, post cognitos illorum defectus ex legibus ipsis regulam civitati, præsidium civibus, obsequii modum constituere, potestatem istis astringere oportuit. Ex quo præstantius factum legum, quam magistratum imperium. Quando vero ipsis opus est scire istarum sensum, rationem, usum, vim, deinde diligenter istas custodire & exequi, nec sine Jurisprudentia hæc assequi datur, quam hac instrui expediat apparet. Imo si vel leges non existunt, vel conditæ deficiunt, non ideo magistratum absolutum & arbitrarium est imperium. Jus gentium, quod naturale vel gentium voluntas posuit, pro regula necessaria est, ideo &, sine qua id nosci & observari nequit, Jurisprudentia: Cujus usus in multis aliis, seu cum exteris, seu cum civibus, seu inter hos res intercedat, quæ in juris quæstionem incidit. Qui hæc intuetur, facile credet, bonum magistratum debere esse aut jurisperitum,

aut non sine hoc regere posse. Omnium Rerum-
publ. exempla eam sententiam confirmant; in quibus
nulli non aut regunt, quibus jurium est peritia, aut
regentibus perpetuo munere adsident, ut mentes,
ora, calami ipsarum, quæ & qui regunt, reguntur.

XV. Tertia functio Jurisprudentiæ est, in con-
sultationibus de Republ. Non arridet ea omnibus.
Ab illa specie curæ publicæ, quæ βουλευτική dicitur,
seu quæ consilia de publicis rebus dirigit, aliter qui-
dem opinantur, adeo ut & istam artem à consiliis ali-
quando excludunt, & Politicæ propriam faciunt. At
non quod hujus saltem est, in consilium venit, sed &
quod justum; sæpe principaliter, semper fere inciden-
ter. Ad quod exquirendum expendendumque consul-
taturi ista egent, si solide consulere velint. Raro in
consilium deferuntur, in quibus non & de justo quæstio
incidit, aut ad minimum non circumspiciendum sit,
tum ne quid sub umbra utilitatis fiat injustè, tum ne
per injustitiam alias prudenter ceptis decedas apud
DEum hominesque favor & successus, quem nisi justis
polliceri non licet. Invisa & improspera plerumque
juri contraria. Sunt & inter dubia, svadendi dis-
svadendique argumenta, à jure vel injuria cæteris aliis
t& potiora & securiora. Et siquidem concilia non
tinjusta, tamen & ut placeant, & ut effectui dentur, non
potest constanter fieri, quam per justitiæ tramites; si
displicent aut hærent non promoveri, nisi juris opinio-
ne, autoritate, efficacia. Quæ omnia non præstare
potest ulla utilitas, & prudentia, quæ est sine jurispru-
dentia. Oggeres forte, quam multa sine Jcto con-
sultari & effici. Nec hoc negandum, sed non affir-
mandum, quod fiat sine juris peritia. Hæc & apud a-
lios est, ac qui illud nomen ex professione vel titulo
sumunt, nec ea dictorum mens, titulares JCrôs, aut
saltem

saltem consiliis aptos aut semper adhibendos esse. Non est apud hos sola aut privativè ipsis concessa, quod falso errore insinuat simplicium imaginationi, tanquam non sit jus extra juris doctorem titulo, ut vulgus fere opinatur, non esse doctos, nisi audiunt doctores. Est & aliorum ista & quidem sæpius solidior dexteriorque sapientia, quam non facit sed indicat titulus, & omnium Politicorum, præsertim qui à Consiliis sunt, esse debet. Non adversatur, quod Plato justitiæ partes duas tantum facit: Nomotheticen & Dicasticem, tanquam si in legibus ferendis & juri dicundo ejus causa esse debeat, nec alia etiam species jurisprudentiæ, quam similibus vocabulis sic aliqui dividunt. Et illa Nomothetica, quam Aristoteles etiam Architectonicam appellat, Plato dixit præsidem & directricem non solum legislationis, sed omnis consultationis & sententiæ, quæ pro regenda Republ. suscipitur, unde apud veteres Artis Regiæ nomen accepit. Jurisprudentiæ in consiliis potiores partes non una in re eminent; Primo enim si justum cum utili colliditur, & aut illud non faciendum, aut hoc omittendum, ideo illud svalet Jurisconsultus, hoc Politicus, omnium recte-cordatorum sententia cedit hoc illi, nec placet bonis utile nisi & justum. Cicero lib. 3. de offic. *Qui omnia metiuntur emolumentis & commodis, neque ea volunt præponderare honestati, hi solent in deliberando honestum cum eo quod utile putant comparare, boni viri non solent.* Et post: *Etenim non modo plus putare, quod utile videatur, quam quod honestum, sed hac etiam inter se comparare, & in his addubitare turpissimum est.* Deinde utile ultra eos, quibus proficit, parum auctoritatis habet, alios movendi infirma ratio est. Ex justo ipsi auxilium & præsidium accedere necesse est, ut alias convinceant, quod apud omnes valet. Comment-

dant ideo Rhetores ab honesto & justo svadendi dissuadendiqve rationes potiores & validiores, & in prima acie orationum locari monent. Accedit tertio, quod cum consiliis, quæ utilitatem sequuntur, impedimenta aut remoræ objiciuntur, à jurisprudentia remedia & operam petere necesse est. Nec frequentius est, quam ut Politici isti, qui per acumen sui ingenii sine jure & jurisperito reipubl. negociis se sufficere imaginantur, in leviores etiam difficultates prolapsi ad jurisperitos decurrant, consilium rogent, illorum opera utantur & juventur: & orbi per exempla innotuit, quam inter negocia, tractatus, transactiones, ab altera parte adhibiti qui Jurisprudentiam, ab altera qui Politicam meram professi consuluerint, & pro sua parte composuerint feliciter & constantius, pro illa omnia securiora, pro hac disputationibus & in ambigua reducendi convellendiqve relictam occasionem, locum obtentum.

XVI. Jurisdictioni quarta vacat functio, cujus omnia regulam habent à Jurisprudentia: per quam dirigitur ad vera processus, & post illum ad justa. Conjunctio veri & justici judiciorum præcipuum opus est. Exploratio veri & applicatio juris in istis est jurisprudentiæ. Nec modici laboris illud invenire, & invento hoc addere: Illud eget argumentis, per quæ indagatur, artificialibus & inartificialibus, uti Logici & Jcti discernunt; Hoc exacta juris scientia & judicii dexteritate. Quæ omnia ita comparata, ut requirant rerum legumqve valde peritum. Non sine causa Imp. Justinianus *Novell. 82.* Reipubl. perniciosum reputat, juris imperitos judicandi munere fungi, cujus in præf. hæc verba: *Non existimavimus oportere habere judicum quorundam nomina, maxime legum inervatorum, deinde neq; causarum habentium experimen-*
tum.

tum. Nostris enim administratoribus adsunt modis omnibus etiam assessores, & ea quæ legum sunt explicantes, & occupationes adimplentes eorum. Quoniam multi detenti curis, quæ apud nos habent, merito judiciorum complent partem, per suorum præsentiam assessorum. Illi autem neque cingulum habentes, neque nobis ministrantes, nisi potuerint per se nosse quod justum est, sed aliunde emendicare judicandi honestatem, quomodo non maximum vitium erit reipublica, non eis qui ex se quod agendum sit sciant, lites trudere, sed sinere eos quærere alios, à quibus liceat discere, quæ ipsos in judicando eloqui decet. Imaginaria persuasio est, quæ sæpissime à vero & justo aberrat, de litibus judicari posse, etiam sine jurisprudentia, nec hanc ita ad jurisdictionem necessariam esse, ut non judex esse possit, qui non est jurisperitus. Fit quidem ita aliquando, judicia committi literarum, nedum Juris imperitis, & habemus ejus apud Romanos facti vestigia, in jure quo utimur Romano, quod refert lectionem judicum olim factam ex censu, constitutos judices homines militares, datos Recuperatores à Prætoribus imperitos; Cœcis etiam assertam judicandi facultatem. Veruntamen cum ita permittitur, loquuntur tantum (nec aliter convenit) aut de causis levioribus, aut talibus, quarum isti capaces sunt, ut militarium nulli magis quam milites, opificum qui eam artem tractant, in villis & pagis de iis, quæ inter rusticos versantur, hi peritiores, aut ubi non fuit copia literarum, attamen non ultra ea facultas justa, quam se porrigit dijudicantium peritia. In iis quæ excedunt, quam non congruum judicium, tam necessarium peritiores consulere. Aliter non magis fiet cum ratione, quam existimabitur sine legibus & ratione recta jus dici posse. In quibus nisi per jurisprudentiam nihil certo sciri, intelligi, expli-

plicari & applicari poterit. Quæ arbitraria ex ductu vel legis verborum, vel ut apud unumquemque est, rationis placet jurisdictio, quam fluxa & nulli fundamento nisi placiti innixa, tam justitiæ constanti, & perpetuæ voluntati non congrua, jus reddit ex opinione magis quam ex jure, dum justum putatur, quod non scitur, ideo & sæpius vere non est. Non sufficit ad iudicii rectitudinem iudiciumque conscientiam, justitiæ cultum finire lites, quod imaginariis istis Juristis videtur, sed oportet cum jure id fieri, & jus cum ratione prudenter dici.

XVII. Quinta functio est in respondendo de jure. Quando multoties, qui in societate civili degunt, tum pro conscientia vitæque & actionum innocentia, tum inter negocia pro evitando damno vel discrimine, egent de jure & injuria informationibus, usus adduxit ad consuetudinem habendi & honorandi, à quibus tales pro fine isto proficisci & obtineri queunt. Et magistratibus atque iudicibus, quorum non est exacta & iudicio suffectura juris aut scientia aut experientia, ad eos non raro recurrendum est. Quam, istæ præstari nequeunt, nisi à scientissimis mundi atque civitatis jurium, ita ad istam non alii admittendi, & ab iis, quibus cura reipubl. incumbit, cavendum, ne ea professio ab aliis sumatur, imo ut non nisi publico iudicio capiatur: Apud Romanos erant tales; & uti refert Pomponius in l. 2. §. 47. ff. de Orig. Jur. ante tempora Augusti publicè respondendi jus non à principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum, habebant, consulentibus respondebant. Imp. Augustus autem constituit, ut ex auctoritate ejus responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit: ideo optimus Princeps Hadrianus, cum ab eo viri Prætorii peterent, rescripsit, *hoc non peti* (h. e. saltem petentibus tribui) *sed præstari* [i. e. meritis] *solere*. Isti
functio-

functioni dediti nomen Jcti sibi proprium fecerunt, quem ideo Cicero definit *eum, qui legum & consuetudinis ejus, quæ privati in civitate utuntur, & ad respondendū & ad agendū & ad cavendū peritus est.* Exprimit munia responsa dantiū, quorū in legibus Romanis frequens mentio. Primum erat in præscribendo actionum formulas legibus congruas. Alterum in cavendo, seu cautiones contractuum, alienationum, testamentorum, aliorumque actuum, quibus cum secure fiebant, suggerendo. Tertium in legum, testamentorum, contractuum interpretatione, juxta leges & rationem. Quartum, ubi leges deessent, juris & æqui juxta rationem naturalem dictamine. Erat moris, qui ita jurisprudentiam profitebantur, sui quotidie rogantibus copiam facere vel publice, transverso foro deambulando, vel privatim in ædibus, unde Cicero oracula civitatis vocat Jctorum domus. Professioni atque officio convenit, post consideratas omnes facti propositi circumstantias, & expensa quæ utrinque occurrere queunt rationum momenta, exacto judicio de jure sensus suos proferre, ut vere recteque istis congruant. Alienum ab eo & conscientiam aliter, quam sentire oportuit, respondere multo magis, si aliter, quam sentitur. Improbe fit ab iis, qui cum de jure respondere debent, in eo consulenti aut favent nimis, & non se peccare credunt, quod ex quavis ratione probabili consulentibus assentiuntur. Ex quo fit, ut contrariis consiliis aut responsis litigantes sæpe informentur, imo decipiantur. Nec si proficere ipsi responsa possent, ut malo more ad absolutionem, ab expensis vel damnis litium assumuntur, excusandum, quod perverse, nec ex certa juris ratione, ut justum est, responderetur.

XVIII. Sexta jurisprudentiæ functio est in cau-

Gg 4

sidicina

fidicina, quam advocacionem seu advocaturam vo-
 camus, & præstatur in judicio litigantibus ad causæ
 quæ agitur patrocinium: ut qui de jure respondent,
 ad justa interrogantes ducunt, ita qui controversiis
 fori operam dant, causas & facta instruunt, quo post
 exposita de jure respondentibus & iudicibus jure cli-
 entes potiuntur. Cujus sine jurisprudentia expedi-
 undi ratio difficilis est. Aptanda enim, quæ in judi-
 cio de causis proferuntur, juri quod petitur vel obten-
 ditur, ut eo frui liceat: quia jus congrue dici ne-
 quit, nisi factum juri congruè proponitur. Quod
 requirit tum juris scientiam, tum facti circumstantia-
 rum, ut juri convenient, dextram discretionem. Opi-
 nantur nonnulli, supervacuum esse illam operam, quia
 iudex æque à partibus, quam à causarum patronis de-
 facto dijudicando informari queat. Sed nonnullis
 per animi corporisque defectus, ætatis & sexus con-
 ditionem, aliâque impedimenta, ea proponendi facul-
 tas deest, plurimis, quibus omnia ea integra sunt, dex-
 teritas & sapientia, sicut iudicio expedit, in forum sua
 producendi. In quo non satis est qualiter qualiter, quæ
 in mentem veniunt, referre, sed consideratò ac congruè,
 ut & verificare & juri accommodare licet. Postquam or-
 jdo in via juris ad justa procedendi certò pro compendio
 jurisdictionis præscriptus est, ut fere ubique suis curiæ
 stylus est, tanto magis opus est consilio & ductu ju-
 risperiti, quod nisi è doctis & expertis quæ istius
 sunt non constant. Et quam hi aliquando circa hæc
 labantur aut fallantur, per experientiam noscitur.
 Functionem jurisprudentiæ hanc utilem declaravit
 Anastasius in l. 4. C. de Advoc. divers. judicior. ubi di-
 citur: *laudabile vitæq; hominum necessarium advocati-
 onis officium.* Plenius Impp. Leo & Authemius in l. 14.
 C. de Advoc. divers. judic. *Advocati, inquit, qui diri-*
munt

munt ambigua fata causarum, suad, defensionis viribus in rebus saepe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si praeliis atq, vulneribus patriam parentesq, salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur, sed etiam advocatos. Militant namq, causarum patroni, qui gloriosa vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & pauperes defendunt. Ita verò nomine JCeI digni, si ut viri docti, boni, candidi, sinceram jurisprudentiam, in patrocinio exercent, cum unico proposito in litibus quærendi & promovendi veritatem & justitiam. Quod hunc finem excedit, non Jurisprudentiæ, sed Rabulariæ artis & Sycophantarum est. Deserunt cancellos ejus, (1.) qui munus subeunt nondum de jure satis solidè edocti, cum aliorum periculis & suis tentaminibus discere cupientes: (2.) qui non justitiam, sed mercedem & lucrum primario intendunt, idè, modò hoc capiant, illam parvi faciunt, quorum, uti Casiodorus loquitur, si nares afflaverit aura cujusdam marsupii, oculos Argi, Ulyssis argutias, manus Briorei, Sphynгарum ungues, perjuriam Laomedotis, Simonis fallacias, fidem Polymnestoris adhibere videas: (3.) qui consulunt, non ut litem aut antevertant, aut cito finiant, sed ut faciant vel protelent, incitando, fovendo, concordiam & transactiones non valdè iniquas impediendo, procrastinando, suum studium, indulgendo adversarii protractioni, inutilia immiscendo, petendo & concedendo dilationes, processum ultra quam necesse est dilatando, justam sententiam frivolè impugnando: (4.) qui promiscuè cæco lubitu lites omnes, qualescunqve sint, agendas suscipiunt, multo magis, qui malæ causæ patrocinantur, seu defensionem ejus suscipiendo, seu cum initio dubiam,

ſidicina, quam advocacionem ſeu advocaturam vo-
 camus, & præſtatur in judicio litigantibus ad cauſæ
 quæ agitur patrocinium: ut qui de jure respondent,
 ad juſta interrogantes ducunt, ita qui controverſiis
 fori operam dant, cauſas & facta inſtruunt, quo poſt
 expoſita de jure respondentibus & judicibus jure cli-
 entes potiuntur. Cujus ſine jurisprudentia expedi-
 undi ratio difficilis eſt. Aptanda enim, quæ in judi-
 cio de cauſis proferuntur, juri quod petitur vel obten-
 ditur, ut eo frui liceat: quia jus congrue dici ne-
 quit, niſi factum juri congruè proponitur. Quod
 requirit tum juris ſcientiam, tum facti circumſtantia-
 rum, ut juri convenient, dextram diſcretionem. Opi-
 nantur nonnulli, ſupervacuum eſſe illam operam, quia
 judex æque à partibus, quam à cauſarum patronis de-
 facto dijudicando informari queat. Sed nonnullis
 per animi corporiſque defectus, ætatis & ſexus con-
 ditionem, aliâq; impedimenta, ea proponendi facult-
 tas deeſt, plurimis, quibus omnia ea integra ſunt, dex-
 teritas & ſapientia, ſicut judicio expedit, in forum ſua
 producendi. In quo non ſatis eſt qualiter qualiter, quæ
 in mentem veniunt, referre, ſed conſideratò ac congruè,
 ut & verificare & juri accommodare licet. Poſtquam or-
 jdo in via juris ad juſta procedendi certo pro compendio
 urisdictionis præſcriptus eſt, ut fere ubique ſuus curiæ
 ſtylus eſt, tanto magis opus eſt conſilio & ductu ju-
 riſperiti, quod niſi è doctis & expertis quæ iſtius
 ſunt non conſtant. Et quam hi aliquando circa hæc
 labantur aut fallantur, per experientiam noſcitur.
 Functionem jurisprudentiæ hanc utilem declaravit
 Anaſtaſius in l. 4. C. de Advoc. diverſ. judicior. ubi di-
 citur: *laudabile vitæq; hominum neceſſarium advocati-
 onis officium.* Plenius Imp. Leo & Authemius in l. 14.
 C. de Advoc. diverſ. judic. *Advocati, inquit, qui diri-*

munt

*munt ambigua fata causarum, suarūq; defensionis viribus in rebus sapè publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si praeliis atq; vulneribus patriam parentesq; salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos; qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur, sed etiam advocatos. Militant namq; causarum patroni, qui gloriose vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & postereros defendunt. Ita verò nomine Jcti digni, si ut viri docti, boni, candidi, sinceram jurisprudentiam, in patrocinio exercent, cum unico proposito in litibus quærendi & promovendi veritatem & justitiam. Quod hunc finem excedit, non Jurisprudentiæ, sed Rabulariæ artis & Sycophantarum est. Deserunt cancellos ejus, (1.) qui munus subeunt nondum de jure satis solidè edocti, cum aliorum periculis & suis tentaminibus discere cupientes: (2.) qui non justitiam, sed mercedem & lucrum primario intendunt, idè, modò hoc capiant, illam parvi faciunt, quorum, uti *Cassiodorus loquitur*, si nares afflaverit aura cujusdam marsupii, oculos Argi, Ulyssis argutias, manus Briorei, Sphynгарum ungues, perjuria Laomedotis, Simonis fallacias, fidem Polymnestoris adhibere videas: (3.) qui consulunt, non ut litem aut antevertant, aut cito finiant, sed ut faciant vel protelent, incitando, fovendo, concordiam & transactiones non valdè iniquas impediendo, procrastinando, suum studium, indulgendo adversarii protractioni, inutilia immiscendo, petendo & concedendo dilationes, processum ultrà quam necesse est dilatando, justam sententiam frivolè impugnando: (4.) qui promiscuè cæco lubet lites omnes, qualescunq; sint, agendas suscipiunt, multo magis, qui malæ causæ patrocinantur, seu defensionem ejus suscipiendo, seu cum initio dubiam,*

credentes bonam suscepissent, cum resciverunt, vel pro artis suæ professione resciscere debuerunt, malam continuando: (5.) qui non bonis artibus causam licet non malam agunt. (6.) qui ineptias per supervacuas exceptiones, transgressiones, allegationes, tautologias tractant: (7.) qui convitiis, contumeliis, objurgationibus pugnant: (8.) qui inutilibus impendiis & nimis salariis clientes onerant: (9.) qui solertiam suam adhibent ad decipiendum vel adversarium, vel judicem, ne fiant justa: (10.) qui veritatem celant, dissimulant, supprimunt. Talia sub honesto Advocatorum nomine perpetrantes, non modo non merentur, honestum id nomen, nec inter jurisprudentes referendi sunt, sed sine injuria dicuntur, ordinis vibices & dedecora, suæ conscientiæ vermes, patrimonii tineæ, posteritatis lepra, justitiæ perniciēs, alienarum facultatum expilatores, famæ decoctores, nequitiæ architecti, gehennæ candidati. Et ut exulcerato hoc seculo pravis artibus & sceleribus magis quam virtute & prudentia exercetur ea functio, incidit in odium, & vituperium, quam justum in talium reos ob meritum, tam iniquum tamen, quatenus ob abutentium, turpitudinem etiam bonis & honestis Advocatis, qui ea oderunt & detestantur, imo jurisprudentiæ imputantur.

XIX. Non agnoscitur jurisprudentia, sed studio paranda est. Haud quia cuique multum ex jure per naturam insitum, & cum ratione non modicus justorum injustorumque sensus est, omnis justitiæ ratio omnibus constat, nedum simul cognitum aut obvium, quod ad usum juris pertinet: ille majorem, quam quæ per ingenium etsi felicissimum, sine præceptis haberi poterit scientiam, hic exactiorem, quam naturalis judicii acumen præstare potest dexteritatem
& ex-

& experientiam poscit. Ut utroque quis valeat, à doctrina obtinendum, & per studii diligentiam parandum. Nec enim jura securè & feliciter se exerceri sinunt, nisi solidè & fideliter didicita. Disci nequeunt sine doctrina. Hæc non nisi à Jurisperitis. Inde Septima est in doctrina functio. Horum aliquos ejus doctores, quorum disciplina alii informentur, existere oportuit. Explent has vices Professores juris in Academicis & Scholis, per enucleata præcepta ad ipsam ducentes & informantes, olim Antecessores dicti.

XX. Ut duplex Jurisprudentia, ita duplici studio paranda. Alterum communi, alterum speciali tribuendum. Unde illa haurienda sit, sub *Inspect.* 4. & 5. prolixius demonstratum reperies. Ab illa tanquam fundamento hujus initium ducendum. Ad duæ hæc studium pro illa dirigendum. Primum, ut quid juxta naturam erga DEum & alios convenit, ex naturalibus principiis cognoscatur. Secundum, ut quæ societatis tum domesticæ tum civilis sunt propria, quæ pro ea necessaria vel commoda, intelligantur. Priori inservit disciplina Ethica. Quam quidem optime tradit Aristoteles in triplici moralium scripto, sed non ad eum modum, nec ita plenè, ut ad jurisprudentiam sufficit. Sunt plura & alia in moribus pro hac observanda, & præsertim sic consideranda, ut ad justitiam tendunt. Quem scopum propius affecutus ex antiquis Cicero, Plutarchus, Seneca. Operæ precium fecerit, qui ex omnibus colliget, & inde præcepta aut axiomata moralia composuerit. Interea eorum scripta jurisprudentiam captanti sunt commendata, & sic legenda, ut istorum sententiæ non tantum ad nudam scientiam, quæ se oblectari aliquibus sufficit, sed ad justitiam referantur, & duces ad hanc existant. Posterius præstabunt Politica & Oeconomica, quæ infor-

informant, ut non modo secundum naturam, sed & societati privatæ & publicæ convenienter vivere & agere oporteat, monstrando quæ Domuum & Civitatum sunt propria & commoda. Sic itidem respicienda, ut ex iis iusta pro iisdem deducantur. Ex istis rectè intellecta natura & societas una cum suis principiis, rationibus, ducit ad jurisprudentiam, materiis quæ inter homines versantur cognita applicantem, & inde ut ex fonte in res, negocia justitiam derivantem. Pro facilitate studii optandum esset, eum laborem ab aliquo non tantum in legibus Romanis, sed etiam in bonis autoribus bene versato suscipi, quo moralia juxta atque socialia, ex suis principiis deducta in certa præcepta generalia, & hæc non eo modo, ut plerique Philosophi faciunt, qui contenti ad scientiam veterum discipulos adduxisse, sed ita ut ad justum vel injustum referantur, component, qui pro institutis juris gentium serviat.

XXI. Specialis jurisprudentiæ studium singulis Civitatis seu populi & Reipubl. legibus moribusque addictum est, & absolvitur cognitione eorum, quæ in unaquaque iusta vel injusta habentur. Decet illud omnes, qui aliquas partes reipubl. sustinent, quarum nulla sine ista rectè geri poterit. *Turpe Patritio & nobili & causæ omnium jus in quo versatur ignorare*, Pomponius in l. 2. §. 43. ff. de Orig. Jur. scripsit, & Cicero pro Rabir. *Ignorantem in aliena civitate peregrinari, non in sua magistratum gerere dixit.* Ut civitatum aliæ aliis legum paucitate, probitate, brevitate præstant, sic & in alia studium jurisprudentiæ civilis facilius quam alibi. Ubiq; tamen aliquod pro ea necessarium, quia sine eo legum, morum, initia mentem, rationem, usum, observantiã, nedum applicandi modum, integrius nosse vix possibile, nec sine injustitiæ periculo
Multum.

Multum ad istud facit intimius inspectio & notitia Reipubl. gentis, ingenii, loci, occasionum, civium, commoditatis, negotiorum conditiones, quæ se leges moresque civiles accommodant. Vivunt quædam gentes, suis saltem legibus, & post communia jura istas disci & intelligi sufficit, faciliorque ibi & succinctior ad jurisprudentiam via. Aliæ etiam suis alia jura jungunt, ut multæ Europææ receperunt Jus Romanum, iisque duplicatur studium. Non est jurisprudentiæ alicubi intricatius, difficilius, prolixius, quam ubi Romanum jus receptum, quo & Germania, Italia, Gallia, Hispania utitur. In compendium istud redigere inter multorum vota & operas fuit, unde methodus jus Civile Romanum studendi multiplex & varia, ut cuique visa melior, Jctorum consiliis & præscriptis in lucem prodiit. Nullum examino: Nec omnis omnium ingeniis & captui congrua. Si & mihi aliquid hac de re svadere licebit, sic vellem studium pro ista addiscenda formari, ut primo post præmittendum status Reipubl. Romanæ tum veteris, tum qui fuit initio sub Imperatoribus, & sub eo munerum atque regendi jusque dicendi formæ cognitionem, qua sine nihil ex Rom. jure disci potest; quas Imp. Justinianus Institutiones Juris composuit, svaderem legi, adhibito aut præceptore, aut commentario non valdè prolixè intelligi, & per hanc operam hauriri intellectum vocum legalium, definitiones & divisiones, rerum principia & rationes, quæ continet, singulorum, ut mediocris ingenii diligens per sex menses fundamenta hæc si velit locare poterit: Simul generales titulos de Regulis Juris & Verborum significationibus, qui multum ex principiis juris habent, sic jungi, ut quotidie ad minimum una legum intelligatur & memoriæ mandetur: Deinde per Paratitla, quæ

Wesem.

Wesembecius in Pandectas, & Cujacius in Codicem, scitissimè confecit, observanter lecta imbibit, rubricas & summas titulorum, quæ sub iis juris generalia, quæ illorum olim alia postea abrogata vel correctâ, quæ ex jure cujusque rei vel materiæ, veluti pactorum, contractuum, ultimarum voluntatum, successio- num, dominiorum seu directi, seu utilis, possessionum &c. propria seu substantialia seu naturalia. Postea quod in Novellis est explorari, & superaddi, quæ ad Ecclesiastica & Feudorum jura pertinent. Tertio post sic hausta generalia ascendi ad specialia, & leges singulas perlegi, seu eo quo collocantur ordine, seu juxta materias, ut eas tractat quisquam compendiose, pro- ut melior vix erit ductor Argentoratensi Collegio, in quo istas Wesembeciana Methodo expressit Mejerus, difficilioribus tum pro casu, tum pro dubitandi deci- dendique ratione noscenda, adhiberi glossam vel com- mentarium, pro quo meliorem commendare nescio, quam Cujacium. Hæc mediocriter diligens per quæ- driennium bene ductus & ab inutilibus abstinens ab- solvet, & satis otii pro Historia & Politica necessariis sibi scientiis insuper habebit. Tandem post hæc ad aliquam praxin non quidem propriam, sed alienam, quæ ad illam informet, venire & præceptorem habere Jctum in foro vel curia versantem expediet. A quo tum judiciorum ordinem, tum negociorum peritiam, tum juris usum discas, cui post jacta superiori modo fundamenta vel pro amanuensi per annum inserviisse plus ad jurisprudentiam proficiet, quam decennio in Academiis desudasse. Id vero præprimis in isto stu- dio observandum duco: [1.] ut non multi legantur libri, quæ ad studii confusionem, temporis dispendi- um & remoram profectus nihil nocentius, sed pauci eique boni, qui præstabunt satis quo opus: [2.] ut ab-
stinea-

Retineatur ab illis controversiis, quæ de variis lectionibus, antinomiis, rationibus legum prolixè moventur, & nõ curentur diversæ & contrariæ aliorum sententiæ, tantum quæ aut verior, aut si illud statim sciri nequit, quæ literæ convenientior aut vulgatiores, retineatur, quæ sequenda sit, maturescenti judicio reservetur, represso interim disputandi pruritu & frequentia: [3.] Ut studiosus juris circa ea, quæ ex legibus discit, hæc quatuor præcipue observet, originem, rationem, mentem, usum, & præsertim quæ hunc in omnibus quæ occurrent cogitet, quid sibi ex jure seu juxta leges de eo sentiendum sit, & quod à peritis statuatur, exploret: [4.] Ut antiqva, obsoleta & abrogata sciant, quidem, ultra vero de istis non sint curiosi, & quæ de iis prolixè docentur, scribuntur & disputantur, transmittant.

XXII. Nobile & utile studium jurisprudentiæ valdè corruptum & depravatum est hodie, ut mirum non sit, & ejus exercitium valdè vitiosum ex prava radice enasci. Vitiant istud multi, & ideo convitiuntur; Ejus farinæ existunt primo, qui ipsius fontis justitiæ incuriosi rivulos tantum sectantur, & late diffusam artem intra unum locum concludunt, se affectos rati, ubi jus suæ reipubl. norunt, nec tam juri quam statutis civitatis operam impendunt, ut faciunt qui hodiè præter Romanam Jurisprudentiam nil sapere cupiunt aut contendunt, quæ ejus libri habent, voluisse & revolvisse contenti. Secundo, qui nihil præter leges sciunt, iis se ita mancipantes, ut quod ultra illas est humanioris literaturæ & Philosophiæ, imo & quæ sanæ rationis, quæ excolitur humanitas, nauseent nihilque faciant. Tertio, qui Scholæ non Reipubl. aut vitæ discunt, & hoc tantum quærunt, ut multa jurisprudentiæ sciant & contemplantur, non curantes quomodo

do didicitorum usum publice privatimque præsent, ideo cum quid ipsis accidit per jurisprudentiam dirigendum, jurisprudente alio egent, & consulendi consulere non erubescant. Quarto, qui malunt disputare de legibus, quam juxta eas agere, ideo amplii dextra de iis controvertendi agilitate delectantur, scientiæ soliditati præferunt, gaudentes omnibus facere jus dubium, & ipsi nunquam de eo certi. Quinto, qui de antiquitate magis quam justitia solliciti sepulchris Jurisconsultorum quasi insidentes eorum manes inquisitione veterum inquietant, & potius quid ipsorum tempora tulerint, quam quod nostra hæc ferant curiosi. Sexto, qui novitatem circa justitiam amant, non contenti legibus vel moribus, quæ illa determinatur, imo nec iis principiis, quæ natura indidit & ratio suggerit, nova sub specie meliorum meditantur & ratiocinationum disceptationibus commendare, dudum recepta arguere & abrogare fatagunt, jurisprudentiam novam captantes, ignobile studiû putantes, quod notis & vulgaribus tribuitur. Septimò, qui ingenii sui subtilitati omnia volunt consona, ideo in jurisprudentia mere subtilia & acuta requirunt, scrutantur, & cum talia in plerisque ejus veræ non inveniunt, fingunt communia cavillantes suos sensus ratiuncularum imaginibus exornantes, quam subtiles tum inutiles & rebus quæ subtilitatem non patiuntur inepti. Quibus non dissimiles octavo, qui ut caput suum, sic & jurisprudentiam à rebus abstrahunt, eamque non ut in his justitia exercenda, sed ut suo cerebro convenit traditam volunt, quæ ejus sunt aut sic accipiunt, aut reprehensa corrigunt, jus quoddam sibi chimerizantes, ut aliqui & tales Sphynxes juridicæ pro arte juris in lucem emiserunt, apud peritos ridiculi, aliis temporis & studii fures. Nono, qui jura grammaticè tractant, verba potius quam materiam curant

curant, illa criticis examini- bus subji- ciunt, ex illis alia- aut reprehendunt, aut probant, ita mentis ministros pluris quam ipsam faciunt, ne in his quidquam perpe- ram sit, mentem imo jus ipsum potius deserentes, uti scriptorum Juridicorum magna pars hodie fere criti- ca & lectionum examini dedita reperitur. Decimo, non tum quid jus, quid lex, quid ratio velit, sed quæ Accursius, Azo, Bartolus, Baldus, & similes, tanquam Ju- risprudentiæ Patriarchæ, sentiunt, scire cupiunt, horum opinionibus justitiam metiuntur, & sibi persvadent, in terminis casuum, de quibus jus indagant, doctorem sic opinantem reperisse, & pro se allegare gaudentes, de cætero jus & rationem transmittentes. Similes unde- cimo, qui glossam legum, & communem opinionem Do- ctorum, cæco cultu faciunt juris indicem & præcepto- rem, se ab ipso jure & recta ratione citius, quam ab istis divelli patientes.

XXIII. Qui, prænarratis jurisprudentiæ func- tionibus, per solidam ejus scientiam & exercendi idoneita- tem sufficiunt, merentur Jctorum seu Jurisprudentum titulum. Assumptionem autem & usum ejus libertati cujusq; relinqui, non est ex jure publico aut privato. Quæ de se est præsumptio & ambitio plerisque non pote- rit non facere, ut dignus & indignus promiscue arro- gent, & imperiti peritiam, quam sibi imaginantur, aliis ostentando, multorum malorum, quæ ex jurisprudentiâ fucata & sinistre usurpatâ hodie Respubl. misere pre- munt, cives exspoliant, justitiam perdunt, ipsam artem turpiter conspurcant, causa existunt. Cum olim apud Romanos, cui studiorum fiducia aderat, de jure respon- dendi facultas permetteretur, per Imperatores sublata, & publici judicii facta est, hujus arbitrio & jure sibi sumpto. Quod vel ipsimet exercent, ut à Regibus ejus- modi titulos collatos temporum acta docent, vel aliis

tribuendi potestatem faciunt. Ita impetrarunt Academiae, quibus concedita est facultas, creandi Doctores, atque Licentiatos. Præter istas etiam aliis, ex indultu Principum, cedit, uti Comites sacri Palatii Cæsaris & Papæ creant. Quorum, ex jure quo utuntur, par dignitas, modo ipsi digni sint. At quia ea concessione sæpius ad conferendum indignis abutuntur, & plerumque ad eos itur, dum rigidius examen reformidatur, si non est penes ipsos meritum præter bullam, quam in testimonium Doctoratus impetrant, unde contemptim Bullati audiunt, nec nisi aliunde apparent docti, juribus & privilegiis eruditorum jure non gaudent, uti sic Camera Imperialis discernit. Inter graviora in Rempubl. peccata referendum, quod ille titulus, doctis & Reipubl. servire idoneis tantum conferendus, indoctis atque indignis confertur. Quæ ab insipiente & inepta creatura existunt mala, quæ non sunt pauca, nec levia, reum coram DEO, conscientia & mundo creatorem faciunt vere deceptorem, dum asinum pro equo, pardum pro artifice proclamat & venditat, & monstra pro hominibus cordatis in justitiæ officinas intrudunt. Haud minus vero ex merito & dignius capiunt, qui per Principes & Civitates publicis functionibus Jurisprudentiæ adhibentur, quævis quod titulum ex cathedra vel bulla non acceperunt, is derogandus non est. Publicum judicium, quod edit electio publica, & officium titulo dignum, cum re etiam nomen tribuit, nec quia Doctores non salutantur, velut cæteris modis solitis non creati eo minus tales sunt: Nec enim tam collatio quam functio eum meretur. Illa testimonium tribuit, quo non eget, qui artem & meritum ostendit. Iniquum & Jurisperitorum professioni inconveniens, jurisprudentiæ parte aliqua in republ. defungentes, minori dignitate præditos esse, quam eos, qui nihil

hil ex ea, nisi titulum ostendunt. Si ratio sequenda, ut functione utiliores, sic dignitate infulatis capitibus potiores esse debent.

XXIV. Jurisprudentiæ ars diversa est à Politicâ. Illa, ut jam vidimus, circa justum & injustum occupatur, quomodo utrumque circa res, id observandum docet. Hæc quod ex usu est, quærit; ideo juxta commodum & incommodum format sua axiomata, & dirigit actiones. Jurisconsultus per suam artem in Republ. curat justitiam, Politicus utilitatem. Sunt separatae artes, & singulae sua habent peculiaris principia, regulas, præcepta, ductus, & utraq; & tradi potest & disci separatim, uti ab Aristotele factum, qui sic Politicam tradidit, ut in Jurisprudentiam manus non immittat. Absurdè dicitur, inter utramque non esse discrimen: At in praxi se divelli non sinunt. Paucissima sunt rerum atque negotiorum publicorum ac privatorum, de quibus consultatio non incidet in quæstionem de jure, ideo justitiæ norma & jurisprudentis judicio eget. Quidquid reipubl. per magistratus aut curatores gerendum, sic comparatum, ut honesti, justi, utilis ratio simul iniri & haberi debeat, nihil ejus est, in quo non id semper conjunctim sit dispiciendum & simul disceptandum, quid juri conveniat. Nec agenda, aut quærenda vel respicienda sunt utilia injuste, nec justa curanda sunt noxie. Utraque in consiliis, gubernatione, judiciis, arte opus: Politicus, si nulla justis aut injustis ratione habita, seposito Jcti officio, utile tantum commendabit, artem suam in Machiavellica *σοφισματα* convertet: Jctus, si justis & injustis rigidus observator, utilitatis nullam habebit rationem, Rempubl. perdet. Ut utraq; bene concilientur, & sic justa reip. utiliter, utilia juste eveniant, est eorum omnium, quibus cura reip. incumbit. Politicū, dum bene prudenterque publica & privata ad finem dirigere intendit, Juris-

peritum, & hunc, cum functionibus publicis adhibetur, Politicum esse oportet. Impossibile, sine utriusq; arte, satisfacere pro republ. consultationibus, regimini, muniis. Intelliget quisquis singula, quæ obveniunt discutier. Politici, sine Jurisprudencia, manuum sine nervis, Jurisperiti, sine Politica, nervorum sine cute & carne instar habent. Discernenda autem hæc sunt. Jctum & Politicum esse idem, & eundem qui vult esse Jctus dicere etiã esse Politicum, & viceversa. In omni vero Jctõ & Politico utramq; scientiam requirimus, sed unaquæq; diversa manet, suosq; habet limites, non confundendos. Per modum considerandi & operandi isti consistunt distincti, & intra istos quilibetq; diversimode, etsi idem sit, sua facit & sibi vindicat. Ut justitiæ sacerdos consulit reipubl. quo justa & ipsi eveniant, & ipsa justa reddat: Ut Politicus, quo utilitas ejus servetur, incommoda avertantur. Si Jctus non tantum justum, sed etiam, utile svadet, tractat & promovet, ut Politicus, non ut Jctus facit. Vicissim, cum Politicus ut justum determinat, facit ut Jurisperitus. Non secus hæc fiunt, quam si Jctus vel Politicus Theologicorum præceptorum rationem habet, in eo agens ut Theologus, sed non aut scientiam confundens, aut aliena suæ professionis faciens, sed necessaria ipsi jungens.

XXV. Quisquis utriusque scientiæ tum necessitatem parem, tum in eodem, qui Reipubl. munia recte obire velit, seu ex sua eruditione, seu aliorum informatione necessariam conjunctionem considerat, ineptam & incongruam reputabit dissertationem, quæ à nonnullis de Jurisprudentiæ & Politicæ prærogativa movetur. Utraq; ars sic comparata, ut Reipubl. sit æque commoda, & quidem sic principaliter, ut neutra sit alterius ministra, sed pro republ. cooperaria. Qui studia sua circa utrumq; ita discernunt, ut uni velut dediti saltem vide-

videantur, inde singuli pro suâ præcedentiâ operosi, errant valdè, ut nec Politicorum nomen merentur, nisi & Jurisprudentes sunt, nec Jurisprudentum, nisi & Politici: ita nullatenus digni, qui super illa lite audiantur, si alterutras partes tantum suas & pro iis titulum & gradum eminentiorem caprant. Nec magis æstimandi, qui alterutris blandiuntur, & suam incitiam produnt. Seu necessitatè, seu dignitatè, seu spectes usum, non differunt. In eo diversitas, quod Politici mori, utilium svasores, Regentibus gratiores, ideo quâ fruuntur gratia magis superbiunt, se exalrant, sapientiores ne decipere appareat suppressunt, reipubl. intutè consulunt; Jurisprudentes vero, dum multorû libidinis obices, plerumq; exosi, securius honestiusq; pro republ. agunt. Si tamen divelli se sinent conjungenda, & de prærogativa quidquam statuendum, veniet in judicium, justitia an utilitati plus ejus debeat, & qui isti, quam qui huic serviunt, in republ. potiores habendi sunt. Discerne tamen Jctos, ut hodie sibi hoc nomen sumunt. Alii Reipubl. in aula, curia & judiciis operam navant, alii tantum privatis consulendo, vel causas instruendo. Illi vere Politici sunt: Hi, ut opere & operâ ab eorum studiis distincti, hoc nomen rectè non usurpant, & talibus insveti reipubl. plerumque se ostendunt ineptos. Ad quos ideo nolim dicta porrigi, sed manum de tabulis.

Principia atq; fundamenta tum ipsius Gentium, juris, tum super eo studii generalia in Prodomo exhibitâ, ad ea, quæ tum pro exponendo jure, tum pro reperiendo justo & injusto sequentur, pro Indice sint. Curabo, si vita & valetudo per DEI gratiam supererit, ut explicatior inter gentes tum juris tû justî & injusti collecta, & ad finem pene deducta traditio, non diu post hæc in lucem veniat. Quo in antecessum etiam de tenore subsequuturi tractatus tibi constet, summa capita exponen-

dorum cum dispositione operis tibi velut in tabula representato, & hic subjicio. Circa singula reperies in tractatu, quid conveniat tum naturali, tum recepto juri gentium, & in quo aliqua à jure civili Romanorum moribusq; hujus seculi sint aut videantur diversa. Talia dignoscendi discernendiq; utilitas commendabit uti spero studium. Si non exactum, excusabit lectoris æquanimitas, & supplebit felicioris operæ dexteritas.



